SIGISMUNDI AUGUSTI, POLONIARUM REGIS, *EPISTOLAE, ...

Johann Burkhard Mencke

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1. C
6

Digitized by Google

14.32.L.20.

Digitized by Google

XXXV. C. 50

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SIGISMVNDVS AVGVSTVS
REX POLONIARVM.

Digitized by Google

SIGISMUNDI AUGUSTI,
POLONIARUM REGIS,
EPISTOLÆ, LEGATIONES
ET RESPONSA.

Nec non

STEPHANI BATORII, REG. POL.
EPISTOLARUM DECAS ET ORATIO
ad Ordines Poloniæ.

E MUSEO H. DE HUYSSEN.

Acceſſerunt Opuſcula duo alia, ad Electionem
Regis Sigismundi III ſpectantia.

Omnia recenſuit

JO. BURCHARD MENCKENIUS, J. U. D.
Hiſtor. in Acad. Lipſ. Prof. Publ. & Soc.
Regiæ Anglic. Socius.

LIPSIÆ,
Apud JO. FRIDERICUM GLEDITSCH,
M DCC III.



Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori benevolo
JO. BURCHARD MENCKENIUS
Salutem!

ALiquot menſes effluxerunt, cum Vir Nobiliſſimus, meique inprimis ſtudioſus H. de Huyſſen *Epiſtolarum aliquot Sigismundi Auguſti, Poloniarum Regis, apographum in itinere Polonico comparatum, pro ſingulari, quo in bonas litteras fertur, ardore, mecum ea lege communicaret, ut eas, dum ipſe iter iniret in provincias longiſſime diſſitas, (quod ut ei fauſtum fortunatumque*

que eveniat ex animo precor,) typis exſcribi & publici adeo juris fieri diligenter curarem. Itaque quod mihi dedit, negotium non modo detrectare per amicitiam noſtram non potui, ſed hoc etiam alacrius ſuſcepi, quo magis me & rerum in iis pondera, & ipſa Latini ſermonis ſuavitas atque facilitas non dicam invitabant, ſed propemodum incitabant. Tametſi vero prætermiſſum abs me fuerit nihil, quod ad tollendos, qui plurimi in apographum irrepſerant, fœdiſſimos errores pertineret, non poſſum tamen inficiari, qualescunque meos in procuranda editione conatus irritos aliquando typographorum negligentia redditos fuiſſe. Quod ſi quis vero paulo nimis, quam res poſtulat, curioſus in privatorum hominum, maxime Polonorum, nominibus erro-

rem

rem offenderit, in eo excuſando parum laboro, quandoquidem in ea diverſitate (eundem enim, exempli gratia, modo Baſen, iterum Bauſen, tertio Baiſen appellatum reperi) verum nomen exſculpere, perquam omnium ſententia difficile eſt & perplexum. Attamen Principum nomina propria, quibus vel miſſæ ſunt hæ epiſtolæ, vel quorum in illis passim facta eſt mentio, cum in ipſo apographo expreſſa non fuerint, in utroque indice, quantum ex illorum temporum memoria intelligi potuit, reſtitui. Cæterum cum multa alia ad laudem & commendationem harum epiſtolarum, tum hoc potiſſimum ſpectat, quod ad excelſam Sigismundi Auguſti mentem cognoſcendam magnopere conducunt, his autem, quæ non tantum ea tempeſtate geſta, qua exara-

tæ litteræ ſunt, verum etiam quæ ſtatum Poloniæ concernunt univerſum, lucem accendunt præclariſſimam. Cumque illæ non minus, quam legationes Regis hujus nondum biennii geſta excedant, (namque ad annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſecundum & ſequentem omnia, ut apparet, referuntur,) dici non poteſt, qua rerum ubertate polleant, quam ſint elegantia pleraque & concinna, atque ad uſum recentioris ævi prorſus & omnino accommodata. Ut taceam, multum eas quoque, imo plurimum, ad cognoſcendas compellandi formulas inter Principes receptas conferre, quas cum fruſtra in libellis aliis quæſiveris, Poloni, ſi quæ alia gens, diligentiſſime conſervare & ad poſteros propagare conſueverunt. Quisquis vero iſta conſignaverit,

ſive

ſive Rex ipſe Sigismundus Auguſtus, ut aliarum lingvarum, ita Latinæ quoque callentisſimus, ſive ex ejus amanuenſibus aliquis, ita ubique ſe componit, ut a dicendi Majeſtate atque eo ſermone, qui ipſos Principes & ſummos in Republica viros decet, admittat alienum nihil. Fuit autem in eo Rege & virtus eximia, & ſingularis plane prudentia, ut dignus adeo Polonis viſus fuerit, qui novo & nunquam forte imitando exemplo, Patris nondum mortui locum majeſtatemque ſubiret. Neque enim Gratiani, gravisſimi alioquin ſcriptoris, de Rege illo judicium probo, qui cum in vita Joannis Francisci Commendoni, Cardinalis, clandeſtini amoris in eo vitium animadverſione dignum exiſtimarit, virtutes ejus Regias & prorſus eximias ſilere non debuiſſet. Quam-

quam vero pacis, *quemadmodum ipſe aliquoties in his epiſtolis affirmat,* & tranquillitatis publicæ tam ſtudioſus & eſſe & haberi voluit, quam qui maxime, *belli tamen, ſi quod illatum eſſet, aleam ſubire nunquam renuit, & ſicut* humanitatis & lenitatis, *ut rurſus loquitur,* laudem retinere ſtudebat, ita ſoluti ac remiſſi animi ſuſpicionem in ſua dignitate & populorum ſuorum incolumitate vindicanda fugere ac vitare, prorſus decrevit. *Itaque, cum & raro eum fortuna deſeruerit, pacata penitus Pruſſia, & Livoni-*

vonia Polonico imperio ſubjecta, & patratis prospere rebus aliis, quibus egregiam apud omnes laudem retulit, in eo profecto parum meo judicio felix cenſendus eſt, quod inter Polonos ſcriptorem nactus eſt propemodum nullum, qui res ejus pace belloque geſtas, conſilia eorumque cauſas & eventus digna oratione exprimeret, cum multos nihilominus rerum geſtarum amplitudo ingeniique exercendi tam fertilis tam grandis occaſio excitare debuiſſet. Et protulit quidem ejus ætas præſtantisſimum hiſtoricum Martinum Cromerum, qui quanta apud eum Regem gratia floruerit, vel ex his epiſtolis abunde colligitur; at is hiſtoriam ſuam inde a vetuſtisſimis Polonicæ Reipublicæ temporibus usque ad exceſſum Sigismundi I deduxiſſe ſatis habuit. Pari modo

Reinoldus Heidensteinius & Paulus Piasecius, par nobile Historicorum, prætermisso, vel obiter adlegato Sigismundo Augusto, Rege, circa recentius ævum potissimum versantur. Qui vero Chronica Polonorum, a Matthia de Mechovia conscripta, auxit quodammodo & continuavit, Jodocus Ludovicus Decius juvenilem ejus ætatem non tam descripsit, quam leviter attigit. Et quamvis non desint quidem alii, qui partim Regis hujus mentionem obiter injiciant, partim proletariis scriptis ejus gesta percenseant, quantum tamen in his epistolis & legationibus deprehendi possit, quod vel ignoratum scriptoribus illis, vel prætermissum sit, vel secus etiam, quam res gesta est, explicatum, ne his quidem, qui lemmata a nobis præmissa paulum perlustrare velint, erit obscurum. Neque

que enim aliunde, quæ ad fœdus cum Rege Daniæ, Friderico II, adversus Svecos initum pertinent, luculentius intelliguntur; neq; ubivis obvia sunt, quæ de Johannis, Finlandiæ Ducis, postea Sveciæ Regis, matrimonio hic memorantur singularia. Quid de bis dicam, quæ acta sunt cum Ferdinando I, Imperatore, Johanne item Sigismundo, Transsylvaniæ Principe, & electo Hungariæ Rege, Maximiliano, Rege Romanorum, & qui primo loco nominandus erat, cum Alberto Seniore, Prussiæ Duce, quem miro præ cæteris affectu prosequebatur Sigismundus Augustus, quemadmodum epistolæ in hoc volumine testantur triginta quinque? Quid de rebus Livonicis, speciatim de proditione & carcere Christophori, Coadjutoris Rigensis Archiepiscopatus, & Ducis Megapolensis? Quid de

cona-

conatibus Erici Brunſvicenſis, & non minoris momenti rebus aliis innumeris? Sed de his eſto penes lectores judicium; neque enim de Sigismundi Auguſti epiſtolis plura hoc loco præfabimur. Cum vero idem vir optimus H. de Huyſſen *nonnullas etiam Stephani Batorii, Regis, epiſtolas in manibus meis reliquiſſet, ſi lectoribus probarentur, cæteras quoque, quas una cum plerisque Johannis Zamoyſcii, viri præſtantiſſimi, epiſtolis penes ſe ſervat, erudito orbi aliquando expoſiturus; e re viſum eſt, eas, quæ primordia Regni illius complectuntur, quæque adeo ipſam ejus Regis electionem concernunt, hoc loco adnectere, una cum ejusdem Regis oratione, liberrime olim in publicis Regni comitiis pro-*

Digitized by Google

pronuntiata, quæ ut lectu jucundissima est, ita ad cognoscendas tanti Regis dotes plurimum valet. Neque minus utique notatu digna est Sigismundi III, qui post Stephanum imperavit, electio. Itaque cum in manus nostras incidissent epistolæ, legationes & responsa, quæ paulo post, quam ea celebrata est, Cracoviæ prodiere, libuit ista vel eorum in gratiam addere, qui quo jure adversus Sigismundum usus fuerit Maximilianus, Archidux Austriæ, ejus æmulus, considerare atque expendere accurate cupiunt. Denique digna mihi non unam ob causam visa est, quam iterum nunc prelo submitterem, Oratio, seorsim olim, dubium quo loco, quove tempore, impressa, qua Legati Suecici in publicis Regni comitiis eundem Sigismundum Polonis Regem commendarunt.

His

His tu recte utere, Lector benevole, nobisque fave. Deum autem Optimum Maximum devote precamur, ut Potentissimum hodie Poloniarum Regem, AUGUSTUM SECUNDUM, *Dominum nostrum longe clementissimum, Sigismundo Augusto virtute nequaquam secundum, salvum fortunatumque, non minus Saxoniæ, quam Poloniæ conservet.*

Digitized by Google

I.

RESPONSUM REGIÆ MAIESTATIS AD LEGATIONEM ILLUSTRISSIMI DUCIS PRUSSIÆ, PER GENEROSUM VENCESLAUM SCHAK, VILNÆ, DECIMO JULII MDLXII.

Gaudet Rex placere Cæsari, ut de tollenda proscriptione Ducis Prussiæ apud Ordines Imperii agatur, quod in proximo Conventu Francofortensi fieri posset, nec se defuturum spondet ejus commodis; consultum vero ducit, ut ea res in Comitiis Regni Polonici cum Proceribus primum communicetur atque interea eorum animi a legato Ducis explorentur.

EX legatione D. V. sacra Regia Majestas intellexit, tum quid in causa Illustrissimi Ducis Prussiæ apud Cæs. Majestatem per Illustr. D. Megapolen. Ducem confectum sit, tum quid præterea Illustrissimus Dominus Prussiæ Dux a sua Regia Majestate hoc tempore postulet. Ac perductam quidem esse Cæs. Majestatem, ut sibi causam Illustr. D. Prussiæ Ducis de tollenda proscriptione suscipiendam apud Ordines Imperii ac tuendam diligenter existimet, magnopere lætatur sua Majestas. Putat etiam eam causam, quæ hacte-

Digitized by Google

nus odiis magis quorundam hominum quam jure ipso premebatur, accessione ad eam voluntatis & favoris tanti Principis facilius esse ad exitum perventuram; quam ob rem urgendam esse eam occasionem S. R. M. censet, pro sua in Illustr. Principem Prussiæ gratia & benevolentia, faciendumque existimat, ut in propendentibus ad eam causam externorum hominum studiis domesticæ quoque industriæ & diligentiæ lumen eluceſcat, in quo sane curando & promovendo ne a se quidem Regia sua Majestas ullam partem desiderari patietur eorum officiorum, quæ per Illustr. ipsius a sua Majestate postulari videntur. Etenim cum Maj. sua Regia meminerit, quo animo divus adhuc parens Maj. suæ & quoties in eam causam incubuerit, quos etiam sumptus & quantos fecerit, facile adducitur, ut quemadmodum nunquam antea defuit, ita ne nunc quidem ei causæ desit ad optatum aliquem exitum perducendæ. Verum cum in iis & omnibus gravioribus negotiis nihil inconsulto Senatu Majestas sua statuere soleat, nuncque adeo instet etiam Comitiorum Regni tempus, in quibus Illustr. sua consiliarios quoque suos adfuturos Regiæ Majest. per literas pollicetur, commodissimum atque adeo necessarium Majestas sua arbitratur, ut de toto hoc negocio non nisi ex Senatorum & reliquorum ordinum Regni sui sententia statuatur, ut Oratores quicunque per Majestatem suam ad earum tractationem designati ac missi fuerint, possint non modo Majest. suæ sed & totius Reipubl. nomine de summa rerum statuere, quod maxime

ex

ex Republica fore videatur. Quoniam autem Illustrissimus D. Prussiæ Princeps Francofortensem conventum proximum commodissimum iis pertractandis rebus existimet, siquidem ejus Francofortensis conventus tempus comitia per Majestatem Reg. indicta anteverterit; non renuit Majestas sua, oratorem suum ad eum conventum mittere, per quem totam hanc causam Cæs. Majestati etiam atque etiam commendet, ab ejusque Majestate petat, ut pro eo atque semel jam facturam se recepit, proscriptioni huic tollendæ & abolendæ remedium aliquod perquirat, ut cum de voluntate Majestatis illius M. sua certior facta fuerit, de pacisque & concordiæ conditionibus aliquid cognoverit, possit interea convocatis ad Comitia Regni sui ordinibus rem quæ agitur exponere, deque ea ex omnium sententia plenius statuere. Interea si Illustr. suæ videbitur, poterit quoque Illust. sua per ministros aut amicos suos animos eorum pertentare, in quibus ullum ad eam rem momentum esse constitutum animadverterit, sed ita ne quid per eos aut ministros aut amicos Illustr. suæ de summa rerum decernatur, neve quid inconsulta Regia Majestate in causa statuatur. Cæterum de pecunia & conditionibus concordiæ ineundæ, necessario Majestas sua deferendum sibi existimat, dum regni sui conventum edicat, deque iis rebus omnibus ad Senatum suum referat; quo quidem tempore sicut aliis quoque superioribus omnibus Regia Majestas Illustr. suæ pollicetur se non esse defuturam.

II.

DUCI PRUSSIÆ.

Moscovitici belli rationes secum communicatas probat, Comitia se velle convocare promittit & ad ea legatos Ducis invitat, deque pensione hactenus a Prussiæ Thesaurario retenta spem iterum Duci facit.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Magnopere nobis probantur ea, quæ ex literis Ill. V. de ratione Moscovitici gerendi belli cognovimus. Quarum rationum quoniam plerasque jam nostra etiam sponte inivimus ac constituimus, dabimus porro operam,ut reliquas etiam non minus diligenter ex sententia Illustr. V. persequamur. De comitiis edicendis primo quoque tempore videbimus. Nam & pridem per nos ipsi magnopere iis opus esse intelligebamus,& nuper cum Senatorum nostrorum sententias de iis per literas perquireremus, facile omnium sententias eodem propendere animadvertimus. Itaque & indicemus nos illa quidem propediem, & illis ipsis libenter intererimus, Consiliariosque Ill. V. quos se missuram eodem Ill. V. profitetur, gratissimo animo videbimus. Quod de Svecicis injuriis Ill. V. cum amicis ac consanguineis communibus conqueri se ac communicare velle scribit, exemplumque ejus rei, quod ad nos mittit, id nobis quidem ab Ill. V. pergratum est; Cætera de quibus nobiscum Ill. V. per internuncium suum egit, per

eundem Ill. V. de ſententia noſtra reſpondebimus: Ad Generoſum etiam Caſtellanum Gedanenſem & terrarum noſtrarum Pruſſiæ Theſaurarium ſcribimus, ut retentam penſionem Ill. Veſtræ quamprimum attribui jubeat. Bene valere Illuſtr. Veſtram cupimus datum 14 Julii.

III.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI DOMINO SULTAN, DOMINO FRATRI, AMICO ET VICINO NOSTRO CHARISSIMO, SALUTEM ET BONÆ VICINITATIS AMICAM SIGNIFICATIONEM.

Excuſat ſe ob detentos ſuo juſſu una cum mercibus Valachicos mercatores, eosque jam pridem liberos iterum dimiſſos fuiſſe nuntiat & pollicetur amicitiam.

SErenisſime ac Potentisſime Princeps Domine Frater, Amice & Vicine noſter charisſime. Accepimus literas Serenitatis V. quibus nobiscum agit de dimittendis retentis per nos quibusdam Valachicis mercibus & hominibus in magno Lituaniæ Ducatu noſtro, ac non ignoramus nos quidem, rationibus pactorum noſtrorum cum S. V. communium comprehenſum eſſe, ut libertas commerciorum noſtris & S. V. populis utrinque conſervetur. Verum cum ii mercatores, quos in Moſcoviam per ditiones noſtras ire libere permiſera-

ſeramus, ex Moſcovia in Magnum Ducatum noſtrum Lituaniæ redeuntes, in id tempus incidiſſent, quo tempore pulſo Alexandro Palatino, Valachia motibus domeſticis laborabat, cum ignoraremus prorſus quid rerum exportaretur per eos ex Moſcovia, aut in quos & in cujus uſus, retineri eos cum mercibus mandaveramus, dum de re tota plenius cognoſceremus. Poſtea tamen cum ad nos literæ Magnifici Palatini Valachiæ allatæ eſſent, quibus nobis ſignificabatur merces eas eſſe, quæ ad perſolvendum S.V. debitum tributum pertinerent, dimittere eas confeſtim, etiam antequam literas a V.S. accepiſſemus, juſſimus, nec dubitamus hactenus jam in Valachiam perveniſſe; quod cum ita ſit, exiſtimamus nos & pactis communibus & poſtulatis S. V. hoc quidem tempore plane ſatisfeciſſe. Deinceps etiam quicquid erit in quo ejusmodi officia noſtra requiri intellexerimus, quæ ad mutuam amicitiam & vicinitatem noſtram tuendam pertinere videantur, omnia facturi ſumus non minus libenter quam diligenter. Bene valere S. V. cupimus. Datum 18 Julii.

IV.

PALATINO VALACHIÆ.

Excuſationem Palatini Poloniæ tractum transeuntis admittit, atque eum ad concordiam hortatur, liberos a vectigalibus mercatores Valachos dimiſſos eſſe refert, & de Armeno ſuo ſi querelam habeat, velle ſe de ejus rebus cognoſcere promittit.

MAgnifice Domine, Amice & Vicine ſincere nobis dilecte. Quod S. V. ſuum tranſitum

ite-

iterum atque iterum excuſare apud nos conatur, facile in eam partem accipimus, in quam cupit S. V. quemadmodum antea quoque S. V. ſignificandum duximus. Curet modo S. V. ut ab omnibus ejusmodi inceptis ſe ſuosque cohibeat, & jura Amicitiæ ac Vicinitatis, quemadmodum pollicetur, diligenter tueatur; quod nobis quidem de S. V. facile perſuademus. Mercatores S. V. quos exortis in Valachia motibus retineri juſſeramus, ſtatim, ut ex literis S. V. genus & rationem mercium cognoviſſemus, liberos dimiſimus, exiſtimabamusque jam pridem ad S. V. eos perveniſſe, nunc a publicanis noſtris retentos eſſe non ſolutis vectigalibus didicimus; mittimus ad publicanos & teloneorum noſtrorum præfectos cubicularium noſtrum, qui eos immunes a vectigalibus ac liberos dimitti autoritate noſtra jubeat. Armenum noſtrum cur tranſitu libero minus dignum judicet S. V. intelligimus. Fidem is nobis ſane & ſtudium ſuum multis in rebus & a multo tempore approbavit. Si quid eſt tamen, in quo ſe ab eo læſam S. V. arbitretur, nos quidem S. V. jus de illo dicere parati ſumus. Bene valeat S. Veſtr. Datum 18 Julii.

V.

DUCI FINLANDIÆ.

Ducem in Poloniam veniſſe gaudet & ad reſponſionem Legato ejus datam provocat.

ILluſtriſſime Princeps, Domine Amice chariſſime. De adventu Ill. V. in Regnum ditionesque no-

noſtras,etſi rumore ipſo jam pridem acceperamus, tamen ex literis & nuncio ipſius perjucundum nobis fuit intelligere; cupimus equidem ut is ipſius adventus ſit illi proſper & ſalutaris, quemadmodum ſane confidimus majorem indies ipſi Ill. Veſt. lætitiam atque voluptatem eſſe allaturum. Ad legationem Ill. V. Oratori ipſius de ſententia noſtra reſpondebimus, is omnia ad Illuſtr. Veſtram perferet. Interea illam bene valere optamus, Vilnæ 21 Julii.

VI.

RESPONSUM REGIÆ MAJESTATIS DATUM ORATORI ILLUSTRISSIMI DUCIS FINLANDIÆ, VILNÆ, 21 JULII.

De adventu Ducis opem adverſus Moſcos offerentis impenſe lætatur, & laudata ejus erga ſe voluntate conditiones pacis cum fratre ejus, Rege Sueciæ, ineundæ transmittit & propenſum ad pacem animum declarat.

QUod Illuſtriſſimus Dominus Finlandiæ Dux ſalvus & incolumis in regnum & ditionem Majeſtatis Regiæ advenerit, plurimum & ex animo Majeſtas Regia Illuſtr. ſuæ gratulatur, optatque Illuſtr. ſuam eadem incolumitate & optima valetudine eſſe quam diutiſſime, omni genere felicitatis ex animi ſui ſententia cumulatam. Quas autem cauſas Ill. ſua Maj. Regiæ per Veſtram Dominat. exponit adductus ſui maturioris, quod principale illud

illud negotium requirere videbatur, ex iis cauſis omnibus agnoſcit ſua ſacratiſſima Majeſtas ſingulare ſtudium erga ſe & benevolentiam Illuſt. ipſius, quarum rerum ſignificatio Maj. ſuæ eſt ſane perjucunda. Etenim quod bellum quidem Moſcoviticum attinet, cujus adjuvandi gratia ſe quoque in tempore adeſſe voluiſſe Illuſtr. ſua ſiguificat, etſi hactenus per Dei gratiam iis conſiliis & copiis ſit bellum illud per ſuam mentem adminiſtratum, ut ab arcendis & propulſandis a Livonia Muſcovitarum injuriis nullis adhuc externis opibus magnopere egere Majeſtas ſua Regia videretur, tamen hæc quidem Illuſtr. ſuæ erga Majeſt. illius voluntas, qua ſua Illuſtritas in periculo provinciæ Regiæ Maj. accurrere ipſa, facultatesque omnes ſuas eo ſe conferre voluiſſe ſignificat, non poteſt Regiæ Majeſt. non eſſe gratiſſima, quæ ſane ita ſibi perſuadet Illuſtr. ſuam, quæ hactenus nomine ipſius ad Regiam Majeſtatem verbis delata ſunt, ea re ipſa eſſe quoque delaturam. Quod cum ita ſibi Regia ſua Majeſtas de Illuſtr. ipſius perſuadeat, facile etiam excuſationem ab Illuſtr. ſua accipit, cum ſe Ill. ipſius a Sereniſſ. fratris ſui Regis Sueciæ de bello Livonico conſiliis abhorruiſſe ſignificat, qua de re quidem etſi initio cum bellum iſtud gliſcere dicebatur, non demirari ſua Majeſtas neque perturbari non poterat, cum ab iis Principibus bellum provinciæ ſuæ inferri animadverteret, quorum Illuſtrem familiam Regiæ ſuæ familiæ per affinitatem Majeſtas ipſius ideo potiſſimum conjungebat, ut ad fortuitos omnes caſus & eventus hoc neceſſitudi-

nis præsidio munita paratior instructiorque esse videretur, tamen quod Illustritat. ipsius quidem attinet, ea semper Maj. sua de illa fuit spe & opinione, illam consiliis istis acerbis & ab affinitatis desiderio alienis, non modo non faventem sed etiam adversam prorsus exstitisse. Neque enim oblita erat Majestas sua, quid ad se prioribus Legationibus ab Illustr. ipsius adferretur, cum nomine quidem Ill. ipsius diceretur, ad cætera officia, quibus Ill. sua desiderium affinitatis cum Regia ista Majestate testari se velle demonstrabat, etiam illud esse addituram, ut omnis de Livonia controversia, quæ inter Majestatem illius & Sereniss. Sveciæ Regem intercedere videretur, amicis potius disceptationibus, quam bellicis tumultibus tolleretur. Quod se ita quidem dedisse operam nunc quoque Illustr. sua per vestras Dominat. commemorat, id quod sane Regiæ Majestati & maxime credibile & valde gratum est. Nihil est enim quod æque cupiat hoc tempore ab Illustri illa familia, quam causas omnes quam primum præcidi, ex quibus hæc ista affinitas non optima fide contracta aut expetita videri aut existimari possit; cujus quidem obtinendæ rei quoniam Illustritas sua conditiones ex Majestate regia cognoscere se cupere significat, eas quidem & perfaciles & maxime honestas hac schedula Majestas sua Dominationes vestras jussit proponere, quæ illas deinde Illustr. suo Principi exponant.

De expectatione quoque adventus Illustr. Domini Ostrogotiæ Ducis intellexit Majestas sua, quæ

quæ per vestras Dominat. commemorata fuerunt, eaque etiam in eam partem accipit, in quam cupivit Dom. vestra. Hunc adventum ipsius Illustr. Dominus Finlandiæ Dux interim præstolabitur, ut ne quid de istis pactis & conditionibus recedatur, quæ dudum in hoc genere propositæ a sua Majestate firmatæ fuerunt; Neque enim quicquam de junioris Illustr. sororis nuptiis constituere Majestatem suam fas est, antequam de majoris natu nuptiis constitutum ac peractum fuerit. Præstolari autem siquidem Illustritati suæ Gedani commodum visum non fuerit, poterit Heilsbergam, quemadmodum per Vestram Dominationem a Majestate sua quæsierat se conferre, si modo id ab ejus loci administratore, qui absentis Episcopi vices gerit, Illustr. suæ concessum fuerit. De quo quidem Regia sua Majestas per literas administratorem ipsum compellabit diligenter.

De pecunia etiam missa pergratum est Regiæ Majestati. De pignorandis autem eo nomine Livoniæ arcibus, etsi eas quidem arces, quas Majestas sua nominat, oppignorare Majestas sua non possit, quod ex quidem Illustr. suæ non magnum commodum allaturæ videantur, Maj. autem Regiæ ad rerum quarundam commoditatem oportunissimæ sint. Tamen in hac quoque altera scheda alias arces, bonitate sane illis æquales, Majestas sua Illustr. suæ proponit, ut ex iis, quas voluerit, sumere eligereque possit. Quod cum factum fuerit, in obligatione quidem nullam moram Majestas sua intervenire patietur, quemadmodum

dum ſane coram omnibus de rebus rectius cum Illuſtr. ſua ſtatui poterit.

Conditiones Pacis cum Sereniſſimo D. Sveciæ Rege ineundæ propoſitæ a Majeſtate Regia Oratori Illuſtriſſimi D. Ducis Finlandiæ.

Inter cætera legationis ſuæ capita poſtulaverat Dominat. veſtra Illuſtriſſimi Principis ſui nomine, ut Sacratiſſima Regia hæc Majeſtas ad ſtudium pacis cum Sereniſſimo Sveciæ Rege ſe convertat, conditionesque proponat, quibus ſe Majeſtas ſua ad illud adduci poſſe oſtendat, & demonſtret Illuſtriſſimum ſuum Principem ſe interpoſiturum, ut omnis diſſidiorum cauſa ſublata eſſe ſua opera videatur. In quo etſi Sacratiſſima ſua Majeſtas vereatur, ne omnes de pacificatione inter ſe & Sereniſſimum Sveciæ Regem conatus inanis & irritus fiat, ex eo, quod Sereniſſimus Sveciæ Rex bellum hoc ditionibus & populis Majeſtatis ipſius inferendo, urbes & agros vaſtando, arces & oppida quædam oppugnando, quædam intercipiendo, amicitiam Majeſtatis hujus Regiæ & eam neceſſitudinem, quæ Serenitati ipſius cum Majeſtate ſua etiam a divis utriusque majoribus intercedit, poſt habere plane videatur: Qui neque ulla laceſſitus Majeſtatis hujus injuria, neque indicta antea hoſtilitate, more & inſtituto non modo Chriſtianorum, verum etiam barbarorum Principum, infeſto exercitu provinciam Majeſtatis Regiæ invaſerit, quique deinde per tempus induciarum, quæ interceſſe-

Digitized by Google

cesserant, Pernoviam occupaverit ac multa propterea alia infesti atque hostilis animi indicia in Majestatem suam ediderit.

Tamen ut Majestas ipsius nunquam se a quietis consiliis abhorruisse vel orbi ipsi terrarum, si aliquando opus fuerit, possit demonstrare, deinde ut declaret simul, quanti faciat Illustr. D. Ducem Finlandiæ & eam affinitatem, cujus Illustr. ipsius tam cupida esse videtur, non recusat Majestas ipsius conditiones & quidem paucas easque æquissimas proponere, quibus ad eam constituendam pacem, cujus se studiosissimam Illustritas ipsius profitetur, perveniri posse videatur.

Primum igitur æquissimum esse putat Serenissima hæc Regia Majestas, ut Sereniſſimus Sveciæ Rex Livonia excedat, omnemque exercitum & præsidia sua inde deducat.

Deinde, ut vices & oppida intercepta cum suis territoriis Majestati suæ restituat omninoque Livonia abstineat.

Postremo ut damna sive Majestati suæ, sive subditis Majestatis ipsius illata resarciat.

Quod si quid est, in quo Serenitas ejus Ducem Curlandiæ accuset, de eo quidem apud Majestatem suam, tanquam apud dominum directum Livoniæ, jus suum persequitur; quod quidem illi Majestas sua citra omnem tergiversationem est redditura. Aut si suspectum Majestatis hujus Judicium existimet, deligat Seren. ejus arbitros, quorum arbitrio res dijudicari possit.

Quod si inter strepitum armorum difficilior es-

se

ſe pacis tractatio videatur, ne ab induciis quidem paciſcendis abhorrebit Majeſtas hæc Regia, quæ ſi ſancte utrinque obſervatæ fuerint, non dubitat Majeſtas ipſius de omni ratione concordiæ & pacificationis conſilia commodiſſima per id tempus iniri poſſe.

Hæ ſint conditiones quibus Majeſtas ſua negocium hoc tranſigi poſſe arbitratur. Neque dubitat quin etiam ab ipſo Illuſtriſſimo D. Finlandiæ Duce æquiſſimæ eſſe judicentur.

VII.

LITERÆ MAJESTATIS REGIÆ

Ad { ARCHIEPISCOPUM GNESNENS.
EPISCOPUM CRACOVIENS.
PALATINUM { CRACOVIENS. / POSNANIENS. / SENDOMIR.
CANCELLARIUM REGNI.

De conventiculis inſtituendis queritur & ut ea impediant hortatur, Comitia vero, antequam nuptiæ ſororum cum Ducibus Finlandiæ & Oſtrogothiæ peractæ eſſent, inſtitui commode non poſſe affirmat, quæ cum mox futuræ ſint, paratas interim ait Literas Comitiales cupitque de loco comitiis oportuno interea deliberari.

Sigismundus Auguſtus &c. &c.

REver. In Chriſto Pater ſyncere nobis dilecte. Perfertur ad nos quosdam ex Nobilitate Regni noſtri conventiculis celebrandis animum adjo

adjeciſſe, quæ quidem Sendomiriæ ad diem Divo Laurentio Sacrum indicta jam & conſtituta haberi dicuntur, per ſpeciem exaudiendæ legationis Nunciorum ſuorum, qui ex Conventu proximo Minoris Poloniæ ab iis ad nos miſſi ac deſignati fuerunt. Quod illorum ſtudium eo jam progreſſum eſſe dicitur, ut Senatores quoque nonnulli ad ea Conventicula convocentur. Quæ res nobis ſane permoleſta accidit, ex eo vel maxime, quod contra & patrias & omnium Rerumpubl. recte conſtitutarum leges ac inſtituta tentari videatur. Quamobrem S. veſtram hortamur, ut quemadmodum Senatorem & Cuſtodem legum publicarum decet, huic malo occurrere atque obviam ire velit, ut ne quid fiat, vel contra inſtituta majorum noſtrorum & leges publicas, quibus ſevere hujusmodi cætus prohibentur: vel quod dignitatem noſtram offendere poſſe videatur. Ac intelligimus nos quidem eas eſſe regni noſtri rationes, ut Comitiis inprimis opus habere videantur, in quibus de ſumma Reip. referri & conſilia in commune conferri poſſint. Feciſſemusque jampridem pro noſtra in Remp. optima voluntate, ne id, quod tantopere neceſſarium eſſe intelligimus, tamdiu a nobis Respubl. expectare ac deſiderare videatur, niſi ſtudium in hoc genere & voluntatem noſtram una illa ratio hactenus retardaret, quod nuptiæ Illuſtriſſimarum Sororum noſtrarum indies expectentur, in quibus & nobis & Reipubl. noſtræ tantum momentum eſſe conſtitutum exiſtimamus, ut iis transactis maxima de noſtro & Reipubli-

publicæ onere levatio facta esse videatur. Quæ sane exitum jam quoque suum facile consequentur, si is modo, qui Gedani ab Illustr. fratre Domino Finlandiæ Duce jampridem expectatur, Illustris Dominus Ostrogothiæ Dux, quorum utrisque connubia Illustrissimarum sororum nostrarum pacti sumus, advenerit: quod quidem propediem speramus & optamus. Etsi autem propter ejus temporis incertitudinem nullus adhuc certus Comitiis dies constitui a nobis posse videatur, ut tamen intelligi possit, quo studio ac desiderio feramur ad ea quoque tempore indicenda, interim dum ea, quæ in propinqua expectatione sunt, conficiuntur, literas Comitiales de more ad omnes regni nostri ordines in tempore jam scribi mandavimus, ut ad primum nuptiarum & certum aliquem nuncium Comitia pro arbitrio indicere possimus, nec moras eas expectare necesse habeamus, dum literæ, quæ suum quoque tempus solent absumere, conscribuntur aut excuduntur. Quas ipsas etiam literas ut opinamur primo quoque tempore publicari jubebimus, inita nobiscum subductaque ratione ejus temporis, ad quod & Illustrissimus D. Ostrogothiæ Dux venire & nuptiæ recte expediri posse videantur. De loco modo Comitiorum S. Vestram interea deliberare volumus, ut quandoquidem Petricoviam, qui locus legibus nostris Comitiis est destinatus, Lituaniæ legatos, qui causam unionis in Comitiis tractent, perducere nos posse non existimemus, nec ipsi omnino tam longe a Lituania sine metu vicini alicujus periculi abesse valeamus,

Digitized by Google

leamus, an Varsavia commode iis rebus designari possit, ex sententia S. V. quamprimum intelligamus. Nobis enim sane ea Civitas cum ex iis, quas strictim attigimus, rationibus, tum ex eo quoque, quod in eam plurimi Senatorum nostrorum, quorum sententias superiore tempore exquisivimus, suffragiis suis inclinent, videtur esse quam maxime oportuna. De quo ut S. Vestra quid sentiat, ad nos confestim, prius scilicet quam literas Comitiales in publicum emitti jusserimus, perscribat, illam etiam atque etiam hortamur. Quæ bene valeat. Datum Vilnæ 1 August.

VIII.

INJECTUM IN LITERAS ARCHIEPISCOPI DATAS CAL. AUGUSTI.

Collegium Wladislaviensis Ecclesiæ in solutione pecuniæ inter milites distribuendæ tergiversari queritur, cum vero novum a Valachis periculum immineat Podoliæ eoque opus illa milite habeat, Archiepiscopum, ut solutionem urgeat, hortatur.

DE Contributione nostra factum est a reliquarum Ecclesiarum Collegiis secundum mandata nostra. Attributa enim omnis pecunia est ei, cui jussimus, Venerabili Dionysio Serrigniewski Canonico Cracoviensi. Nunc adfertur ad nos collegium Wladislaviensis Ecclesiæ in mora esse, quo minus universa illa contributionis Ec-

cleſiaſticæ pecunia, in fiſcum noſtrum illata, in militem mercenarium, quemadmodum imperavimus, effundatur. Quo quidem milite nunc vel maxime terræ noſtræ Podoliæ opus habere videntur, cum in Valachia motus rurſus inter Alexandrum & Deſpotem Palatinos exoriri dicantur de ejꝰ provinciæ imperio tum retinendo, tum recuperando. Monuimus nos autem Venerabile illud Uladislavienſe Collegium per literas noſtras, ut pecuniam contributam Venerabili Dionyſio Serrignievvski repræſentet. Id quoniam ab iis factum non eſt, hortamur S. Veſtram, ut eos item nomine ſuo diligenter de eo admoneat.

IX.

INJECTUM IN LITERAS D. CANCELLARII.

Si Varſavia Comitiis deſignari ſine animorum offenſione non poſſet, a Petricovia urbe ſe non abhorrere inſinuat.

SI exiſtimat S. V. fore, ut in Varſavia Comitiis deſignanda animos hominum propterea offendere, vel eas conſultationes, quas de Republ. ſuſcepturi ſumus, inficere poſſe videamur, nos fortaſſe etiam Petricoviam, ſi aliter fieri non poſſet, excurrere non gravaremur. Sed id tamen, quoniam ſoli S. V. ſcribimus, volumus quoque ut nobiscum tantum de eo ſententiam ſuam communicet S. Veſtra.

EPI-

Digitized by Google

X.

EPISCOPO PRZEMISLIENSI.

Hortatur Episcopum, ne nomine Poloniæ ad Concilium Tridentinum proficiſci quamprimum dedignetur, de ſumptibus ipſi abunde fore proſpectum adfirmans.

REverende in Chriſto Pr. S. N. D. Perfertur ad nos Sacro-Sanctum hoc Concilium Tridentinum omnium pene gentium ac nationum concurſu indies magis ac magis frequentari, noſtrum autem regnique noſtri Oratorem in illa orbis terrarum celebritate deſiderari. Qua de re cum & ſanctæ ſedis Apoſtol. & nonnullorum primi nominis conſiliariorum noſtrorum literis ſæpe admoniti eſſemus, faciendum nobis tandem pro fide & officio noſtro exiſtimavimus, ut ne communibus religionis ac Reip. Chriſtianæ negotiis deeſſe amplius videamur. Quamobrem S. Veſtram hortamur, de cujus vita ac doctrina optime nobis perſvademus, ut jam nunc quidem rationes ſuas ita componat, ut poſſit primo quoque tempore noſtro regnique noſtri nomine ad illud Concilium proficiſci. De ſumptu, quandoquidem S. V. cenſus longe inferiores eſſe perſpicimus, quam ut rebus tantis ſufficere poſſe videantur, exiſtimamus Reverendos dominos regni noſtri Epiſcopos, quorum alioqui animus eſt ad ejusmodi concilia proficiſci, S. Veſtræ communi conſilio eſſe proſpecturos. Quemadmodum ſane jam de præclara in hoc genere voluntate Reverendiſſimi Domini Archi-Epiſcopi &

Reverendi D. Wladislavienſi deſignatorum ac Reverendi Domini Epiſc. Camerin. & Legati Apoſtolici ad nos eſt allatum. Quorum ſtudium, ut credimus, reliqui etiam D. Epiſcopi non inviti imitabuntur. Veſtra modo S. ad iter ſe per id tempus apparabit, ut profectionem ſuam poſſit maturare. Quæ bene valeat. Datum Cal. Auguſti.

XI.

PALATINO VALACHIÆ.

Iteratam Palatini excuſationem ob tranſitum admittit & gratam profitetur ſibi eſſe auxilii adverſus Moſcos oblationem; quod tamen cum hac anni tempeſtate ſerum exiſtimet, promittit ſe ſignificaturum, ſi opus eo habeat anno ſequenti, tum & curaturum, ut de ablatis nuper tormentis inquiſitio fiat.

MAgnifice Domine Amice & Vicine ſincere n. d. De tranſitu S. Veſtræ per regnum noſtrum in iſtas ditiones, alias jam S. V. reſpondimus. Equidem ſtudio publicæ tranquillitatis lento animo ferendum exiſtimamus. Quod autem S. Veſtra ejus rei memorem ſe & gratum eſſe teſtatur, deferendis nobis auxiliis copiarum ſuarum adverſus Moſchorum Principem, pergratum eſt nobis. Verum cum æſtas inclinet & anni tempus ſuccedat bello gerendo alienum, non videmur hoc quidem tempore auxiliis S. V. aut indigere aut commode uti poſſe. Primo vere, ſi iis opus habuerimus, non

non dubitabimus ea advocare Veſtramque S. de eo mature per literas noſtras certiorem facere, quam confidimus nobis non eſſe defuturam. De bellicis tormentis S. Veſtræ anno ſuperiore in regno noſtro interceptis difficile quicquam hoc tempore conſtituere poſſumus. In illo enim tranſitu S. Veſtræ cum omnia per tumultum a limitaneis noſtris militibus gererentur, perdifficilis eſt rerum ablatarum inveſtigatio, cum alter in alterum culpam referat, omnes autem jus belli prætendant & eas conſvetudines militares, quas S. Veſtra non ignorat. Nos tamen de omnibus inquiri diligenter jubebimus & quantum maxime poterimus S. Veſtræ gratificari ſtudebimus. Quæ bene valeat. Datum 7 Auguſti.

XII.

REGI SVECIAE.

Novum legatum ad transactionem pacis procurandam poſtulanti mittit Regi, eumque benigne audiri cupit, Regemque admonet, ut ſe pacis ſtudioſum ut verbis ita re ipſa quoque demonſtret.

S. Auguſtus &c. Sereniſſimo Principi Domino Erico Decimo Quarto eadem gratia Svecorum, Gothorum Vandalorumque Regi, fratri & Amico noſtro chariſſimo Salutem mutuique amoris continuum incrementum. Serenisſime Princeps, domine frater & amice noſter chariſſime. Quod a nobis Serenitas Veſtra per proximas & ſuperiores literas mitti ad ſe nuncium cum mandatis ad

transactionem pacis poſtulavit: etſi cum ſtatim poſt ſuperiores literas Magnificum Comitem a Tencrin ad eas res deſignaviſſemus, Pernovico tumultu interturbata res fuit. Tamen nunc item, ne quid in nobis, quod ad pacificandas Livoniæ rationes pertineat, deſiderari videatur, Generoſum Paulum Chmieliovvski Secretarium noſtrum mittimus. Cui quoniam cum Serenitate Veſtra agere noſtro nomine nonnihil commiſimus, a S. Veſtra petimus, ut eum benigne audiat, ad easque res, quas conſervandæ mutuæ amicitiæ ac publicæ tranquillitatis cauſa poſtulari nomine noſtro intellexerit, ita ſe accommodet, ut tam noſtri viciſſim quam pacis communis ſtudioſam ſe eſſe ex animo declaret & demonſtret. Quod illam ſane, quemadmodum per literas promittit, facturam eſſe magnopere confidimus. Serenitatem Veſtram optime valere cupimus eique fauſta ac felicia omnia optamus: Datum 15 Auguſti.

XIII.

CAESAREAE MAJESTATI.

Commendat legatum Cæſareum; de pacanda Hungaria ſe maxime profitetur ſollicitum, & operam ſe daturum ſpondet, ut Nepos ſe in officio contineat.

SEreniſſimo ac Excellentiſſimo Principi & Domino Ferdinando Regi, Principi noſtro chariſſimo ac honoratiſſimo Sigismundus Rex ſalutem. Revertitur ex aula noſtra ad Majeſtatem Veſtram Gene-

Generoſus Valentinus Saurman, Orator Majeſtatis Veſtræ. Qui quoniam toto eo tempore, quo legatione Majeſtatis Veſtræ apud nos functus eſt, & fidem nobis & induſtriam & diligentiam in rebus Majeſtatis Veſtræ magnopere probavit, facere recte non potuimus, quin has ipſius virtutes Maj. Veſtræ commendaremus. Rogamus itaque Majeſtatem Veſtram, ut eum ad ſe revertentem clementer complectatur. Juſſimus autem in ipſo fere ejus diſceſſu exhiberi illi literas Sereniſſimi Nepotis noſtri, ex quibus intelligeret Serenitatem ejus optima fide cum Majeſtate Veſtra agere. Cum enim ad nos de judiciis Aprilibus, deque poſtulatis quibusdam ſuis a Majeſtate Veſtra recentibus perſcripſiſſet, petit ut & poſtulata Serenitatis ipſius apud Majeſtatem Veſtram adjuvemus, & de pacificanda Hungaria cogitemus. Ac de poſtulatis quidem alias videbimus. Allatum enim ad nos eſt Secretarium Majeſtatis ejus cum reſponſo ad ea Majeſt. Veſtræ jam inde diſceſſiſſe. Nunc a Majeſtate Veſtra magnopere petimus, ut ſalute, pace ac tranquillitate Regni illius Hungariæ nihil apud ſe prius eſſe patiatur. Nos quidem recte, quod in nobis erit, daturi ſumus per id inducia-rum tempus operam, ut Sereniſſimus Nepos noſter ſeſe in officio, adverſus Majeſtatem Veſtram, contineat, & quieta conſilia turbulentis anteponat: Ac denique ſuæ dominorumque ſuorum paci & ſaluti in omne futurum tempus & conſultat ipſe & ab aliis conſuli patiatur. Quamobrem ſi Majeſtati Veſtræ communibus Commiſſariis ejus rei

ſummam committere viſum fuerit noſtrosque item Commiſſarios una adeſſe placuerit, perficiemus, ut ſi modo de loco & tempore cognitum habuerimus, nihil in nobis ad tantarum rerum tamque ſalutarium conficiendarum curam atque ſtudium deſiderari videatur. Bene valere Majeſtatem Veſtram cupimus, eique ſtudium & amorem noſtrum iterum atque iterum commendamus. Datum 8 Auguſti.

XIV.

CAESAREAE MAJESTATI.

Iterum a Cæſare pacis conficiendæ conditiones proponi cupit, & ſuam operam pollicetur & Poſtarum curam præfecto Cæſareo ſe demandaſſe nuntiat.

ACcepimus non ita pridem a Sereniſſimo Domino Nepote noſtro ex Tranſylvania literas, quibus nos Serenitas ejus de pactis cum Majeſtate Veſtra annuis induciis certiores facit, a nobisque petit, ut & nunc quidem apud Majeſtatem Veſtram quædam poſtulata Serenitatis ejus adjuvemus, & deinceps durantibus induciis in pacificationem Serenitatis ejus cum Majeſtate Veſtra incumbamus. Eas nos literas diſcedenti a nobis Generoſo Valentino Saurman Majeſtatis Veſtræ Oratori exhiberi juſſimus, ut videret is quoque, quam ſincere & optimo animo agat Sereniſſimus Nepos noſter cum Majeſtate Veſtra, contraque Serenitatem ejus ad Majeſtatem Veſtram deferri intelleximus.

Mitti-

Mittimus autem quoque exemplum illarum venerabili Oratori noſtro, ut ſi voluerit ipſa quoque Majeſtas Veſtra eadem perſpiciat & cognoſcat. Quamobrem dedimus per eundem Majeſtatis Veſtræ oratorem ad illam literas, quibus voluntatem ac ſtudium noſtrum in hoc genere Maj. Veſtræ declaravimus, ab illaque diligenter petiimus, ut hunc Sereniſſimi Nepotis noſtri animum ad pacem & tranquillitatem inclinatum Majeſtas V. ita accipiat, ut ſe quoque ejusdem tranquillitatis æque ſtudioſam eſſe nobis declaret & demonſtret. Quod nunc quoque a Maj. Veſtra iterum petimus. Et quoniam, ſi ita Majeſtati Veſtræ videbitur, conſtituimus Sereniſſimo Nepoti noſtro in re tam ſancta & Reip. Chriſtianæ ſalutari operam noſtram non denegare, cuperemus inprimis Majeſtatis Veſtræ ſententiam cognoſcere, quid animi quidve conſilii de hac re tota habeat, & numquid ad ejus pacis tractationem legatos ſuos deſignare & quem locum quodque tempus iis rebus conſtituere ac præfinire velit, ut quandoquidem a pactis induciis quartus jam fere menſis, nullis ne tentatis quidem pacis conſtituendæ rationibus, præteriit, tanto utilius hoc reliquum tempus poni poſſit, quanto citius de animo & voluntate Majeſtatis Veſtræ cognitum habuerimus & perſpectum. Interea tamen ſi Majeſtas Veſtra eas urbes, quas Sereniſſimus Nepos noſter ab illa flagitat, reſtituendas ſibi eſſe, niſi ante de controverſiis omnibus cognoſcatur & tranſigatur, non exiſtimat, (in quo nos tamen pro Serenisſimo Nepote noſtro gratiam

atque benevolentiam Majeſtatis Veſtræ, quod ſine ipſius præjudicio fiat, imploramus) magnopere a Majeſtate Veſtra petimus, ita ut illas præſidiis omnique bellico apparatu firmari jubeat, ut ne quid ditionibus noſtris periculi a Turcis inferatur.

Poſtam noſtram, ſecundum quod Majeſtatem Veſtram velle videbamus, Præfecto Poſtarum ipſius commiſimus. In quo etſi ex ſubditis noſtris non deerant, qui id officii a nobis expoſcerent, tamen nos quidem Majeſtati Veſtræ fidem & diligentiam Præfecti Poſtarum ſuarum apud nos commendanti præ cæteris aſſenſimus eiusq; rei fructum nos eſſe promiſſum percepturos confidimus. Majeſtatem Veſtram ſalvam & incolumem optamus eique ſtudia & obſequia noſtra commendamus. Datum 8 Auguſti.

XV.

REGI BOHOEMIAE.

Hortatur ut in propoſito pacandi cum Nepote ſuo Cæſaris perſiſtat, & pertentato oportune Cæſaris animo ſibi ocius nuntiet, quibus modis pax fieri poſſit, quod ei futurum putat maxime glorioſum.

SErenisſimus Auguſtus Rex Serenisſimo Principi Domino Maximiliano Regi. Serenisſime Princeps, Domine frater & Conſangvinee noſter charisſime. Accepimus inter Cæſaream Majeſtatem, noſtrum & Serenitatis Veſtræ parentem cha-

charisſimum ac ſerenisſimum D. Nepotem noſtrum, inducias ſummo Serenitatis Veſtræ ſtudio pactas eſſe proximo Aprili annuas. Quæ res nobis, cum ſua ſponte, tum nomine etiam Serenitatis Veſtræ, quæ ex eo facto magnam optimæ ſuæ voluntatis in Remp. Chriſtianam laudem cepit, jucundisſima exſtitit. Verum quoniam earum induciarum ille demum maximus fructus erit, ſi unquam inter eos principes ulla ſtabilis & æterna pax coierit, ob cujus inprimis rei tractandæ facultatem, tantopere induciæ iſtæ ſermonibus hominum celebrantur, Serenitatem Veſtram fraterne hortandam eſſe duximus, ne in hoc quaſi primo ejus laudis gradu conſiſtendum ſibi eſſe exiſtimet, ut obtentis induciis conquieſcat, ſed pergat porro & hac ſemel bene geſtæ rei facultate inſtructa etiam reliqua adgrediatur, deque pacis perpetuo conſtituendæ conditionibus ipſum Cæſ. Majeſtatis animum oportune pertentet, nobiscumque communicet. Erit id Seren. Veſtræ tum apud nos tum ubique gentium glorioſum. Nos autem quoque inclinatum jam ad pacem Sereniſſimi Nepotis noſtri animum in eodem ſtudio retinebimus, illique honeſtæ tranquillitatis autores erimus. Meminerit modo Serenitas Veſtra aliquanto maturandum id negotium eſſe, ut quatuor jam menſes a conſtitutis induciis præterlapſi diligentia noſtra in reliquum ſarciantur. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus eique fraternum noſtrum amorem commendamus: Datum 8 Auguſti.

XVI.

XVI.

PRAESCRIPTUM RERUM GERENDARUM GENEROSO HENRICO DUNIN, AULICO NOSTRO IN PRUSSIAM PROFECTURO. Datum 9 Aug. 1562.

Inſtruit legatum de iis, quæ cum Duce Finlandiæ agi poſſint, ut circa promiſſas ſummas, tum & conveniendi locum, atque alia, nec non de poſtulando a Gedanenſibus quinquaginta millium mutuo.

NUncius noſter cum ad Illuſtriſſimum D. Finlandiæ Ducem pervenerit, fauſta omnia & felicia Illuſtr. ejus nomine noſtro precabitur, ſtudiaque & officia noſtra omnia deferet, Amico noſtro & vicino chariſſimo.

Deinde dicet.

Nos ſæpenumero cum literis tum Nunciis Senatorum reliquorumque omnium regni noſtri Ordinum interpellatos eſſe, ut cum Reip. noſtræ maxime arduis negociis aliter, niſi præſentia ipſa noſtra, provideri non poſſit, in Regnum tandem noſtrum venire ne gravaremur: deliberationem una cum omnibus Regni illius ordinibus indictis, maximis Comitiis, ſuſcepturi, quanam potiſſimum via atque ratione Reipubl. conſulatur.

Quorum nos poſtulatis hactenus propter expectationem maxime optatiſimi ad nos adventus Illuſtriſſimi Domini Oſtrogothiæ Ducis, fratris Illuſtriſſimi Domini Finlandiæ Ducis, ſatisfacere diſtuliſſe, dum indies aut ipſam Illuſtritat. ejus aut

Illuſtr.

Illuſtr. ſuæ Nuncios venturos ſperamus, qui inchoatas de Illuſtriſſimarum Sororum noſtrarum connubio res, tractatione ac reliqua omni ſolennitate de more adhibita perficiant.

Cum autem ne propterea quidem ordines Poloniæ precibus ac interpellationibus fatigare nos deſiſtant, ut augeſcentibus indies magis atque magis regni negociis pro officio noſtro provideamus; cumque Reipubl. ipſi præſentiam noſtram tantopere requirenti nimium diu deeſſe poſſe non videamur, faciendum nobis exiſtimaviſſe, ut miſſo ac ablegato ad Illuſtr. D. Finlandiæ Ducem, nuncio ex Illuſtritatis ejus opinione atque ſententia de tempore adventus Illuſtriſſimi D. Oſtrogothiæ Ducis aliquid cognoſcamus. Ut inde Comitiorum quoque indicendorum noſtrorum tempus moderari, Senatoribusque noſtris ſignificare poſſimus.

Poſtulabit igitur Nuncius noſter, ut Illuſtritas ſua, ſi quid de adventu Illuſtriſſimi D. Oſtrogothiæ Ducis aut Illuſtritatis ejus Nunciorum cognitum interea habuerit & perſpectum, nos quoque ipſos certiores faciat. Graviſſimas etiam noſtras deliberationes ejus rei ſpe atque expectatione ſuſpenſas eſſe. Dicet deinde, accepiſſe nos, commorationem Gedanenſem non ſatis ex animo eſſe Illuſtritati ejus, quæ maximo cõveniendi noſtri deſiderio teneatur. Quamobrem ut in eo quoque Illuſtritati ejus gratificemur, non recuſare nos, quo minus Illuſtritas ejus, ſi ita libuerit, ad Magnũ noſtrum Lituaniæ Ducatum veniat ſeque in oppidum Caunum

no reducat, quo & nos ipsi ad maxime optatos Illustritatis ejus amplexus sumus non inviti excursuri.

Præterea admonebit Illustritat. ejus oportune, ultra illa aliquoties centum millia talerorum, quæ nobis mutua ab initio pene omnium tractationum Illustritas ejus per Nuncium appromiserat, fuisse nobis non ita pridem centum millia mutua ab Illustritate ejus repromissa.

Nos tamen ultra quinquaginta millia nihil amplius recepisse, quod quidem ex Chirographo nostro constare potest.

Postulabit igitur, ut reliqua quinquaginta millia nobis Illustritas ejus, quam primum poterit, mittat.

Nos etiam in cavendo Illustritati ejus de summa universa nullam moram interposituros esse.

Ad ea autem omnia Generosissimum Comitem in Tenczyn secum adhibebit Nuncius noster, & communi illius opera atque consilio omnia administrabit.

Communicabit etiam eadem, commoditate & dexteritate adhibita cum Generoso Ezechia Gippel Illustritatis ipsius ad nos Internuncio: ut eo adjutore rebus nostris quam maxime commodetur.

Reliqua fidei & prudentiæ Nuncii permittuntur.

Quoniam autem fertur hominum rumoribus, Illustritatem ejus Gedano jam sine multo aut longo apparatu discessisse. Siquidem Illustritatem ejus Nuncius noster Gedani non repererit, perquiret dili

diligenter, quonam Illuſtritas ejus, & quo animo, aut etiam qua de cauſa profecta ſit. Quicquid autem intellexerit, id ad nos, ut quamprimum literis ejus perferatur, dabit operam.

Aget denique cum Magiſtratu Civitatis noſtræ Gedanenſis, redditis fidei literis, ac delata ad eos gratia noſtra, ut nobis ad tot ac tantas Reipubl. neceſſitates, quibus hoc tempore diſtinemur, quinquaginta millibus mutuis præſto eſſe velint.

Nos autem de ea ſumma & literis & bonis noſtris ſive in Pruſſia ſive in Lituania obligandis, cauturos ipſis eſſe.

XVII.

JOHANN COMITI IN TENCZIN.

Ut Chmieliowſkium in pacanda controverſia Svecica conſilio & auctoritate adjuvet, hortatur Rex.

GEneroſe, fidelis dilecte. Mittimus Paulum Chmieliovvsky ad Sereniſſimum Sueciæ Regem in negotiis, quæ ex inſtructione ipſius F. tua cognoſcet. Juſſimus autem, ut hæc & reliqua omnia, de quibus mittitur, cum F. tua communicet, ex ipſiusque conſilio omnia adminiſtret. Quamobrem ſi F. tuæ eadem iſta ad Illuſtriſſimum quoque Dominum Finlandiæ Ducem deferenda videbuntur, erit id in arbitrio ipſius F. tuæ. Quin etiam ſi res noſtra, judicio F. tuæ, requirere videbuntur, ut ad tractandas agendasque eas aut F. ipſa tua, aut quisque alius cum Chmieliovvski in

Sveci-

Sveciam proficiſcatur, de eo quidem, ut ad nos quam celerrime F. tua ſententiam ſuam perſcribat, magnopere volumus & mandamus. Cum enim magnitudinem rerum gerendarum perpendimus, facile ipſi quoque intelligimus, etſi in Chmieliovvski peritia primum cauſæ iſtius noſtræ, deinde induſtria quoque exiſtat, auctoritatem tamen illi profecto deeſſe ad res tantas conſtituendas, quæ ſunt controverſiis regum & regnorum implicatæ. Quamobrem ſi F. tua aut ſua ipſius opera, aut alterius cujuscunque ultra Chmieliovvski, ad res noſtras opus eſſe exiſtimaverit, nobis, ut diximus, e veſtigio ſignificabit, ipſum autem Chmieliovvski, dum nos ad ipſius F. tuæ literas reſpondemus, iſtic detinebit.

XVIII.

DUCI FINLANDIÆ.

Miratur & immenſum dolet Ducem eo adductum eſſe a malevolis, ut Regi diffiſus repente maritimo itinere reverſus ſit Gedano, & multa de fide ſua & amore præfatus eum iterum invitat, miſſis etiam, ne quid doli ſuſpicari poſſet, ſalvi conductus litteris.

ILluſtriſsime Princeps & Domine, amice chariſſime & honorande. Accepimus Illuſtritatem Veſtram malevolorum quorundam ſermonibus perſvaſam, omnem pene de benevolentia conſtantiaque noſtra fiduciam deponere, ſuisque rebus non ſine metus atque trepidationis indicio ſummo, conſulere cœpiſſe, Gedanoque præpro-

pere

pere diſcesſiſſe, atque fortunas ſuas omnes mari commiſiſſe. Quæ res nobis cum admirationem ſummam, tum dolorem quoque incredibilem attulit. Etenim cum omnium Dominiorum noſtrorum rationes eæ ſint, ut in iis omni hominum generi tutiſſimus ſemper receptus patuerit, cumque Respublica hæc noſtra, peculiari ſua quadam conditione, afflictis Regum ac Principum fortunis refugium antea extiterit, non potuimus non vehementer commoveri, cum de trepidatione ac diſceſſu nuncium accepiſſemus Illuſtritat. Veſtræ, cui nos non ſolum communi hoſpitis nomine, ſed etiam privatim expetitæ & promiſſæ affinitatis, datæque adeo & acceptæ mutuæ pecuniæ, non ſolum tutum & ſecurum, ſed etiam gratum & jucundum hoſpitium præſtare debuiſſe intelligimus. Ac oportet vehementer hominem non ſolum fuiſſe improbum, ſed etiam nominis & exiſtimationis noſtræ inimicum, qui nos quidem in hanc tantam inhumanitatis ac ingratitudinis ſuſpicionem, Illuſtritatem autem Veſtram in tantum metum adduxit, ut neceſſe fuerit Illuſtritati Veſtræ ad eas rationes conſervandi ſui decurrere. Nos enim ſane dum cauſas perquirimus, quibus eo adduci Illuſtritas Veſtra videtur potuiſſe, nullas eſſe tantas reperimus, niſi eſſent improbi cujuspiam ac nefarii hominis fraudibus exacerbatæ. Nam quæ inter nos quidem adhuc acta ſunt, in iis arbitramur Illuſtritati Veſtræ prorſus eſſe ſatisfactum. Nam & adventum Illuſtritatis Veſtræ non modo cum excuſatione, ut ipſa volebat, ſed etiam cum vo-

luptate accepimus, fratris autem ipſius cum magno noſtro deſiderio exſpectare ſignificavimus. De pecunia gratum nobis fuiſſe ipſius officium ſcripſimus, cautionem nos eſſe ex ipſius Illuſtritatis Veſtræ arbitrio daturos promiſimus, in omnibusque Internuntio ipſius ſatisfecimus: cujus conſilio cautionem de pecunia, quam alioqui confeſtim facturi eramus, in mutuum congreſſum noſtrum diſtulimus. De Helbergenſi hoſpitio etiam diligenter providimus, & ſi quid eſſet, quod præterea in reſponſo noſtro deſideretur, id nos ex ſententia Illuſtritat. Veſt. fuiſſe immutaturos adſcribi juſſimus: ſicut ex exemplis litterarum & reſponſi noſtri, quæ ad Illuſtritatem Veſtram mittimus, Illuſtritas Veſtra cognoſcet. Quod cum ita ſit, omnia fraudi atque ſceleri hominum tribuimus, quæ in hac Illuſtritatis Veſtræ perturbatione animi contigerunt. Nos enim plane ad omnia erga Illuſtritatem Veſtram amica & fraterna officia, comparabamus tunc quidem & adhuc comparamus. Quamobrem ab illa diligenter & magnopere petimus, deponat hos omnes inanes metus atque ſuſpiciones, ad urbesque & regiones noſtras, ſi illi videbitur, non ſolum tranquillo, ſed etiam lætiſſimo animo redeat, nec nobis tantam inhumanitatis noſtræ opinionem apud exteras gentes excitet, ut qui alieniſſimum & barbariſſimum quemque excipere in Regno terrisque noſtris benigne ſolemus, hi & vicinum & amicum & Illuſtrem inprimis Principem excipere aut noluiſſe aut neſciviſſe videamur. Illuſtritas modo

Veſtra

Veſtra verbo magis & ſermoni noſtro Regio confidat, quam ſceleſtorum illorum, quicumque ſunt, ſermonibus. Promittimus enim illi omnia veri, vicini, amici, Regis atque fratris officia. In quo ne quid ſit plane quod dubitare poſſit, etſi magnopere dolemus eo rem fraudibus hominum malevolorum perductam eſſe, ut nobis inter nos ſalvis conductibus opus fuerit, tamen eas quoque publicæ fidei literas, quam poteſt, ampliſſime perſcriptas Illuſtritati Veſtræ mittimus, ne quid prorſus dubitet, quo minus, ſi voluerit, redeundum ſibi ad nos eſſe exiſtimet. Quod ſi autem Illuſtritati Veſtræ mutuum noſtrum congreſſum in proximum ver, propter Illuſtr. Domini Fratris abſentiam, differre placuerit, erit id in arbitrio Illuſtritatis Veſtræ. Nos quidem certe quamprimum in maxime optatos Illuſtritatis Veſtræ complexus pervenire cuperemus. De pecunia mutuo accepta promittimus Illuſtritati Veſtr. bona fide nos in bonis noſtris obligationem facturos eſſe, cum primum una convenerimus ex arbitrio Illuſtritatis Veſtræ. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Dat. XI Auguſti.

XIX.

DUCI FINLANDIÆ.

Ejusdem ferme argumenti.

QUantum dolorem reperimus ex hoc tam repentino & præter expectationem noſtram receſſu Illuſtritatis Veſtræ, ex Internuntio noſtro, quem ipſum eodem die ad Illuſtritatem Veſtram miſi-

miſimus, Illuſtritas Veſtra cognoſcet. Quoniam autem is in conficiendo eo itinere eam celeritatem, quam nos vellemus, adhibere non poteſt, hunc cubicularium feſtinanter ad Illuſtritatem Veſtram ire juſimus, ut intelligat Illuſtritas Veſtra, nobis nihil tam præter ſpem hoc tempore accidere potuiſſe, quam id factum accidit. Cætera Internuntius ipſe Illuſtritati Veſtræ noſtro nomine renunciabit, deque noſtro erga illam animo & voluntate certiorem faciet. Quam bene valere optamus. Dat. XI Auguſti.

XX.

TURCARUM IMPERATORI.

Cum Palatino Valachiæ amicitiam ſe ſervaturum promittit, eidemque in privatis ſermonibus malæ Polonis minanti paria injungi vicinitatis officia ſerio poſtulat: quoad Mercatores gratis per Poloniam transmittendos & res quasdam alias ad voluntatem Cæſaris ſe componit.

SEreniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino Sultano Sulimano Sach &c. Sigismundus Auguſtus &c. Rex. Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps Domine, Frater, amice & vicine noſter char. & honoran. Quæ de Deſpote Vallachiæ Palatino Majeſtas Veſtra ad nos ſcribit, eſſe illi ſuoque maxime aſſenſu ejus Provinciæ præfecturam aſſignatam, ea intelleximus. Quamobrem etſi hactenus amicitia illius non magnopere nobis curæ fuit, donec videlicet quas partes ille ſequatur,

tur, ignoraverimus, nunc tamen cum illum in fide esse & patrocinio Majestatis Vestræ non ignoramus, dabimus operam, ut cum illo bonam vicinitatem, quod quidem in nobis erit, exerceamus. Postulamus autem a Majestate Vestra, ut illi quam maxime serio nomine suo edici jubeat, ut is quoque vicinitatis officia ex animo & diligenter sibi nobiscum colenda esse intelligat. Adfertur enim ad nos, cum privatis in sermonibus pericula subditis quibusdam nostris minitare consvesse, qui illum quidem propter autoritatem nostram cum exercitu per ditiones nostras in Valachiam proficiscentem, transitu prohibere conati fuerunt, quæ res sane est nobis permolesta. De Mercatoribus quos Majestas Vestra solet quotannis comparandarum rerum quarumdam causa in eas partes ablegare, gratum est nobis id quod Majestas Vestra facere constituit. Nos enim plane ea quæ ad usum ipsius Majestatis Vestræ emi & comparari ex literis ipsius & indicibus confectis intelleximus, summa nostra voluntate non solum tuto, sed etiam libere sine omni vectigali & portorio ad Majestatem Vestram deferri patiemur. Mercatorum autem ipsorum fraudibus occurri quam maxime jubebimus. Mehemetas, quem nobis Majestas Vestra commendat, nondum cum mercibus ex Moscovia rediit. Cum redierit, transitus ei quam maxime securos & expeditos præstabimus, literisque eum salvi conductus nostri muniemus. De rebus post mortem Achmatis Mercatoris relictis, jam pridem est a nostris hominibus fisco Majestatis

Veſtræ ſatisfactum, de quo arbitramur Majeſtatem Veſtram hactenus cognoviſſe. De Armeno autem Tochtamiſſo ſic fecimus. Cum ſcire, ubinam locorum is eſſet, qui eam pecuniam trium millium fiſco Majeſtatis Veſtræ deberet, non poſſemus litteras Mehemeto ipſi in Muſcoviam proficiſcenti dedimus, ut ſi forte illic ab eo reperiretur, poſſet legitime ob eam pecuniam in judicio conveniri. In regno noſtro ſi is unquam verſatus fuerit, facilius poterimus Majeſtati Veſtræ gratificari. Muſtaphæ Celibini ſtannum ex litteris primum Majeſtatis Veſtræ interceptum fuiſſe didicimus, cauſa autem ejus rei fuit, quod edicto publico prohibitum eſſet ſtannum ex regno exportari, nunc is cujus mandato interceptum fuit, diem ſuum obiit. Itaque ad heredes ipſius literas quamprimum dari juſſimus, ejusque ſtanni reſtitutionem ſerio mandavimus. Majeſtatem Veſtram optime valere cupimus, eique benevolentiam etiam atque etiam commendamus. Dat. XVIII Auguſti.

XXI.

TURCARUM IMPERATORIS FILIO.

Gaudet Rex de amore Principis, & amicitiam, quæ ingens bonum eſt, ſe ſervaturum prolixe pollicetur, deque mittendo ideo nuntio ſpem facit, & de ablato Muſtapho ſtanno, quod exportari e Polonia vetitum, inquiſiturum ſe promittit.

SEreniſſimo ac Excellentiſſimo Principi, Domino Sultan Selimo &c. Gratiſſimæ nobis fue-

runt

runt Serenitatis Veſtræ literæ pleniſſimæ amoris & benevolentiæ erga nos ſingularis. Cum enim omnis amicitia nos delectet, qua nihil in toto terrarum orbe præſtantius, humanoque generi ſalutarius inveniri poteſt, tum illa demum maxime nos afficit, cujus initia jam inde a majoribus repetuntur. Quamobrem cum & Divi Majores noſtri cum Majoribus Serenitatis Veſtræ & proxime Divus parens noſter cum Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principe Serenitatis Veſtræ patre amicitiam ſanctiſſime coluerint, ad nosque ipſos adeo jus ejus colendæ amicitiæ quaſi hæreditate transmiſerint, libenter in eo conquieſcimus: & quos nobis natura ejus amicitiæ heredes ac ſucceſſores deſignavit, eorum voluntatem erga nos propenſam & inclinatam plurimi facimus, ad eamque voluntatem viciſſim & amorem noſtrum aggregamus. Quod quidem ita eſſe jam pridem Serenitati Veſtræ ſignificare cupiebamus, ſed & illam in Aſia longius abfuiſſe intelligebamus, & nos quoque ipſi bello Moſcovitico aliisque Regni ac Reipublicæ noſtræ negotiis diſtinebamur. Nunc autem conſtituimus Nuncium noſtrum propediem eo mittere, qui de his deque cæteris omnibus rebus, ad mutuam amicitiam pertinentibus, Serenitatem Veſtram conveniat, ac fundamenta ejus amicitiæ ita conſtituat, ut ea quam maxime perpetua fore inter nos videatur. Muſtaphæ Celebini negotium, quod nobis Serenitas Veſtra commendat, provideri juſſimus, & quamquam is, cujus mandato eæ merces retentæ fuerunt, jam diem

ſuum obierit, tamen ad hæredes confeſtim litteras dari mandavimus, iisque reſtitutionem earum mercium ſerio imperavimus. Interceptæ autem eæ fuerunt propterea, quod edictis Regni noſtri publicis vetitum ſit ſtannum ex ditionibus noſtris exportari. Serenitatem Veſtram optime valere cupimus, eique interea benevolentiam noſtram commendamus. Dat. ut ſupra.

XXII.

ELECTO REGI HUNGARIÆ.

Ad pacem multis rationibus hortatur & poſtulata Regis iniquiora judicat, ſuam vero opem pollicetur & affinitatem cum Cæſare contrahi conſultum ducit, quod ſi fiat, de titulo Regis facilem futuram deliberationem ſperat.

SEren. Princeps, Domine Nepos noſter chariſſime. Quæ ad nos Serenitas Veſtra ſcribit de annuis pactis induciis cum Cæſ. Majeſtate, ea multo etiam antea rumor ipſe, atque adeo literæ nonnullorum ad nos attulerunt. Faxit Deus, ut ea res Serenitati Veſtræ Provinciæque & populis ipſius bene vertat. Quod quidem ita demum futurum ſperamus, ſi Serenitas Veſtra omiſſis turbulentorum & ſeditioſorum hominum conſiliis ad quietem & pacem ſe convertat, detque, quod in ſe eſt, omnem operam, ut omne id reliquum induciarum tempus, cujus temporis pars tertia videtur nullo operæ pretio jam præteriiſſe, in conſtituendis perpetui fœderis ac pacis rationibus poſitum

ſitum eſſe videatur. Quam ad rem nos quidem & Cæſaream ipſam Majeſtatem nuper hortati diligenter ſumus, & nunc Veſtram Serenitatem ex animo eſſe hortandam exiſtimavimus. Etenim cum omnia animo diligenter perluſtravimus, quæ Serenitati Veſtræ aut belli aut pacis ſtudium adferre ſecum poteſt, vix ullas profecto bellicas acceſſiones tanti eſſe putamus, ut ſe propterea ſuaque omnia Serenitas Veſtra incerto Marti committere, armaque adverſus ſupremum Chriſtianorum Principem & Monarcham ſumere debeat, præſertim cum ex iis, quorum opibus atque conſiliis Serenitatis Veſtræ res ſtare videntur, in aliis quidem, quos facile Serenitas Veſtra intelligit, ſenilis jam & inclinata ætas ad belli præſertim pro alio ſuſcipienda conſilia eſſe videtur facta frigidior, ut alia omittamus, quæ inde ad nos perferuntur, alii autem, quo quidem in numero nos ipſos eſſe profitemur, quantum Serenitatem Veſtram amamus, quantumque rebus Chriſtianorum communibus bene conſultum cupimus, libentius quietis & ad pacem ſpectantibus conſiliis Serenitatem Veſtram adjuverimus. Quamobrem ſi Serenitati quoque Veſtræ, quemadmodum quidem vellemus, idem videtur, expectabimus quid nobis Cæſarea Majeſtas ad ea reſpondeat, quæ hoc nomine ad Majeſtatem ſuam nuper ſcribenda eſſe exiſtimavimus. Cujus ſi voluntatem pacis eſſe & tranquillitatis ſtudioſam, quemadmodum confidimus, perſpexerimus, Serenitatem Veſtram quid illam porro facere oporteat, certiorem faciemus, illique in-

omnibus rebus pro noſtra erga illam benevolentia ſingulari aderimus. Quemadmodum ne in iis quidem, quæ ſe nobis ſcribit nuper a Cæſ. Majeſtate de arcibus quibusdam reſtituendis poſtulaſſe, quicquam defuimus. Etſi enim allatum ad nos erat, quo cum reſponſo Majeſtas ſua Secretarium Serenitatis Veſtræ, de eo ſecum agentem, dimiſerit, tamen ſcripſimus ad Majeſtat. ſuam, non quaſi magnopere confidamus aliud nos reſponſum a Majeſtate illius, quam quod Secretario datum fuit, eſſe relaturos, ſed ne Serenitati Veſtræ quicquid negaviſſe, quod in nobis ſitum eſſet, videremur. Omnino autem pactis & conditionibus inducia-rum adverſari hæc poſtulata Serenitatis Veſtræ nos quoque ipſi animadvertimus, nec videmus ante fœderis & pacis conſtitutionem aliquid in iis aut noſtro aut cujusque ſtudio profici poſſe, niſi forte ſibi quoque Serenitas Veſtra viciſſim arcibus Tocay, Muncacy & Huſti cedendum eſſe in gratiam Cæſ. Majeſtatis in animum induxerit. Sic enim nobis a Generoſo Oratore Suæ Majeſtatis indicatum fuit. Quod neque ſatis ſcimus, an ex ſententia Serenitatis Veſtræ fuerit, neque nimis ad pacem diuturnam fore arbitramur. Expoſuit autem nobis inter cætera idem iſte Orator, cum a nobis proxime ex legatione diſcederet, ſperare ſe, ſi Veſtra Serenitas ad affinitatem cum Majeſtate ſua contrahendam animum adjiceret, fortaſſis Majeſtatem ſuam ab eo non fore alienam. Quod nos quidem etſi nec ſuademus Serenitati Veſtræ, nec diſſvademus (Serenitati Veſtræ enim quidquam ſuadendi

dendi difficillima est deliberatio,) tamen ita judicamus, hac quidem ratione nullam nec expeditiorem nec honestiorem, nec ad Serenitatis Vestræ res in tuto & tranquillo collocandas accommodatiorem excogitari posse. Quidquid autem id erat, referendum esse ad Serenitatem Vestram existimavimus; quam optime valere cupimus. Dat. XXIV Augusti.

De titulo quod quærit a nobis Serenitas Vestra, an cedere eo, & si cesserit, quid in cessionis locum postulare debeat, oportunius erit in ea, quæ de pace constituetur tractatio, consultare. Si ad affinitatem, quæ percrebrescere incipit, ventum fuerit, omnia etiam, ut arbitramur, faciliora sumus habituri.

XXIII.

PRÆSCRIPTUM LEGATIONIS REGIÆ MAJESTATIS POLONIÆ AD PATRES CONCILII TRIDENTINI DATUM REVERENDISSIMO DOMINO VALENTINO HERBURTHO, EPISCOPO PRZEMISLIENSI. Die V Septembr. Vilnæ. 1562.

Salutato Concilio declaranda est Regis voluntas, Religionis dissidia tolli cupientis, quod id necessarium quoque in Polonia videatur, tum deliberandum num de controversia cum Magistratu Genuensi querelæ sint addendæ.

REdditis nostris fidei literis Sacrosancti illius Concilii Patribus Orator noster plurimam salutem

lutem noſtro nomine univerſis nunciabit, ſtudiumque & benevolentiam noſtram ad eos verbis quam maxime accommodatis deferet.

Deinde dicet

Intellexiſſe nos quidem jamdudum, quid in hoc totius Chriſtiani orbis de componendis religionis diſſidiis ſtudio & ardore a nobis quoque ipſis pro munere & officio noſtro deſiderari videretur. Cum enim Regis Chriſtiani per Dei gratiam perſonam geramus, facile providebamus, a communi omnium Chriſtianorum Regum & Principum ſtudio ſtudium quoque noſtrum abeſſe non oportere, præſertim cum Regnum etiam Imperiumque noſtrum eadem illa Religionis Chriſtianæ fatali calamitate, quæ plerasque Europæ provincias jam pervaſit, magna item ex parte concuteretur.

Sed cum a Regno noſtro aliquot jam annis abeſſemus, bellique negotiis in his remotioribus Regionibus magnopere implicati eſſemus, intelligeremus autem, niſi Comitiorum noſtrorum Decreto intercedente, ſtudium noſtrum in hoc genere declarari non poſſe, Comitialium autem deliberationum facultatem omnem bellicis neceſſitatibus ad id usque tempus ſublatam prorſus fuiſſe; factum eſſe, ut ſerius aliquanto Eccleſiæ & Religioni officium noſtrum præſtitiſſe videamur.

Quod tamen officium, ſi quis penitus noſtras Regnique noſtri rationes inſpexerit, præmaturum potius quam ſerum judicaverit. Cum enim ne adhuc quidem Regni noſtri Comitia celebrata fuerint, in quibus de mittendis quaquaverſum legatio-

tionibus ſuſcipi ſolet deliberatio, nos tamen veritos, ne commune illud Orbis Chriſtiani concilium celerius, quod multi ſubdubitare videntur, diſſolveretur non exſpectato Decreto Comitiali, Oratorem noſtrum eo ablegare noluiſſe, ut vel ex eo, quæ eſſet noſtra in Eccleſiam ac Religionem voluntas, ſciri intelligique poſſit. Quæ cum ita ſe habeant, æquum ſane videri, factum noſtrum in optimam partem ab illo ſacroſancto concilio accipi, & ſi qua negligentiæ ſuſpitio ex priore mora contracta fuit, eam alacritatis iſtius noſtræ apertiſſima ſignificatione deleri ac prorſus debilitari.

Et quoniam, ut diximus, ad Regnum jam quoque noſtrum morbi illius contagio, cujus curandi cauſa Concilium illud orbis terrarum eſt coactum, non mediocriter dimanavit, poſtulare nos magnopere a Patribus Sancti iſtius Concilii, ut publico ſuo munere atque officio exercendo, eam Regni quoque noſtri rationem ducant, ut meminerint in populorum quoque noſtrorum conſenſione atque concordia magnum ad concilianda in Orbe terrarum Religionis ipſius diſſidia momentum eſſe conſtitutum.

Cum enim imperium noſtrum non minus terræ quam Libertatis ampliſſimis finibus ſit circumſcriptum, profecto ad pacificandum orbem ipſum terrarum non mediocriter intereſſe videri, noſtros quoque homines eodem fidei atque charitatis vinculo eſſe comprehenſos.

Cujus rei nos quidem exiſtimare Concilium ipſum

ipſum rationem eam, quam oportet, maxime eſſe habiturum.

De negotiis quoque noſtris Barenſibus volumus, ut Orator noſter cum Reverendiſſimo Domino Cardinali Varmienſi diligenter conferat, ac cum ipſius Domin. conſtituat, num de injuriis, quibus a Magiſtratu Neapolitano jamdudum afficimur, in denegandis nobis rebus immobilibus, quæ ipſorum etiam adverſariorum confeſſione extra controverſiam ad nos pertinent, queri in illa celebritate ac conventu noſtro nomine oporteat. Qua de re quidem quod fuerit Dominat, ejus conſilium, Orator noſter ad nos perſcribet.

Quod ſi forte Concilii iſtius ſolutio prius immineat, quam a nobis ad Reverendiſſimi Domini Cardinalis conſilium reſponderi poſſit, volumus, ut communicato cum Paternitate ipſius negotio, ante ſolutionem Concilii modeſte, quam fieri poteſt, Orator noſter de iis rebus apud illum conſeſſum queratur, oſtendatque, quam indigne expectatione tam longa earum rerum trahamur, quæ nobis, ipſorum etiam teſtimonio, jam pridem ab iis debebantur.

XXIV.

LITERÆ FIDEI.

Patribus ſignificat, legatum a ſe miſſum.

SIgismundus Auguſtus &c. Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus ac Sacroſancti Concilii Tridentini Legatis cæteriſque Reverendis & Venerabilibus Do-

Digitized by Google

Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Ordinum Generalibus ac aliis omnibus Univerſale Oecumenicum Concilium Tridenti repræſentantibus amicis noſtris Chariſſimis ſalutem & benevolentiæ noſtræ commendationem. Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Reverendi ac Venerabiles Domini, Amici noſtri Chariſſimi. Fecimus pro officio noſtro Regio, ut ad hunc celeberrimum & ſacroſanctum Dominationum Veſtrarum Conventum ablegaremus noſtro nomine Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Valentinum Herburtum, Przemisliensem Epiſcopum, Oratorem noſtrum, cui quoniam noſtro nomine quædam ad Dominat. veſtras renuntianda commiſimus, ab illis petimus, ut eum diſſerentem benigne audiant ipſiusque verbis non multo minus quam noſtris fidem adhibeant. Quas optime valere cupimus. Datum &c.

XXV.

EPISCOPO PRZEMISLIENSI.

Pro ejus promptitudine gratias agit & de viatico ſpem facit.

REverende in Chriſto Pater. Probatur nobis hoc ſtudium Sinceritatis Veſtræ, quod ejus legationis Tridentinæ munus tam alacri animo a nobis receperit, quodque ſe ſine mora in viam dare decreverit. Multorum enim nos jam literæ de eo officio ſolicitabant. Mittimus Sinceritati Veſtræ, quod a nobis per litteras petiit, ejus legationis præſcriptum, mittimus & quas non petiit, fidei,

dei ſalvique conductus litteras, ut iis ad omnem oportunitatem uti poſſit. De viatico item curæ erit nobis, ut ab Reverendis Dominis Epiſcopis Sinceritati Veſtræ contribuatur. Quo autem nos judicio adducti eam legationem ad Sinceritatem Veſtram potiſſimum detulimus ei, confidimus Sinceritatem Veſtram prorſus ſatis eſſe facturam. Datum &c.

XXVI.

PLENIPOTENTIA DATA ORATORI AD CONCILIUM TRIDENTINUM.

Significat ſe, quæcunque legatus acturus ſit, velut a ſe acta haberi velle & exiſtimari.

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. Quod cum Beatiſſimus in Chriſto Pater Dominus Pius Quartus Divina providentia Sacræ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus ſuperiore anno ad diem ſextum victorioſiſſimæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Concilium in Civitate Tridentina celebrandum indixiſſet, nosque eo non modo Diplomate ſuo publico, ſed etiam privatim per Nuncium ſuum invitaſſet, atque adeo paterne hortatus eſſet, ut ſi ei Concilio ipſi intereſſe non poſſemus, Oratorem ſaltem noſtrum Virum aliquem ad id munus perſonamque noſtram gerendam idoneum nomine noſtro mitteremus: cumque nos etſi magnopere ei Concilio faveremus, in quo conturbatis omni-

um

um Christianorum Regum & Populorum rebus medicina aliqua de communi omnium christianarum Provinciarum & Regnorum consilio quæreretur, tamen propriis ac peculiaribus Regni nostri tam pacis quam belli negotiis occupati adesse ad communem causam promovendam non possemus, nollemus autem quoque absentia nostra aut rebus tractandis & agendis, quæ ex usu Reipublicæ Christianæ fore viderentur, moram vel impedimentum ullum afferri, aut a nobis ipsis officium nostrum desiderari, optime persvasi apud nos de singulari virtute ac pietate Reverendi in Christo Patris Domini Valentini Herburti, Episcopi Przemislienſis ac Consiliarii nostri, deque ipsius cum erga nos ipsos fide atque studio præclaro, tum in Dei Ecclesia tuenda & defendenda non solum animo & voluntate, sed etiam doctrina & eruditione egregia, ipsum solenniter & ex certa nostra scientia animoque deliberato & omnibus melioribus modo, via, jure, & causa, forma, & ordine, quibus possumus & debemus, Commissarium, Oratorem, Nuncium, Procuratorem & Mandatarium nostrum fecimus, constituimus & ordinavimus, dando & attribuendo ei plenam & omnimodam facultatem, cum libero & amplo mandato, ut celebrationi dicti Concilii nostro nomine tanquam Regis Poloniæ & Magni Ducis Lithuaniæ &c. adesse & interesse, ac locum & vices nostras exercere, concludere & determinare possit & debeat, quæ ad constituendam veræ fidei & Religionis concordiam & unionem ac Christianæ Reipublicæ salutem

ac conservationem promovendam, facere & spectare videbuntur, & quæ nos ipsi facere, agere, dicere, tractare, exercere, concludere & determinare possemus, si præmissis singulis omnibus personalibus interessemus, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale quam præsentibus est expressum. Promittentes in verbo nostro Regio, nos totum id, & quicquid per dictum Oratorem Commissarium & Mandatarium nostrum modo præmisso actum, dictum, gestum, factum & procuratum fuerit, ratum, gratum, firmum & validum habituros esse, dolo & fraude postpositis penitus. Harum testimonio Litterarum, Sigilli nostri appensione & manus nostræ subscriptione munitarum mediante. Datum.

XXVII.

INSTRUCTIO AD COMITIA TERRARUM PRUSSIÆ IN SEPTEMBRI ANNO MDLXII.

Multis rationibus Prussos ad sumptus ad bellum Livonicum suppeditandos hortatur, tum ad Comitia Polonica invitat, in quibus de uniendis provinciis & examinandis civitatum & emporiorum privilegiis agendum sit, & tandem judicia apud illos intermitti queritur.

NUntiata Gratia Majestatis Regiæ omnibus ordinibus Terrarum Prussiæ, qui ad Conventum convenerint, Dominus Orator in hanc sententiam verba faciet.

Etsi

Etſi Sereniſſima Regia Majeſtas Dominus noſter Clementiſſimus omne ſuum ſtudium, quod pro officio ſuo Regio, denuntiandis non ſolum imminentibus, ſed jam plane præſentibus ſuarum iſtarum terrarum periculis, teſtari per nullam unquam occaſionem deſtitit, aliter ab iis, quorum maxime intererat, accipi intelligit quam rebus communibus expediret, quamque gratis ſubditorum animis conveniret, qua ex re Majeſtas ſua moleſtiam capit incredibilem. Tamen pro ſua ſingulari & conſtanti cum in omnes ſubjectas ſibi provincias, tum in hanc præcipue benevolentia, nunquam adhuc in animum induxit hoc tam adverſo rerum ſucceſſu ab officio ſuo deterreri, quin iterum atque iterum eorum periculorum omnes publice commoneret, & quoad poſſet Dominationibus Veſtris ob oculos poneret, in quantis malis, in quantisque vitæ, ſalutis, libertatis, legum diſcriminibus cum cæteræ Majeſtatis ejus Provinciæ, tum potiſſimum provincia hæc Pruſiæ, cujus gremio Dominationes Veſtræ uxoresque & liberi earum continentur, verſari videatur.

Etenim cum tumultuantibus Valachis, Scythis, Turcis, Hungaris, reliquæ Majeſtatis illius provinciæ metu eſſe vacuæ non poſſunt, tum ſane ardente maxime Moſcovitico ac Suecico bello Livonia, & duobus potentiſſimis exercitibus in ejus jam viſceribus graſſantibus, quo magis provinciam hanc Pruſiæ ſalvam eſſe cupit Majeſtas ſua, hoc magis veretur, ne hoſtium vis Livonicis ſucceſſibus elata, & opibus illis corroborata, inſtructa

etiam omni illa oportunitate, quæ ex acceſſione illius provinciæ eſſe poteſt, tota ſe in vicinam Pruſſiam terra marique effundat, eamque pro ſua libidine vexet atque populetur.

Et profecto niſi Majeſtas ſua Regia exercitus eos diſtraxiſſet, niſique Livonici belli molem magna ex parte in Lithuaniam avertiſſet, carpendis inde per tumultuarium militem Moſcoviticis finibus, verendum ſane erat magnopere, ne, quod nunc tanquam impendens metuitur, factum jam, quod Deus omen obruat, lugeretur. Sic enim illis hoſtibus perſuaſum eſſe Regia Majeſtas cognovit, Pruſſiam provinciam non ſolum vicinitate, ut dixi, ſed etiam ſitu primum, deinde lingua, tum munitionibus, arcibus, opibus, portubus, agrorum fertilitate, vitæ genere, moribus denique ipſis atque adeo omni Reipublicæ adminiſtrandæ ratione, Livoniæ inſtar eſſe, ut ita exiſtiment, nec ſe ea abſtinere poſſe, quæ tot optabilibus rebus abundet nec in expugnanda ea majorem quam in Livonia difficultatem fore, hoc autem fortaſſis etiam minorem, quod ad Pruſſiæ expugnationem, ſi eo ventum eſſet, Livonica ſe expugnatione ſatis exercuiſſe ac præparaſſe viderentur.

Quod ſane omen etſi, ut dixi, quam maxime procul abeſſe Regia Majeſtas optat, pro ſua ſingulari bonitate tamen, dum res integræ ac ſalvæ ſunt, etiam atque etiam meditandum eſſe exiſtimat, ut hæ ipſæ hoſtium ſpes atque rationes in Pruſſiæ potiſſimum cogitanda pernicie defixæ, vanæ fuiſſe videantur: cum enim in omni vitæ ratione

tione ſtultum eſt dicere: Non putaram, tum in procuranda præcipue ſua liberorumque ac conjugum ſuarum ſalute & libertate non ſolum ſtultiſſimum, ſed etiam miſerrimum. Itaque duas rationes ejus rei evitandæ Dominationibus Veſtris Regia ſua Majeſtas hoc tempore proponi a me voluit: altera eſt, ut quod ſæpe ex hoc loco per Oratores ſuos Majeſtas illius cenſuit, D. Veſtræ laboranti potius Livoniæ opem ferant, quam hoſtem tantum intra ſua ipſorum tecta expectent. Nam & ſecurius objecto aliquo pariete contra hoſtem conſiſtitur & facilius alienis adjunctis viribus pugnatur, & jucundius omnino aliena in terra vincitur, cum nulla lætitia ex victoria quidem intra domeſticos parietes parta, tam pura ſit, quæ non ſit etiam maxima ex parte veſtigiis hoſtilis crudelitatis contaminata.

Ad quod quidem Livoniæ ferendum auxilium præterquam quod propriæ ſalutis cura ſatis D. Veſtras hortatur, alienæ quoque calamitatis miſericordia non mediocriter illas accendere deberet, etiamſi id propriis ipſarum & armis & corporibus faciendum eſſet; quo magis illis evitandum eſt, ut cum res adhuc, Deo gratia, nec arma ipſarum nec corpora deſideret, tributo ſaltem & penſione aliqua juſta in omnes imperata, officium ſuum erga vicinam & Chriſtianam provinciam conteſtentur.

Vident atque intelligunt D. Veſtræ, niſi forte non videant, neque intelligant quæ orbis ipſe terrarum videt atque intelligit, quibus ſumptibus,

quibus laboribus, & a quam multo jam tempore S. Regia Majeſtas Livoniæ propugnationem ſemel ſuſceptam urgere non deſiſtat, quæ nihil ſtudii, diligentiæ, operis impenſæ ad eam liberandam prætermittat, quam privatas ſubditorum quorundam ſuorum opes, quam eorum ſanguinem, quam ærarium ſuum, & Reipublicæ exhauriat, ad ejus provinciæ defenſionem, ſic ſane ut in quietiſſima etiam & pacatiſſima paulo ante Lithuaniæ Provincia bellum excitare, illamque regionem omnibus belli incommodis afficiendam exponere non dubitaverit, ut ſaltem Livonia multis jam cladibus affecta & afflicta provincia poſſit aliquantum reſpirare, quarum omnium rerum usque adeo Majeſtatem ſuam non pœnitet, ut nihil etiam magis die ac noctu cogitet, quam de ea defendenda. Quod in tanta Majeſtatis ſuæ cura atque ſolicitudine, in tantoque vicinæ & ſibi conjunctæ provinciæ periculo Dominationes Veſtræ parcunt ſuo labori, ſuo ſanguini, ſuis corporibus, parcit in eo quoque interim Dominationibus Veſtris Regia ſua Majeſtas, quæ ſe ſolam procurandæ omnium ſaluti natam libenter profitetur; illud certe non vehementer mirari non poteſt, leviſſimo etiam ſumtui Dominationes Veſtras in re tam neceſſaria parcere.

At vero exiſtimabat ſua Majeſtas, etiamſi res neque adeo neceſſaria, neque tam ad ſalutem Veſtrarum Dominationum pertinens, ageretur, tamen quoniam Regia illius Majeſtas nullum unquam tempus in ornanda præ cæteris hac provincia

vincia, in augendis etiam de ſuo Provincialium iſtorum fortunis prætermiſit, exiſtimabat, inquam, Regia ſua Majeſtas, cum D. Veſtris tanta Regiæ ſuæ beneficentiæ & liberalitatis indicia præbuiſſet, Dominationes Veſtras viciſſim cæteris omnibus Majeſtatis illius ſubditis promptiores fore ad imperata ſuæ Majeſtatis exequenda. Nunc autem cum res agatur maxima, & quæ non magis ad Majeſtatem ſuam, quam ad ipſas Dominationes veſtras pertineat, fruſtra ſe toties ad Veſtras Dominationes laboraſſe, vix profecto æquo animo ferre poteſt Regia illius Majeſtas.

Hortamur tamen adhuc etiam atque etiam Dominationes Veſtras, complectantur animo Rempublicam, proſpiciant per tempus ſaluti & incolumitati ſuæ, rationemque tandem aliquam ineant, ut ad militem Livoniæ jam periclitanti conducendum quam maxima ex imperato a Dominationibus Veſtris tributo & penſione pecunia confici poſſit. Quod ſi a Dominationibus Veſtris diligenter factum fuerit, pertinebit id magnopere primum ad officium vicinæ & oppreſſæ Chriſtianæ provinciæ declarandum, deinde ad ſuam ipſorum ſalutem & incolumitatem ſtabiliendam, poſtremo denique, quantum in eo Regiæ Majeſtatis hortationi tributum a Dominationibus Veſtris fuerit, tantum Majeſtas illius Regiam ſuam gratiam tum privatis uniuscujusque in rebus, tum in publicis atque ad univerſam provinciam pertinentibus declaraturam ſe eſſe Dominationibus Veſtris profitetur.

Altera autem illius evitandi periculi ratio, quam hoc tempore Dominationibus Vestris Majestas illius proponi voluit, illa est, ut, cum hoc tempore Majestas illius Regni sui Comitia ad diem Divo Martino sacratum Petricoviam indixerit, quibus quidem in Comitiis, præter cætera de conjungendis cum Regno ac uniendis terris & Ducatibus quibusdam, atque adeo Prussia ipsa, agendum esse secundum præscriptum recessus Comitiorum Petricoviensium septennio ante celebratorum, Dominationes Vestræ jam nunc in eo Conventu Nuntios ex omnibus ordinibus designent, qui illarum nomine ad maxima illa Regni Comitia profecti, plenissima accepta facultate, de ejusmodi unione cum cæteris Regni Provinciis consultare, eamque nomine Dominationum Vestrarum conficere possint. Magnas enim profecto esse vires unionis atque concordiæ ad confirmandas opes & robur provinciarum, etiam discordia ipsa satis demonstrat, quæ omnia quibuscunque se immiscet, dissipare atque ex summo potestatis loco in imum deturbare solet, quod satis omnino declaravit, quisquis ille fuit, qui, cum Regnum suum, quod jam moribundus liberis suis traditurus erat, quam maxime esse cuperet firmum atque perpetuum, advocatis liberis concordiam illis potissimum non tam oratione longa, quam exemplo & imagine viva commendare voluit, allatisque plurimis bacillis ac singulis ad singulos eorum deferri jussis, primum ut quisque eum qui datus esset perfringere conaretur, est adhortatus. Quod cum sine negotio

Digitized by Google

gotio quisque eorum perfeciſſet, junctis in unum ſaltem ac colligatis bacillis compluribus idem eos in faſce colligato, quod olim in ſingulis actum fuit, tentare juſſit. Cum autem iis res non æque ſuccederet, ut compactam bacillorum vim poſſent perfringere, ſubjunxiſſe fertur: *Sic vos o mei Filii, concordia firmos & metuendos reddet, discordia debiles & ad omnem impreſſionem oportunos. Concordia enim*, ſicut alter item dixit, *parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.*

Eam igitur occaſionem rebus quoque ſuis conſulendi, easque acceſſione tot Provinciarum roborandi, ne Dominationes Veſtræ in Comitiis proximis Petricoviæ prætermittant, hortatur etiam atque etiam Majeſtas ſua. Sed quoniam in iisdem Comitiis præter unionem, de exequendis etiam & in locum ſuum reſtituendis legibus ac conſtitutionibus, quibus hactenus prava hominum conſvetudo & abuſus derogavit, tractabitur, hortatur Majeſtas ſua Regia omnes & ſingulos ſua intereſſe putantes, ut ſint parati in hoc proximo Petricovienſi Conventu, ad producendum & oſtendendum coram Majeſtate illius omnia & ſingula Jura & Privilegia ſua, ſi quæ habeant, aut habere ſe prætendant ad aliqua ſua bona, quæ videantur executioni Jurium & Privilegiorum Regni eſſe obnoxia, & ad docendum ac declarandum hæc ipſa bona ad hanc executionem non attinere: quæ ſint autem bona ejusmodi ex hac particula literarum receſſus Comitiorum præfatorum Petricovienſium, quam Dominationibus Veſtris de-

ſcriptam attuli, licebit Dominat. Veſtris cognoſcere.

Hortatur deinde & mandat ſua Majeſtas Comitiorum præfatorum autoritate, ut Civitates terrarum iſtarum, in quibus ulla emporia ſunt, conſtituta Privilegia & litteras ſuas de eorum emporiorum Jure, ceteræ autem quoque Civitates Privilegia ſua omnia, quæ publicis Regni legibus equeſtrisque ordinis immunitati contraria ſint, parata habeant eaque iſtis in proximis Petricovienſibus Comitiis exhibeant.

Illud enim non obſcure Majeſtas ſua Dominationibus Veſtris jam nunc denuntiare juſſit, ſe a tantæ & tam neceſſariæ rei cura atque proviſione nullius prorſus abſentia avocari poſſe, quin id quod jam pridem omnium votis a Majeſtate ſua expetitur, & in quo fidem ſuam datis publice litteris Majeſtas ſua obſtrinxit, publica tandem eorum Comitiorum autoritate interveniente finem optatum conſequatur; ubi via quoque atque ratio inibitur, qua ii qui abfuerint ad officium nihilominus cogi poſſint, & pœna in eos publicis omnium ſuffragiis conſtituetur, qui ſe a tantæ tamque neceſſariæ & publicæ rei cura ſubducere non verebuntur, ut ita, nullius abſentia vel contumacia obſtante, omnia ex ſententia amplisſimi ſui ſenatus & cæterorum Regni ordinum Regia illius Majeſtas proſequatur, quæ maxime ad executionem omnium Jurium & Privilegiorum totius corporis Regni, & omnium membrorum ejus pertinere, videbuntur.

Atque

Atque hæc quidem de periculis Regni eorumque evitandorum rationibus. Porro Judiciorum apud D. Vestras intermissorum excusationem nullam prorsus Regia Majestas probare potest. Quo enim magis intelligit Justitia imperia firmari, Justitiam autem vel maxime jure dicendo spectari, hoc magis D. Vestras ad eam partem officii hortandas esse existimat, ut dent quam maxime operam, ut confectis & provisis iis, quæ ab publicæ rei curam attinent, Judicia in hoc conventu exerceant, eaque ita obeant, ut nullum in ipsis bonorum Judicum officium desiderari videatur.

Quod cum erit factum, magna sane pars præcisa erit, ex ea querimonia, quod interdum Decreta illarum rescindi Regiæ Majestatis autoritate contingat. Cum enim a Dominationibus Vestris ex legibus & denique ex bono ac æquo judicatum fuerit, primum facilius homines illorum Decretis acquiescent, neque ad Regiam Majestatem frustra sibi provocandam esse existimabunt, deinde ipsa quoque Majestas sua, quod recte judicatum fuerit, id retractandi causam nullam est prorsus habitura.

Quod si quid est, quemadmodum ex proximo Margeburgensi Conventu a D. Vestris Majestati Regiæ est significatum, quod hactenus ex Cancellaria Majestatis illius ad importunitatem quorumcunque prodire solebat, quodq; justis D. Vestrarum Decretis adversari videretur, id etiam studio & diligentia Majestatis ipsius corrigetur; Vestræ modo

do Dominationes nec officio suo desint, nec publicæ necessitati.

In quo non est, cur absentium Consiliariorum negligentia accusata suam quoque præsentium negligentiam D. Vestræ velint excusare. Cum enim Reverendissimi Domini Cardinalis Varmiensis opera non minus hoc tempore in negotiis suis Italicis apud Concilium utatur Regia Majestas, quam hic domi uteretur, non potest abesse is videri, qui ita Reipublicæ causa abest, præsertim cum & Majestatis suæ voluntate ex provincia abierit, quæ locum suum tam in Episcopi quam in Senatoris officio exercendo optimo ac honestissimo viro commiserit. Reverendus autem Dominus Culmensis Episcopus etsi Confirmationem ita repente a summo Pontifice consequi non potuerit, tamen dubium nullum est, quin ejus designationis, quæ a Majestate sua est facta, ea sit vis, ea prærogativa, ut Civilibus quidem & Provincialibus omnibus muneribus locum Culmensis Episcopi possit atque debeat obtinere. De Conventu Grandentino Toruniam transferendo quod petierunt a sua Majestate Dominationes Vestræ, assentitur Regia Majestas, sed quoniam tempus brevius extitit, quam ut commode D. Vestris significari id potuerit, nunc jam quidem Grandenti necessario habendus erat. De cætero autem permittit Regia Majestas Dominationibus Vestris, ut præsentis Conventus autoritate D. Vestræ possint, si voluerint, Toruniam futuris omnibus autumnalibus Conventibus locum designare. Id enim

enim Regia sua Majestas ratum est habitura. Hæc atque alia ejusmodi dicet atque aget Nuntius Majestatis Regiæ pro fide & prudentia sua, quæ ex dignitate Regiæ Majestatis fore videbuntur.

XXVIII.

CONSILIARIIS PRUSSIÆ.

Jubet locum in Comitiis concedi designato Episcopo Culmensi.

MAgnifici, Generosi, Nobiles, Sinceri & Fideles nobis Dilecti. Etsi Reverendus in Christo Pater Dominus Stanislaus Zelislavvski, Episcopus Culmensis designatus, Confirmationis suæ Diploma nondum per angustiam temporis a sede Apostolica consequi potuit; tamen cum designationis nostræ ea sit vis & authoritas, tam istic inter D. Vestras, quam in ipsomet Regno nostro, ut is, qui Episcopus a nobis designatur, statim, ut est designatus, locum suum in senatu obtineat; hortamur D. Vestras omnino habere volentes, ut S. & F. Vestræ præfato Domino Culmensi Episcopo designato locum suum in proximis Comitiis Grandentinis tribuant, ac ex eo loco S. ejus sententiam suam dicere more & instituto majorum patiantur. Alias Sinceritates & Fidelitates Vestræ pro officio suo & gratia nostra non facturæ. Datum VI Septembris Anno 1562.

XXIX.

XXIX.

AD MAJORES CONSILIARIOS REGNI.

Ad Conventus Terrestres & Comitia Regni invitat.

MAgnifice, Generose, Sincere, Nobilis, Dilecte. Cum ea Comitia, quæ proxime Lomzæ cum essemus, de Senatorum nostrorum, quos tunc ad manum habuimus, sententia Petricoviam indixeramus, exitum suum non habuerint, ex eo maxime, ut videtur, quod nos Lithuanicis urgentibus negotiis occupati adesse tum præsentes non possemus, sine quibus omnis de Republica consultatio languere videretur, curæ autem nobis sit inprimis Reipublicæ nostræ rationibus, cum domesticis dissensionibus agitatæ, tum externorum quoque impendentium periculorum formidine perculsæ primo quoque tempore prospicere, etsi Livoniæ, cujus Lithuanicis copiis defendendæ causa, nos ab indicto proximo Petricovienſi Conventu in Lithuaniam retraxeramus, hoc maxime tempore, duobus potentissimorum hostium exercitibus distenta, laborare præsentiamque hic nostram desiderare videatur; tamen ne Regnum quoque nostrum, quod nos jam pridem ad se multorum vocibus non obscure revocat, destitutum a nobis ac desertum esse videri possit, indiximus ad diem - - - - - Universalia Regni nostri ac maxima Comitia, in quibus ipsi, provisis per absentiam no-

noſtram, quoad fieri poterit, Livoniæ provinciæ & Magni iſtius Ducatus negotiis, Deo propitio, aderimus uniendisque cum Regno noſtro & Magno Ducatu Lithuaniæ & Prusſiæ Oſvecimenſis ac Zatorienſis Ducatibus, ac exequendis denique iis rebus ac legibus, quas notis ac precibus omnium jam pridem a nobis expeti intelligimus, quam maxime operam dabimus. His Comitiis ut Sinceritas veſtra interſit, nobisque de omnibus rebus conſilium ſuum præſens communicet, illam etiam atque etiam hortamur. Quoniam autem ea Comitia Terreſtres de more Conventus præceſſuri ſunt, in quibus Regni noſtri Nobilitas de Legatis ad Maxima ipſa Comitia nomine ſuo mittendis, denique rebus aliis ad ſeſe ac ordinem ſuum pertinentibus agere ac tractare conſvevit; hortamur iterum S. Veſtram, ut ſe eo quoque conferat, & actionibus omnibus ab deliberationibus Nobilitatis ita pro ſuo officio & autoritate moderetur, ut Nuntii viri graves ac prudentes, publicæque quam privatæ rei ſtudioſiores eligantur, qui Comitiorum negotia tanta, quanta Reipublicæ tempora præſentia deſiderant, recte & ex dignitate ordinis Equeſtris, a quo miſſi erunt, poſſe ſuſtinere videantur, quique de omnibus rebus in medium proponendis conſulendi plenam habeant poteſtatem. Equidem Conventibus iſtis Terreſtribus minoribus particulari quidem in - - - - - - ad diem - - - - - generali vero in - - - - - ad diem - - - - - tempus ex autoritate noſtra præſtituimus. Faciet Sinceritas Veſtra pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum &c.

XXX.

XXX.

AD MINORES CONSILIARIOS.

Ad Conventus Terrestres & Comitia ut mature accedant, jubet.

GEneroſe Fidelis nobis Dilecte. Poſtulantibus gravibus Reipublicæ Regni noſtri rationibus, Comitia Regni noſtri maxima - - - - - - ad diem - - - - - - indiximus, quæ Conventus terreſtres minores, particularis quidem in - - - - - - Feria - - - - Generalis vero in - - - - ad diem - - - - - de more præcedent. Mandamus itaque Fidelitati Tuæ, ut ad minores primum & Terreſtres Conventus ſe conferat, & ut ii placide & decenter peragantur, Nuntiique in iis prudentiæ & ſpectatæ integritatis cum plena poteſtate ad Regni Generalia Comitia, Equeſtris Ordinis nomine, profecturi a Nobilitate deligantur, det pro officio ſuo operam, ac deinde ad Regni Comitia ipſa veniat, nobiscum & cum cæteris Conſiliariis de Republica & Regni noſtri rationibus conſultatura. Veniat autem Fidelitas tua tempeſtive, & ipſam nos expectabit potius, quam ſe a nobis expectari patiatur, factura pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum Vilnæ, die VII Septembris.

XXXI.

CAPITANEIS MAGNIFICIS.

Ejusdem argumenti.

MAgnifice, Sincere, nobis Dilecte. Magnis & gravibus cauſis adducti univerſalia Comitia

tia Regni Petricoviæ ad diem quartum Novembris habere inſtituimus, quæ Conventus alii de more præcedent, Particularis quidem in Szroda ad diem 19 Octobris proximum: Generalis vero in Kolo, ad diem tertium Novembris.

Mandamus igitur Fidelitati Tuæ, ut Terreſtres iſtos Conventus, & univerſalia Regni Comitia, in civitatibus & oppidis ſuæ præfecturæ die nundinarum ſive fori, ut moris eſt, voce præconis promulgari & proclamari curet. Mittimus etiam Fidelitati Tuæ has quas prior Sinceritas tua inſcriptas, Officialibus & eis, quos præcipuos ex nobilitate Præfecturæ ſuæ noverit, transmitti curet, ipſa quoque Fidelitas Tua tam particulari quam generali Terreſtri Conventibus interſit, dabitque operam cum cæteris, ut Nuncii ad Generalia Comitia rite & ſecundum ſtatuta Regni, viri non contentioſi, verum graves & periti rerum, ac Reipublicæ amantes eligantur, cum plena & non limitata poteſtate de omnibus Regni rationibus nobiscum & cum aliis Regni Senatoribus conſultaturi. Factura fidelitas tua pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum &c.

XXXII.

OFFICIALIBUS TERRESTRIBUS,

Ejusdem argumenti.

GEneroſe Fidelis Dilecte, inſtituimus Univerſalia Regni noſtri Comitia ad diem - - - - - celebrare, exigentibus id variis & arduis Reipubli-

cæ Regni noſtri negotiis. Antea vero indiximus, more ſolito celebrandos Conventus Terreſtres, Particularem quando in - - - - - - - ad diem - - - - - Generalem autem in - - - - ad diem - - - - - Mandamus itaque Fidelitati Tuæ, ut ad Terreſtrem Conventum utrumque ſe conferat, atque ibi cum aliis pariter nuntios graves, probos & prudentes viros delegat, qui ad locum Comitiis univerſalibus deſignatum cum plena & non limitata poteſtate proficiſcantur. Facturа Fidelitas Tua pro fide ſua & gratia noſtra. Datum

Eodem modo literæ ad Nobilitatem.

XXXIII.

INSTRUCTIO NUNTIO S. R. M. AD PARTICULAREM CONVENTUM.

De acto Lomzæ ſuperiori anno conventu & feſtinati diſceſſus ſui cauſis præfatus, ea breviter percenſet, de quibus in Comitiis deliberandum ſit, & præter ſtudia, quæ liberaliter promittit, vitæ quoque ſuæ ſe non parſurum, ſi res poſtulet, affirmat.

SAlute dicta & nunciata Gratia Majeſtatis Regiæ omnibus Regni Ordinibus, qui ad Conventum convenerint, Orator Majeſtatis illius in hanc ſententiam verba faciat.

Magnum ſemper ſtudium Regiæ Majeſtatis, magnaque diligentia extitit in curandis & providendis rationibus Reipublicæ & Regni ſui, inque tol

tollendis e medio rebus omnibus, quibus salus & dignitas ipsius labefactari videretur. Cum enim id & ad officium suum Regium pertinere animadverteret, & suam suorumque omnium subditorum salutem, dignitatem, fortunas salute, dignitate ac fortunis Reipublicæ contineri intelligeret, non magis sibi Rempublicam deserere, quam a suo nomine Regio & officio a suisque ipsius & suorum utilitatibus ac commodis discedere posse unquam videbatur.

Itaque anno superiore, etsi Lithuanica negotia, quorum providendorum causa Majestas illius ex Polonia ante annum tertium discesserat, nihilo tunc meliore loco essent, quam fuerint in ipso Majestatis illius adventu, tum cum intelligeret Regnum hoc absente se quoque tumultuari, multaque in eo per temerariorum quorundam hominum vim adversus tenuiores committi, convocatis Lomzam ad se Senatoribus, (neque enim ulterius a Lithuania abesse integrum tum sibi esse existimabat,) multa ad eos, qui sane pauci convenerant, de statu ac conditione Reipublicæ retulit, sententiasque eorum de omnibus perquisivit. Quibus cum ita videretur, Comitia Regni Generalia indici oportere, ex eorum consilio Comitia Petricoviæ proxime ad Dominicam Misericordia post conductum Paschæ indixerat; sibi autem multis & gravibus de causis propere ex Polonia redeundum esse in Lithuaniam statuerat.

Primum quod intelligebat Moschum secundis suis Livonicis & Scyticis rebus elatum, hyemis il-

lam oportunitatem non esse neglecturum, præsertim cum exitus fœderis illo ipso tempore instare videretur. Deinde quod non dubiis indiciis colligebat, Sveciæ Regem ad Dominatum Livoniæ quoque adspirare, redacta jam tum Revalia civitate ipsius in suam potestatem, sua autem magnopere interesse Majestas illius intelligebat, ne aut Moschus, decurso fœdere, impune in Ducatum Magnum Lithuaniæ irruptionem faceret, aut Suecus in Livonia fœderata Majestatis illius provincia potentior indies fieri videretur. Cujus utique consilii non est, quod Majestatem illius possit pœnitere. Si enim ne præsente quidem illius Majestate, rebus Lithuanicis ita prospici potuit, quin non modo fines, verum etiam interiores ditiones Ducatus illius vere proximo a Moschis popularentur, intelligi potest, Majestate illius absente omnia deteriore loco prorsus futura fuisse.

Nunc etiam quamquam nihilo secundiores esse Lithuanorum res nuntiaretur, tamen memor Majestas illius Regno quoque hinc officium suum deberi, cum audisset Petricoviæ, tempore Comitiis designato, nihil de Republica per Comitiorum speciem actum esse, intelligeret autem tam ex suis recessuum Comitialium litteris, quam ex iis Nuntiis, qui non ita pridem ad Majestatem ejus ex Nova Civitate & Petricovia a Nobilitate majoris vel minoris Poloniæ missi fuerunt, atque adeo ex Consiliariis suis plerisque, qui sæpe per litteras Majestatem illius compellarunt, legum & privilegiorum omnium executionem superioribus Comitiis promissam

Digitized by Google

miſſam magnopere a ſe expectari; ſtatuit hoc tempore de Senatorum ſuorum ſententia, Regni ſui Comitia ad XV diem Novembris, id eſt, ad Dominicam poſt FeriasDivi Martini proximam Petricoviæ loco legitimo ſibi eſſe indicenda, in quibus potiſſimum de hac executione ageretur. Cujus quidem executionis vis quibus potiſſimum in rebus conſiſtat, etſi arbitratur Majeſtas illius & olim ex ipſis Comitialibus receſſibus promulgatis, præſertim vero ex receſſu Petricovienſi anni MDLV & deinde Varſavienſi anni inſequentis, poſtremo vero Petricovienſi anni MDLIX & nuper ex Univerſalibus de ea re conſcriptis ac per omnia territoria publicatis litteris Dominationibus Veſtris ignotum non eſſe, tamen hoc quoque tempore breviter exiſtimavit eſſe apud illas repetendum. Primum igitur denuntiat ac ſua Comitiorumque ſuperiorum autoritate mandat Regia illius Majeſtas, ut omnes & ſinguli Jura & Privilegia, literas ac monumenta ſua exhibeant, in proximis Comitiis & oſtendant, ſi quæ habeant, aut habere ſe prætendant ſuper bonis Regiis, quæ obtinent adverſus Conſtitutiones Divi Caſimiri Avi Majeſtatis illius de arcibus & Præfecturis primariis Territoriorum Jurisdictionem habentibus, tum etiam adverſus Conſtitutiones Divorum Patruorum & ipſius Uladislai, de Bonis ad officium Magni Procuratoris pertinentibus, & Alexandri de donationibus & obligationibus bonorum Menſæ Regiæ ac extenuationibus ſummarum in eisdem bonis inſcriptarum. Mandat etiam ſua eadem & Comitiali autoritate, ut in

Digitized by Google

iis proximis Comitiis adsint omnes quicunque retinent incompatibilia, sive ea sint officia, sive dignitates, advitalitates, solida & cætera, quæ legibus publicis teneri prohibentur.

Nec minus ii qui ulla telonia pontium, aggerum, fluminum aut alioqui vectigalia quæcunque in bonis suis exigere consveverunt: item incolæ civitatum tam Regni quam terrarum Prussiæ, qui ulla emporia habent constituta, ut privilegia & litteras suas de eorum emporiorum Jure, cæteræ autem omnes civitates privilegia sua omnia, quæ publicis Regni legibus Equestrisve Ordinis libertati præjudicare videantur, in iisdem Comitiis repræsentent. Domini etiam Archiepiscopi & Episcopi ac Capitula Ecclesiarum repræsentare & exhibere debebunt in iisdem Comitiis litteras quasdam, quæ a nonnullis adversus publicam libertatem obtentæ esse dicuntur.

Item mandat illius Majestas, ut adsint in iisdem Comitiis, qui pertinere se existimant ad causam de advocatiis Dominorum Episcopalium, quibus advocatiis vacatio militiæ olim concessa fuit, cujus quidem causæ cognitio in his Comitiis instituetur.

Item ut adsint omnes novorum teloniorum Præfecti, qui si hactenus officium suum in exigendis vectigalibus egressi sunt, ne deinceps quemquam præter jus onerare videantur, eo loco providebitur.

Item ut adsint omnes, quorum Forenses controversiæ

verſiæ hactenus manent indeciſæ, de iis etiam quoque judicium inſtituetur.

Quisquis autem non adfuerit nec litterarum Privilegiorum ac monumentorum ſuorum ſuper præfatis rebus recognoſcendorum copiam eo loco fecerit, is tanquam Jure victus cauſa & privilegiis ſuis cecidiſſe prorſus cenſebitur. Præterea autem extra receſſuum Comitialium litteras, mandat hoc tempore Majeſtas illius, ut quisquis ſive Conſiliariorum, ſive Nobilium, ſive adeo ex Civitatum Communitatibus, ſive ex Eccleſiarum Capitulis Privilegia ulla habeat ad Jus Reipublicæ pertinentia, ea ad locum Comitiorum adferat, ut de eis atque ex eis Privilegiis de rebus ad Rempublicam pertinentibus cognoſci ac conſtitui poſſit.

Quæ ſane omnia propterea ad eum modum articulatim D. Veſtris expoſita ac repetita ſunt, ut res tanta, qua una aſſidue omnium maximo ordinum ſtudio agitanda, reliquis pene omnibus conſultationibus mora jam pridem & impedimentum infertur, diutius excuſatione eorum extrahi non poſſit, qui ſibi de ea non ſatis a Majeſtate illius renuntiatum eſſe etiam ſuperioribus Comitiis querebantur.

Et quoniam ejusdem executionis non minima pars, ut Veſtræ Dominationes intelligunt, eſt etiam ipſa quorundam Ducatuum ac terrarum cum Regno unio, ne quid in eo quoque Respublica Majeſtatis illius officium deſideret, egit proxime Majeſtas illius in Magno Lithuaniæ Ducatu, inque terris Pruſſiæ & Oſuecimenſibus ac Zatorienſibus Du-

catibus per Nuncios suos, ut iis populis unio hæc cum Regno omni ratione persuaderetur, omninoque persuadet sibi Majestas ejus, terrarum ac Ducatuum illorum Nuntios in Comitiis Regni esse affuturos. Quo etiam Livonienses Legatos ejusdem rei causa venturos esse non dubitat Majestas ipsius.

Etsi autem iis duabus rebus executione ac unione recte constitutis, maxima reliquarum Reipublicæ difficultatum ansa præcisa esse videbitur, tamen cum Regnum suum Majestas illius nec foris adhuc ab hostibus satis tutum, & domi multis dissidiorum causis magnopere implicatum esse videat, prætermittere non potuit, quin de his quoque ad D. Vestras hoc tempore referet, ut cum statum ac conditionem totius Reipublicæ Dominationes Vestræ animo complexæ satis fuerint, videant quibus & qualibus potissimum Nuntiis Rempublicam hoc tempore committendam existiment.

Scytharum Natio nomini nostro infesta atque inimica tantum adversus nos non audet, quantum a suis viribus intelligit sibi esse interdictum.

Valachorum gens nec magnopere ipsa fidei ac fœderum religionem novit, nec si nosset, satis colere posset, quæ arbitrio hominum ejusmodi regitur, qui nihil religione, nihil officio fidei & humanitatis, sed pleraque omnia utilitate sua metiri dicerunt.

Turcicis autem fœderibus qui magnopere fidendum esse existimaret, is recte parum admodum animo prospiceret. Nunc quidem inclinata admodum

modum & prolapsa Imperatoris sui ætate, afflicto etiam rebellione & dissensionibus filiorum, & prorsus ad res militares fracto ac collapso animo ipsius, tamen vix ac ne vix quidem se continent, quin fines Regiæ Majestatis non solum oberrent, sed etiam magna sæpe multitudine transgrediantur. Quid? si Ducem unquam & Imperatorem animo suo parem nacti fuerint, quid eos tandem ausuros non putamus? Sed de his minus mirum, si ne a Germania quidem satis tuta sunt omnia, quæ movendis sæpe a Silesia ac nunquam finiendis controversiis finium videndum est, ne quid intus alat, quod rebus nostris aliquando incommodet. Moschus autem si non idem perpetuus esset ditionum Regiæ Majestatis hostis, ex iis tamen solis rebus, quas exiguo tempore hoc adversus subditos & fœderatos Majestatis Regiæ non tantum instituit, sed etiam magna ex parte confecit, satis indicii dedit, quid deinceps nobis dormientibus facturus esse videatur.

Ad quos omnes veteres propemodum ac hæreditarios Polonici nominis hostes recens etiam hoc tempore accessit Sveciæ Rex, qui nullis indictis antea Regiæ Majestati inimicitiis, Livoniam Majestatis ejus fœderatam provinciam cum exercitu invasit, aliquotque jam in ea civitates cepit.

Atque hæc quidem foris. Domestica enim mala commemorare refugit animus Majestatis illius, tum quod notiora sint, quam ut explicari ea oporteat, tum quod sine summo Majestatis illius

& bonorum omnium dolore commemorari posse non videntur.

Nam ut cæteræ intestinæ Reipublicæ calamitates omittantur, quibus vetus illa legum atque morum nostrorum libertas oppressa ac demersa jacet, tot profecto odia, tot dissidia, tot machinationes, tot cædes, tot violentiæ, tot rapinæ, tot, uti fertur, conspirationes assidue fieri videntur, ut nisi morbo obviam primo quoque tempore itum fuerit, & nisi Judiciorum ratio ex commodo & dignitate Reipublicæ constituta fuerit, ne locus quidem amplius medicinæ fore videatur. His igitur de causis omnibus Comitia Regni Generalia per Majestatem illius sunt indicta, ad quæ ut D. Vestræ ejusmodi Nuntios eligant, qui eorum Comitiorum negotia recte & ex dignitate majorum ac ex commodo totius Reipublicæ posse sustinere videantur, Majestas illius D. Vestras etiam atque etiam hortatur.

Id erit, si ii, qui ad id munus delecti erunt, prudentia rerumque usu ac vitæ denique integritate præstiterint, & si Reipublicæ commodis sua alienaque omnia posthabuerint, omniaque sua consilia non ad privatum commodum, sed ad publicam omnium utilitatem, & ad retinendam omnium hominum atque ordinum Reipublicæ concordiam accommodaverint, si denique a D. Vestris de omnibus, quæ a Majestate Illius in deliberationem eo loco proponentur, plenam agendi & statuendi acceperint facultatem.

Proponentur etiam a Majestate ejus ad consultan-

ſultandum in iis Comitiis potiſſima libertatis illius capita, pro qua obtinenda majores Veſtrarum Dominat. majoribus Majeſtatis Illius Principibus Poloniæ operam & vitam ſuam conſecrabant, qui non pro auro & argento, nec pro iis, quæ temporum injuriæ aut fortunæ ludibrio ſubjecta ſunt, omnem fere ſuam vitam ſtipendiis merendis exigere ſolebant, ſed pro legibus Patriæ & libertate: nec D. Veſtris poſteris ſuis aurum & argentum, & cætera, quæ ſervi admirantur, reliquerunt, ſed reliquerunt leges æquitatis & libertatis ſummæ pleniſſimas, quas vos eorum poſteri, omnibus omnium gentium ac nationum populis, qui dignitatem ſui nominis cenſu ſolo & reditu metiri didicerunt, ita opponere poſſetis, ut bona commodaque eorum omnia longiſſimo intervallo ſuperare videamini.

Ut nihil æque convenire videatur, quam D. Veſtras ejus Libertatis, quæ legibus & inſtitutis veteribus continetur, patrimonium conſervare, proque eo vindicando omnia ſuſcipere non recuſare.

Quam ad rem pluribus verbis D. Veſtras Regia Illius Majeſtas hortaretur, niſi intelligeret ad earum legum vim ac poteſtatem aſſervandam, quarum tantopere executionem D. Veſtræ expetunt, ſatis ipſas ſua ſponte proclives eſſe & propenſas. Sacra quidem Regia illius Majeſtas, usque adeo Reipublicæ neceſſitati ſe non eſſe defuturam pollicetur, ut cum in ipſius cauſa omne ſuum ſtudium, conſilium, operam, laborem contulerit, ne vitæ quidem ipſi, ſi res poſtulet, parſura videatur.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV.

UNIVERSALES LITTERÆ AD EXECUTIONEM PERTINENTES.

Ad Comitia omnes invitat & inprimis caput illud de exhibendis privilegiis vehementer urget.

UNiversis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Nobilibus Dignitariis, Officialibus, Civitatum & Oppidorum Magnatibus, Cæterisque omnibus & singulis Subditis nostris, cujuscunque status, dignitatis, conditionis & præeminentiæ existentibus, ubicunque locorum per Regnum & Dominia nostra commorantibus, sincere & fidelibus nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Sincere & Fideles dilecti. Sicut nobis assidue versatur ob oculos esse nos singulari Dei beneficio, & maximis subditorum nostrorum studiis, ad ea Regni nostri gubernacula collatos, ex quibus summus ad nos cedit honos, summaq; dignitas, ita vicissim deponere ex animo nostro cogitationem non possumus de rebus, quas muneris istius, officiique nostri esse arbitramur; Inprimis autem ut Rempublicam nostram, quæ nos suis prope manibus in hac Regia sede collocavit, cum foris ab hostibus tutam & securam, tum domi etiam tranquillam & florentem quam maxime præstemus, idque tum retinendis in ea rebus iis, quibus salus ipsius continueretur, tum vero iis, quibus dignitas ac incolumitas ipsius in discrimen adduci posse videretur, e medio amovendis. Quamobrem cum intelligeremus, multa in eam paulatim processu temporis contra leges & Majorum instituta

tuta irrepſiſſe, quæ mutuis Ordinum ac hominum diſſidiis in ſuam ipſorum & Reipublicæ perniciem materiam ſuppeditarent, datis publice cum alias, tum in Comitiis Petricovienſibus Anno MDLV & deinde Varſavienſibus anno inſequenti, & poſtremo rurſus Petricovienſibus, quæ noviſſime ante annum tertium celebrata fuerunt, litteris fidem noſtram obſtrinximus, nos eſſe in his omnibus, quæ Regnum noſtrum perturbarent, veterum legum executionem ſummo ſemper omnium Ordinum ſtudio expetitam primo quoque tempore Reipublicæ præſtaturos. Quam executionem cum nuper adeo tam Nuntiorum Nobilitatis noſtræ Majoris & Minoris Poloniæ, qui ad nos nuper ex Nova Civitate & Petricovia ablegati fuerunt, quam Conſiliariorum etiam quorundam, qui nos ſæpe de eo per litteras compellarunt, maxima cura atq; ſtudio a nobis efflagitari videremus, ut fidem tandem noſtram Reipublicæ interpoſitam liberaremus, faciendum nobis exiſtimavimus, ut Comitia Regni noſtri Generalia Petricoviæ loco legitimo ad decimum quintum diem Novembris, hoc eſt ad primam Dominicam poſt diem feſtum ſancti Martini indiceremus, in quibus præter cætera, quæ receſſuum Petricovienſium & Varſavienſium litteris continentur, etiam hanc legum & privilegiorum executionem quam maxime urgebimus, eamque Deo propitio ad exitum optatum deducere ſtudebimus. Quod noſtrum ſtudium ne quid tandem ſit, quod impedire poſſit, quoniam proxime actis Comitiis extitiſſe quosdam meminimus, qui ut eam

execu-

executionem remorarentur, ſuam ignorationem, a nobis autem nullam denuntiationem factam prætexebant, omnibus, quos ſuperius recenſuimus, his litteris noſtris denuntiamus, ac noſtra Comitiorumque illorum ſuperiorum autoritate mandamus, ut omnes & ſinguli ſubditi noſtri parati ſint in his proximis Petricovienſibus Comitiis ad producendum & oſtendendum omnia & ſingula Jura & Privilegia, litteras ac munimenta ſua, ſi quæ habeant aut habere ſe prætendant ſuper bonis Regiis, quæ obtinent adverſus Conſtitutiones Divi Caſimiri Avi noſtri de arcibus & præfecturis principalibus, ac territoriorum Jurisdictionem habentibus; tum etiam adverſus conſtitutiones Divorum Patruorum noſtrorum Uladislai de bonis ad officium magni Procuratoris pertinentibus, & Alexandri de donationibus & obligationibus bonorum menſæ noſtræ, ac extenuationibus ſummarum in eisdem bonis inſcriptarum. Mandamus etiam eadem & Comitiali autoritate, ut in iis Comitiis adſint omnes, quicunque retinent incompatibilia, ſive ea ſint officia, ſive dignitates, advitalitates, ſolida, & cætera quæ legibus publicis teneri prohibentur. Nec minus ii qui ulla Telonia pontium, aggerum, fluminum aut alioquin Vectigalia quæcunque in bonis ſuis exigere conſueverunt. Mandamus item, ut Civitates tam Regni quam terrarum Pruſſiæ, in qvibus ulla emporia ſunt conſtituta, privilegia & litteras ſuas de eorum emporiorum Jure, cæteræ autem quoque Civitates omnes privilegia ſua omnia, quæ publicas Regni leges Eque-

ſt risv

ſtrisve libertatem Ordinis offendunt, in iisdem Comitiis repræſentent. Domini etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi & Capitula Eccleſiarum repræſentare & exhibere debebunt in iisdem Comitiis litteras quasdam, quæ ut nonnulli aſſerunt adverſus publicam libertatem emanarunt. Mandamus præterea, ut adſint in iisdem Comitiis qui pertinere ad cauſam de advocatiis Dominorum ſpiritualium, quibus advocatiis ratio militiæ olim conceſſa eſt, cujus quidem cauſæ cognitio ibi inſtituetur; item ut adſint novorum Teloniorum præfecti, qui ſi hactenus officium ſuum in vectigalibus exigendis egreſſi ſunt, ne deinceps præter Jus quemquam onerare videantur, diligenter providebitur. Item ut adſint omnes, quorum forenſes controverſiæ hactenus manent indeciſæ, de iis enim quoque judicium conſtituetur. Poſtremo autem omnibus & ſingulis tam Conſiliariis quam Nobilitati & Civitatibus, atque adeo Eccleſiarum Capitulis mandamus. ut ſi qua penes ſe habeant Privilegia, ad Jus Reipublicæ pertinentia, ea ſecum ad locum Comitiorum adferant, ut de iis atque ex iis Privilegiis de rebus ad Rempublicam pertinentibus cognoſci & conſtitui poſſit. Eo enim conſilio hæc a nobis fiunt & geruntur, ut Reipublicæ fidem atque opem noſtram jam pridem imploranti, tandem ſublatis omnibus impedimentis ſatisfaciamus, noſtrumque erga illa ſtudium & voluntatem cum ad præſens ſæculum, tum apud poſteritatem omnem teſtatum faciamus. Quamobrem ſi quis ſe ipſum ab iis futuris Comitiis ſubduxerit, nec ſeſe cum literis, privile-

vilegiis, juribus ac monumentis ſuis ſuper præfatis rebus apud nos eo tempore ſtiterit, vel earum litterarum, privilegiorum, monumentorum recognoſcendorum copiam non fecerit, is quidem ſi quid, quod a nobis deſideret, conſequutus non fuerit, ſibi ipſi imputabit, & tanquam jure prorſus victus extitiſſet, cauſa omni & privilegiis, quæ tunc abſcondere, quam in publicum proponere maluerit, cecidiſſe Comitiali noſtro decreto judicabitur, nos vero nullius prorſus abſentia aut contumacia obſtante ad executionem Jurium & Privilegiorum omnium, tam totius corporis Regni, quam omnium membrorum ejus proceſſuri ſumus. Secus ſinceritates & fidelitates veſtræ ne fecerint, Datum Vilnæ 7 Septembr. M D LXII.

XXXV.

CANCELLARIO REGNI.

Rogatur Cancellarius, ut ad conventum Oſvieczymenſem & Comitia nomine Oſvieczymenſis & Zatorienſis Ducatuum veniat.

MAgnifice, Sincere nobis Dilecte. Expoſcentibus Reipublicæ Regni noſtri negotiis Comitia generalia Regni Petricoviæ ad Dominic. poſt ferias Divi Martini proximam indiximus. Quoniam autem receſſuum Comitialium litteris Petricovienſibus anni 1555, Varſavienſibus annī 1556, & rurſus Petricovienſibus 1559 admonemur, ut ad ea Comitia, unionis & executionis maxime cauſa, ſubditi quoque noſtri Oſvieczimenſis & Zato-

Zatorienſis Ducatuum per nos accerſantur, S. Veſtram uti eorum Ducatuum Præfectum & Capitaneum hortamur, ut diem quintam Octobris, quæ erit poſtridie S. Franciſci, conſtituat, ad quam utriusque Ducatus Conſiliarii, Dignitarii & Nobilitas in Oſvieczym conveniant, Nuntium noſtrum de iis rebus nomine noſtro diſſerentem audituri, Nuntiosque ſuos unionis & executionis cauſa ad Generalia Regni Comitia deſignaturi. Ut autem iis rebus Sinceritas quoque Veſtra interſit, Nuntiosque ex illa Nobilitate graves & prudentes viros deſignari curet, cum plena ad omnia, quæ in Comitiis Regni Generalibus proponentur, facultate, illam etiam atque etiam hortamur. Aliter Sinceritas Veſtra ne fecerit. Datum &c.

XXXVI.

CASTELLANO OSVECZIMENSI.

Ejusdem argumenti.

GEneroſe, Fidelis Dilecte. Expoſcentibus Reipublicæ Regni noſtri negotiis Comitia generalia Regni Petricoviæ ad Dominicam poſt feriaſ Divi Martini proximam ediximus, Conventumque utriusque illius Ducatus Nobilitati in Oſvieczym, quibus injunximus, ut in Oſvieczym ad diem quintam Octobris, quæ erit in Craſtino Sancti Franciſci, conveniant, ut ibi Nuntium noſtrum audiant, de rebusque propoſitis deliberent. Si igitur Conventui Fidelitas tua intererit, Nuntiosque unionis & executionis cauſa ad generalia Regni Comitia deſignari procurabit viros graves & prudentes, rei-

que publicæ ſtudioſos, cum plena poteſtate in Generalibus Regni Comitiis conſentiendi ad omnia, quæ iis e republica fore videbuntur. Aliter Fidelitas tua ne fecerit pro gratia noſtra.

XXXVII.

P. POREMBSKI.

Ejusdem argumenti.

VEnerabilis, Dilecte nobis. Ediximus Nobilitati Ducatuum Oſvieczymenſis & Zatorienſis, ut ad diem quintum Octobris, quæ erit poſtridie Sancti Franciſci, in Oſvieczym conveniant, Nuntiumque noſtrum de executione legum & privilegiorum, deque unione ſui cum Regno noſtro Poloniæ, ſecundum quod nos eſſe facturos literis publicis receſſuum Comitialium receperamus, diſſerentem noſtro nomine audiant. Quamobrem D. Tuam hortamur, ut illuc nomine noſtro ad eam diem proficiſcatur, eisque mandata noſtra ſecundum inſtructionem, quam D. Tuæ mittimus, diligenter exponat. Factura D. Tua pro gratia noſtra.

XXXVIII.

PRÆSCRIPTUM LEGATIONIS A REGIA MAJESTATE AD NOBILITATEM DUCATUUM OSVIECZTMENSIS ET ZATORIENSIS.

Ad Comitia invitat, in quibus quæ peragenda ſint breviter enarrat, tum, ut uniri ſe cum Regno patiantur, varia ratione hortatur.

Dicta

Dicta ſalute & gratia Majeſtatis Regiæ Nuntius in hunc modum verba faciet:

ARbitratur ſacra Regia Majeſtas D. Veſtris ignotum non eſſe, ſe magnis Reipublicæ neceſſitatibus adductam, Comitia Regni ſui generalia Petricoviæ ad diem quindecimam Novembris, id eſt, ad Dominicam poſt diem feſtum ſancti Martini proximam edixiſſe. Et quoniam ternis receſſuum Comitialium litteris, videlicet Petricoviæ Anno MDLV, & item Varſaviæ MDLVI, & poſtremo Petricoviæ rurſus MDLIX fidem ſuam Majeſtas illius Reipublicæ obſtrinxerat, ſe eſſe ejusmodi Comitia edicturam, in quibus de executione legum ac privilegiorum omnium, quæ maximis omnium Ordinum ſtudiis flagitabatur, deque quorundam Ducatuum ac terrarum cum Regno ipſo unione quam maximè ageretur: cum proxime Majeſtatem illius Nuntii Nobilitatis majoris & minoris Poloniæ Vilnæ præſentes & plerique ex Conſiliariis & Senatoribus per litteras de eo magnopere admonerent, prætermittere amplius Majeſtas ſua noluit, quin ejusmodi Comitia unionis atque executionis indiceret.

Cum autem hi quoque Ducatus Oſvieczymenſis & Zatorienſis nominatim ad eam rem litteris receſſuum Comitialium expreſſi ſint, ut ad ejusmodi Comitia per Majeſtatem Illius accerſantur, faciendum Regia Illius Majeſtas exiſtimavit, ut tota ea de re ad D. Veſtras referret ac renuntiaret, easque hoc jam tempore ad Regni ſui Comitia Gene-

neralia, quæ indixit Petricoviam, quemadmodum facturam ſe receperat, accerſeret.

Ac quod legum quidem & privilegiorum executionem attinet, hortatur Majeſtas Regia, & ſua Comitiorumque præfatorum ſuperiorum autoritate mandat, ut omnes & ſinguli ſubditi Majeſtati ejus jura & privilegia, litteras ac monumenta ſua exhibeant in proximis Comitiis, & oſtendant ſi quæ habeant, aut habere ſe prætendant, ſuper bonis Regis, quæ obtinent adverſus conſtitutiones Divi Caſimiri Avi Majeſtatis Illius, & de arcibus & præfecturis primariis territoriorum jurisdictionem habentibus, tum etiam adverſus conſtitutiones Divorum Patruorum ipſius Vladislai de bonis ad officium magni Procuratoris pertinentibus, & Alexandri de donationibus & obligationibus bonorum menſæ Regiæ, ac extenuationibus ſummarum in eis de bonis inſcriptarum. Mandat etiam ſua cauſa & Comitiali autoritate, ut in iis proximis Comitiis adſint omnes, quicunque retinent incompatibilia, ſive ea ſint officia, ſive dignitates, ad vitalitates ſolida, & cætera quæ legibus publicis tenere prohibentur.

Nec minus ii qui ulla telonia pontium, aggerum, fluminum aut alioquin vectigalia quæcunque in bonis ſuis exigere conſveverint. Item incolæ civitatum tam Regni quam terrarum Pruſſiæ, qui ulla emporia habent conſtituta, ut privilegia & litteras ſuas de eorum emporiorum jure, cæteræ autem omnes civitates privilegia ſua omnia, quæ publicis Regni legibus equeſtrisve ordinis libertati

tati præjudicare videantur, in iisdem Comitiis repræsentent.

Domini etiam Archiepiscopi & Episcopi ac Capitula Ecclesiarum repræsentare & exhibere debebunt in iisdem Comitiis, quæ pertinere existimant ad causam de advocatiis dominorum spiritualium, quibus advocatiis vacatio militiæ olim concessa fuit, cujus quidem causæ cognitio in iis Comitiis instituetur.

Item ut adsint novorum teloniorum præfecti, qui si hactenus officium suum in exigendis vectigalibus egressi sunt, ne deinceps quemquam præter jus onerare videantur, eo loco providebitur.

Item ut adsint omnes, quorum Forenses controversiæ hactenus manent indecisæ, de iis etiam quoque judicium constituetur. Quisquis autem non adfuerit, nec litterarum, privilegiorum ac monumentorum suorum super præfatis rebus recognoscendorum copiam eo loco fecerit, is tanquam jure victus causa & privilegiis suis cecidisse prorsus censebitur.

Præterea autem extra recessuum Comitialium litteras mandat hoc tempore Majestas Illius, ut quisquis sive Consiliariorum, sive Nobilium, sive adeo ex civitatum communitatibus, sive ex Ecclesiarum Capitulis privilegia ulla habeat, ad jus reipublicæ pertinentia, ea ad locum Comitiorum afferat, ut de eis atque ex eis privilegiis de rebus ad rempublicam pertinentibus cognosci aut constitui possit.

Atque hactenus quidem de executione, cujus

ſane capita idcirco verbis pluribus D. Veſtris expoſita ſunt, non ut omnia ad illas Regia Majeſtas putet pertinere, ſed ne quicquam eorum, quæ de executione in Comitiis agenda ſunt, D. Veſtras latere videatur.

Quod autem unionem attinet, hoc ſane videtur Regiæ Majeſtati non magis ad Regni ipſius quam ad D. Veſtrarum & Ducatuum iſtorum rationes ac utilitates pertinere.

Cum enim ipſa quoque rerum natura ita comparata ſit, ut unita qvam diſperſa fortior valentiorque appareat, ſicut in omnibus naturalibus rebus videre licet, profecto Imperiorum qvoqve & Provinciarum omnium robur ac firmitas conſenſione maxime & concordia atque unione conſtat.

Declaravit id quisquis ille fuit, qui cum Regnum ſuum, quod jam moribundus liberis ſuis traditurus erat, quam maxime eſſe cuperet firmum atque perpetuum, advocatis liberis concordiam illis potiſſimum non tam oratione longa, quam exemplo & imagine viva commendare voluit, allatisque plurimis bacillis ac ſingulis ad ſingulos eorum deferri juſſis, primum ut quisquis eum qui datus eſſet perfringere conaretur, eſt adhortatus, quod cum ſine negotio quisque eorum perfeciſſet, junctis rurſus in unum faſcem ac colligatis bacillis compluribus, idem eos in faſce colligato, quod olim in bacillis ſingulis, tentare juſſit. Cum autem iis res non æque ſuccederet, ut compactam bacillorum vim poſſent perfringere, ſubjunxiſſe fertur: *Sic vos filii, concordia firmos & me-*

& metuendos reddet, discordia debiles, & ad omnem impressionem oportunos. Plane sicut ille item alter, etiam ad liberos itidem moriturus, *Equidem*, inquit, *Filii, Regnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

Cum igitur tanta sit concordiæ vis, ut sine ea maxima etiam Imperia diu stare non possint, satis profecto constat, magis omnino Vestrarum D. quam Regni ipsius interesse videri, ut hæc ista unio, pro qua laboratur, jam tandem consequatur. Sic enim Ducatus quidem isti maximi unius Regni, plurimarumque præterea Provinciarum accessione vires suas magnopere confirmabunt: Regnum autem ipsum ex ampliſſimarum sane ditionum adjunctione maximum etiam sentiet incrementum.

Quæ cum ita se habeant, pro eo ut salutem & incolumitatem Ducatuum istorum cordi habet Regia Illius Majestas, hortatur & mandat etiam atque etiam, ut ne D. Vest. hanc occasionem rebus suis consulendi temere prætermittant, sed re bene perpensa atque agitata, Nuntios de medio sui eligant, viros prudentia rerum & gravitate conspicuos, qui nomine illarum ad Generalia Regni Comitia Petricoviam profecti, pleniſſima a D. Vestris agendi ac statuendi accepta facultate possint de unione ac executione hac cum cæteris Regni Nuntiis consultare, & quatenus rebus communibus conducere existimaverint suffragio illam suo comprobare.

Sic enim fore Majeſtas ejus arbitratur, ut ad has quoque D. Veſtrarum Provincias ornandas expeditior eſſe poſſit, ſi illas quoque cum cæteris ſuis ſubditis non ſolum eodem Imperio, ſed prorſus jam eadem civitate, & eodem fœderis ac charitatis vinculo eſſe viderit comprehenſas.

XXXIX.

EXCEPTIO DUCIS FINLANDIÆ CAUNAM ADVENTANTIS.

Rex præſens gratulatur Duci de adventu & bene ominatur tractatibus.

Quantam voluptatem ſacræ Regiæ Majeſtati attulerit adventus Illuſtritatis Veſtræ in Dominium & Ditiones Majeſtatis Illius, exiſtimat ſua Majeſtas jam pridem Illuſtritati Veſtræ cum multis aliis ex rebus abunde perſpectum eſſe, tum præcipue ex ſermone Conſiliariorum Majeſtatis ejus, quos ea maxime de cauſa Majeſtas illius ad Illuſtritatem Veſtram Gedanum in primo ſtatim adventu ablegarat.

Quo ſuo ergo Illuſtritatem Veſtram officio etſi cæteris omnibus Majeſtas Illius plane ſatisfaciebat, tamen cum ipſa ſibi ſatisfacere adhuc non videretur, omnia poſthabuit, ut Illuſtritati Veſtræ obviam procederet, & non amplius per Legatos & Internuntios, ſed præſens præſenti fauſtum ac felicem adventum ſalutemque & incolumitatem eam gratularetur, qua eſſe Illuſtritatem Veſtram cum magna animi ſui lætitia Majeſtas Illius intuetur.

Optat

Optat autem ex animo, ut hic primus Majeſtatis ſuæ cum Illuſtritate Veſtra congreſſus primum ipſis utrisque, deinde populis ac ditionibus eorum, totique adeo reipublicæ Chriſtianæ ſit quam maxime proſper & ſalutaris, ut ita ab iis initiis Majeſtatis ſuæ & Veſtræ Illuſtritatis amicitia profecta ad maxime optatos & utriusque dominiis lætos ac fructuoſos exitus deducatur.

XL.

EXCEPTIO DUCIS FINLANDIÆ VILNAM ADVENTANTIS.

Gratulatur de adventu Ducis in metropolim Lithuaniæ, & quantam Rex voluptatem ex ejus congreſſu hauſerit, tum quantum maturari neceſſitudinis vinculum optet, ſignificat.

ADvenientem Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram ad eam urbem, quæ totius ejus oræ caput, & magni iſtius Lithuaniæ Ducatus metropolis eſt, Regia hæc ſacratiſſima Majeſtas ſumma animi ſui cum voluptate excipit, eamque ſalutem ac incolumitatem, qua eſſe Illuſtriſſimam Celſitatem Veſtram conſpicit, plurimum illi & vere gratulatur. Ex Illuſtribus ſane & Ducali nomine inſignibus perſonis hoſpes nemo in his Regionibus Majeſtati illius dari aut offerri potuit, cujus conſpectus aut gratior Majeſtati Illius, aut jucundior eſſe potuiſſet. Ejusmodi enim ex primo illo cum Illuſtriſſima Celſitate Veſtra congreſſu guſtum ſvavitatis, morum atque ingenii Illuſtriſſimæ Celſitatis

Veſtræ Majeſtas Illius cepiſſe ſibi eſt viſa, ut e veſtigio & in amorem ac benevolentiam ipſius magnopere exarſerit, & cum ea cujusdam neceſſitudinis jura primo quoque tempore conſtituere in animum induxerit.

Cujus temporis jucunditas ne quid hoc & ſermone retardari videatur, hoc breviorem me Majeſtas illius eſſe juſſit, quod & Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ alioque perſvaſum eſſe credit, adventum hunc Illius Majeſtati ſuæ eſſe quam gratiſſimum, & quod prope diem, ut dixi, non verbis amplius, ſed re ipſa omni maxime inſigni & perſpicua declarare omnibus conſtituerit, Illuſtriſſimam Celſitatem Veſtram eſſe ſibi maxime acceptam.

XLI.

ORATIO GENIALIS DICTA IN NUPTIIS SORORIS REGIS SECUNDO GENITÆ, DIE 4 OCTOBRIS.

Rex a tutela Sororis ſe abdicat, tum exaggeratur Regis favor, virginem multis negatam contra mores Regni & naturæ leges ipſi deſpondentis, & ut amorem uxori, amicitiam Regi ſervet Dux, admonetur, addito voto.

EEſi maxima ex parte confecta jam videri poſſint omnia, quæ ad ſanctitatem ceremoniarum honorabilis iſtius & divinitus conſtituti conjugii pertinere videbantur, cum hodie Illuſtriſſima Soror Sacratiſſimæ hujus Regiæ Majeſtatis, quod inprimis Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra tanto ſtudio expe-

expetere videbatur aris atque altaribus ſacris religioſiſſime admota in manum Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ ſolenniter convenerit, ſuamqve fidem volente ſacra ipſius Majeſtate Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ ita jurejurando obſtrinxerit, ut Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram ſuum caput, ſe autem ejus veluti capitis corpus profeſſa fuerit. Tamen quoniam tutoria poteſtas ſemel a Majeſtate ſua poſt exceſſum Divorum Parentum in Illuſtriſſimas has Sorores ſuas legitime ſuſcepta atque uſurpata, hærere nihilominus penes Majeſtatem ſuam videatur, donec depoſita & in Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram translata fuerit, conſtituit ſacra Regia Majeſtas, ſe ea quoque tutoria poteſtate in præſentia abdicare, illaque Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ de more prorſus cedere: ut ne quid ſit, quod ad ſolidum Majeſtatis Illius erga Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram beneficium in hoc genere deſiderari videatur.

Ac intelligit quidem Regia illius Majeſtas, ſe gratiam iſtius non vulgaris nec mediocris officii, quod Chariſſimam & Illuſtriſſimam ſuam Sororem Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ deſpondere non dubitaverit, vel una illa re ſatis cumulatam eam pridem credidiſſe, quod cum Majeſtatis illius duæ Sorores eſſent, utræque æque regio more regioque cultu ita a Divis Parentibus & deinde a ſe quoque illorum exemplo educatæ, ut ſummorum quorumqve Principum & Regum connubio digniſſimæ viderentur: tamen in deſpondenda alterutra Illuſtriſſimæ Celſitatis Veſtræ neque naturæ

ac ætatis ordinem, neque majorum ſuorum morem in his ejusmodi rebus obſervatum, nimium ſuperſtitioſe adverſus Illuſtriſſimam Celſitatem Veſtram urgere Majeſtas illius voluit, ſed quam ſibi jam tum ab initio Illuſtriſſima Celſitas Veſtra conjugem depopoſciſſet, eam quaſi quodam Divino conſilio Illuſtriſſimæ Celſitati Veſtræ deſtinatam in matrimonium evocavit. Qua in re antea plerisque tum Italiæ tum Germaniæ Principibus ſæpe poſtulantibus adverſiſſimam ſe Majeſtas præbuerat. Verum tanta eſt magnitudo amoris Majeſtatis Illius in Illuſtriſſimam Celſitatem Veſtram, ut modum pene ei rei ponere ipſa neſciat, ſed quicquid ad gratificandum Illuſtriſſimæ Celſitati Veſtræ pertinere exiſtimet, id magno cum ſtudio ultro ipſa in ſe ſuſcipiat; Exiſtimans viciſſim amicitiam & neceſsitudinem illuſtriſsimæ Celſitatis Veſtræ pro eo ut illam omnibus boni & elegantis Principis dotibus præditam intuetur, cum ipſi ſibi, tum regno, Provinciisque ſuis omnibus ornamento ac dignitati, communibus autem utrisque populis ſaluti atque præſidio futuram.

Quod igitur fauſtum, felix fortunatumque ſit, Regia Illius Majeſtas Illuſtriſsimam Sororem ſuam, quam non ita pridem Illuſtriſsimæ Celſitati Veſtræ deſpondit; hodie autem in Dei ipſius optimi maximi & omnium Senatorum conſpectu in manum Illuſtriſſimæ Celſitatis Veſtræ convenire aſſenſit, eam nunc de hac iſta ſua Regia manu paternis atque Avitis trophæis clariſsima, ſuis autem quoque ipſius victoriis olim quod ſperabamus de-

ſtina-

ſtinata, in manum illuſtriſsimæ Celſitatis Veſtræ fide ac integritate præſtantem in conjugem ac vitæ ſociam individuam tradit propriamque Illuſtriſsimæ Celſitati Veſtræ eſſe jubet, nomen etiam tutorium, quod hactenus penes ſe fuit, in illam transferendo.

Quamobrem cum intelligat Illuſtriſsima Celſitas Veſtra omnem, quæ humanis divinisque legibus ſumma fingi poteſt, Illuſtriſsimæ hujus virginis poteſtatem ad ſe perveniſſe, quæ relictis cæteris, quos parentum loco habuit, Illuſtriſsimæ Celſitati Veſtræ adhæſerit, ſeque totam ad voluntatem & arbitrium Illuſtriſsimæ Celſitatis Veſtræ capitis ſui contulerit, magnopere æquum eſt, ut vicisſim Illuſtriſsima Celſitas Veſtra Illuſtritatem ejus non ſecus atque corpus ſuum ipſius diligat. Non jam enim tantum unus animus in duobus corporibus, ſicut de communi amicitia vulgares olim Philoſophi diſputabant, ſed ſicut de magno hoc ſacramento Dei maximi oraculo jam tum in Paradiſo pronuntiatum extat, duo prorſus in carne una facti eſſe videmini, nec jam duo amplius, ſed prorſus animus unus & caro una, qva conjunctione nulla major nullaqve arctior excogitari poteſt. Qvæ qvamqvam ita ſe habeant, ut Celſitas ejus Dei optimi maximi præcepto magnopere ab Illuſtriſsima Celſitate Veſtra diligi ac foveri debeat, habet tamen præterea Illuſtriſsima Celſitas ejus in ſe ipſa tanta ad amorem ſui incitamenta, & quaſi ſanctas qvasdam amoris illecebras vel a naturæ benignitate liberaliſsime in ſe collatas, vel virtutis ſtudio

ac diſciplina caſtisſima comparatas, ut nemo neque miretur, ſummo ſtudio Illuſtritatem ejus ab Illuſtrisſima Celſitate Veſtra

hic quædam omiſſa

dubitet ejusmodi illi in Illuſtrisſimæ Celſitatis Veſtræ benevolentia locum fore, ut prorſus ad eum modum, qui ipſius genere & fortuna regia, moribusqve ſanctisſimis dignisſimus habebitur tractari ab Illuſtrisſima Celſitate Veſtra videatur.

Equidem Regia Majeſtas, quæ tradita ad eum modum Illuſtrisſimæ Celſitati Veſtræ Sorore ſua, ſuas omnes opes ac facultates ad omnia affinitatis præſtanda officia Illuſtrisſimæ Celſitati Veſtræ detulit, confidit daturam operam, ut ſicut ipſa in Majeſtatis ſuæ Regniqve ac ditionum ſuarum omnium facultatibus & opibus certum ſibi omnium fortunarum ſuarum præſidium poteſt polliceri, ita vicisſim ad Majeſtatis ſuæ Regniqve ac dominiorum ejus commoditates, atque uſus, ſtudium ac voluntatem ſuam adjungat & ita comparet, ut ejus affinitatis conjunctionem omnibus ſibi officiis tuendam eſſe intelligat.

Nos autem cæteri, quod unum poſſumus, ut hoc ſanctisſimum Matrimonii vinculum & quaſi qvoddam mutuæ ſocietatis fœdus cum Celſitat. Veſtris primum, in quarum perſonis contractum eſt, tum Majeſtati quoque huic & Regno ipſius ac poſtremo communibus utriusque populis ac ditionibus bene atqve feliciter eveniat, Deum optimum maximum vinculi hujus ac fœderis inter homines

mines autorem ſummum votis omnibus quæſumus & oramus.

XLII.

DUCIBUS POMERANIÆ.

Excuſat ſe, quod eorum petitis gratificari ſtatim non poſſit, & eorum arbitrio permittit, ſi quem ad Comitia ſua proxima legatum iis de rebus mittere velint.

ILluſtres Principes, Domini Conſangvinei & Vicini noſtri Charisſimi. Binas ab Illuſtritatibus Veſtris litteras accepimus, quibus a nobis poſtulant, tum ut ne vias publicas & jam pridem communibus Commiſſariorum decretis conſtitutas, qua ex civitate noſtra Gedanenſi in Lipſiam & reliqua Germaniæ loca iter eſſe ſolet, commutari pro quorumdam hominum arbitrio patiamur, tum ut ne quid cives Stetinenſes ſubditos illarum præter officium feciſſe exiſtimemus, quod ii adducti ſunt, ut ſcribunt, Illuſtriſſimorum Principum Joachimi & Joannis Marchionum Brandenburgenſium ac civium Francofordienſium injuriis, ut veterem libertatem navigationis per Oderam non nihil edicto ſuo, cujus exemplum ad nos Illuſtritates Veſtræ miſerunt, repreſſerint: quinpotius ut ſi Illuſtritatibus Veſtris in Comitiis Imperii, ſuo & ſubditorum ſuorum nomine, queri propterea contigerit, Oratori noſtro Illuſtritatibus Veſtris adeſſe jubeamus. Ac eſt quidem noſtra in Illuſtritates Veſtras ea benevolentia, ut illis

ſane

sane gratificari per omnem occasionem maxime cupiamus, quemadmodum id nos Illustritatibus Vestris sæpe declarasse arbitramur. Verum cum eæ res, de quibus ad nos Illustritates Vestræ scribunt, ad publicam Regni Consultationem pertineant, nos autem præterea & nuptiis Illustrissimæ Sororis nostræ & apparatu itineris in Poloniam propter Comitia, quæ ad vigesimum secundum Novembris diem in Oppido Petricovienſi indiximus, occupatiores essemus, quam ut festinanti Illustritatum Vestrarum tabellario responsum ad res singulas dare hoc tempore potuissemus, omnia ad Comitia Regni nostri distulimus. Quo Illustritates Vestræ, si ipsis videbitur, Legatos quoque suos mittere poterunt, ut de iis cæterisque communibus rebus atque negotiis responsum nostrum de Consilii nostri sententia dare Illustritatibus Vestris possimus. Quas optime valere cupimus. Datum &c.

XLIII.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Cum rumor sit de Turcis Cæsareas provincias invasuris, hortatur Cæsarem ad pacem cum Nepote suo ineundam.

SErenissime & Excellentissime Princeps Domine Parens noster charissime & honorande. Cum a Majestate Vestra responsum expectaremus ad ea, quæ non ita pridem de studio nostro pacis inter Majestatem Vestram & Serenissimum Nepotem

tem nostrum constituendæ ad Maj Vestram scripseramus, afferuntur ad nos minime omnium exoptandi rumores, veteres atque perpetuos Christiani nominis hostes, rebus suis domi prorsus ex animi sententia compositis, totos se ad vexandas atque evertendas Christianorum res, eas autem inprimis, quæ ditione atque Imperio Majestatis Vestræ continentur, convertisse: quemadmodum & Majestas Vestra ex venerabili Oratore nostro, ad quem copiosius iis de rebus scribimus, melius cognoscet. His igitur rumoribus magnopere permoti, faciendum nobis existimavimus, ut non exspectato Majestatis Vestræ responso, iterum Majestatem Vestram pro nostra erga illam observantia, hortaremur, ad hanc istam cum Serenissimo Nepote nostro constituendam ac firmandam pacem atque concordiam: quæ etsi antea Majestati Vestræ non magnopere sive ad suas ipsius, sive ad publicas res atque rationes necessaria videbatur, ea plane esse videntur tempora, ut si ea vera sint, quæ ad nos adferuntur, vix quicquam sit æque necessarium. Quamobrem Majestatem Vestram etiam atque etiam plurimum rogamus, respiciat tandem Rempublicam Christianam eamque intentis in ipsius perniciem atrocissimis hostibus, ne mutuis dissidiis conflictari, & quod Deus avertat, collabi patiatur. Earum quidem induciarum, quæ inter Majestatem Vestram & Serenissimum Nepotem nostrum sunt pactæ, tempus dimidium iam prorsus præteriit, nullis ad pacem non modo constitutis, sed ne tentatis quidem rationibus. Hic autem

profecto fere videbatur earum induciarum fructus amplisſimus, ſi per eas certa aliqua & firma pax inter Majeſtatem Veſtram & Nepotem noſtrum conſtituta fuiſſet. Ad quam ſane pacem Sereniſſimi ipſius Nepotis noſtri animum autoritate noſtra ſemel adductum, etiam in medio recentium quarundam injuriarum, quibus præter pacta induciarum a Balasſio continuo affici dicitur, tamen adhuc videmus eſſe inclinatiſſimum. Quod ſi idem de Majeſtate Veſtra, uti profecto maxime æquum eſt, ſperare licet, nos quidem iterum jam ab ea petimus, ut nos de loco & tempore & modo ejus conficiendæ, quam primum faciat certiores, ut earum induciarum tempus, quod nullo operæ pretio transactum eſt, diligentia noſtra ſarciatur. Cætera venerabili Oratori noſtro ad Majeſtatem Veſtram renuntianda commiſimus: quem ut Majeſtas Veſtra benigne audiat, etiam atque etiam rogamus. Quam felicem eſſe inprimis & incolumem cupimus: eique ſtudia noſtra magnopere commendamus. Datum X Octobr.

XLIV.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Gaudet proclivem ad pacem Cæſarem eſſe, & exaggeratis iterum Turcarum motibus rogat, ut Balaſſius a vi Tranſſylvanis inferenda retrahatur.

HEri accepimus Majeſtatis Veſtræ litteras, quibus nobis ad ea reſpondet, quæ non ita pridem de ſtudio noſtro pacificationis Hungaricæ ad illam

Digitized by Goog

illam perscripseramus. Etsi autem otio non valde abundabamus in hoc procinctu nostro in Regnum nostrum Poloniæ, tamen hunc tam felicem & fortunatum cursum tam sancti & salutaris negotii remorari ulla ex parte noluimus. Itaque primum quidem Majestati Vestræ gratias agimus, quod ad postulata, ut scribit, & intercessionem nostram primum quidem inducias annuas cum Sereniss. Domino Nepote nostro constituerit: deinde autem nunc quoque ejusmodi animum ad pacem & quietem communem præ se ferat, qualis & Majestatis Vestræ persona inprimis dignus, & rebus Christianorum communibus quam maxime est oportunus. Quem sane animum ut eo non solum libentius, sed etiam constantius retinendum sibi esse Majestas Vestra arbitratur, non existimavimus, nobis apud illam dissimulandum esse, quod eam tamen aliunde quoque accepisse non dubitamus, allatos ad nos his diebus esse certissimis autoribus minime omnium exoptandos rumores, veteres atque perpetuos Christiani nominis hostes, rebus suis non ita pridem domi ex animi prorsus sententia compositis, motibusque omnibus sedatis ac compressis totos se ad vexandas ac evertendas Christianorum res, eas autem inprimis, quæ ditione atque Imperio Majestatis Vestræ continentur, convertisse. Quemadmodum Majestas Vestra ex venerabili Oratore nostro, ad quem copiosius iis de rebus scribimus, luculentius cognoscet. Quod etsi nos communium rerum causa quam maxime abesse putamus, tamen ex eo confirmandam esse Majestatem Ve-

stram in ipsius propositio existimavimus, ut si antea Majestas Vestra amicitiam ac conjunctionem cum Sereniſſimo Nepote nostro aliquid, sive ad suas ipsius, sive ad publicas res atque rationes, momenti adferre posse arbitrabatur, nunc ea plane esse tempora intelligat, ut eam ad plerasque res sibi quam maxime fore utilem & oportunam existimet. Ad quam nos quidem amicitiam non tam hortari amplius Majestatem Vestram, quam gratias illi agere debemus, quæ animadversis pro sua prudentia his aut ejusmodi Christianæ Reip. periculis usque adeo ad pacem & concordiam consilia sua omnia referre videtur, ut & captivos nostra causa gratis esse dimittendos existimaverit, & si pax ipsa propter brevitatem reliqui temporis induciarum inter Majestatem Vestram & Sereniſſimum Nepotem nostrum confici tam cito posse non videatur, ultro ipsa Majestas Vestra prorogationem induciarum obtulerit iisdem, quibus olim, pactis atque conditionibus. Etsi autem is demum ampliſſimus induciarum fructus esset, si quam primum certa aliqua pax inter Majestatem Vestram & Sereniſſimum Nepotem nostrum posset constitui, & quanquam hactenus indueiarum istarum ratio ea fuerit, ut tam Majestati Vestræ quam Sereniſſimo Nepoti nostro nonnullam utrinque qverelarum occasionem præbere viderentur, propter privatorum qnorumdam, ut arbitramur, studia, qui cum ad se induciarum religionem minus pertinere existiment, interdum a vicinorum injuriis manus abstinere non possunt. Tamen nos quidem

dem Sereniſſimo ipſi Nepoti noſtro eam prorogandarum induciarum liberalitatem, ſi pax interim propter Majeſtatis Veſtræ abſentiam tractari ac conſtitui non poteſt, futuram eſſe gratiſſimam confidimus. De quo cum voluntatem Serenitatis ejus cognoverimus, uberius ad Majeſtatem Veſtram perſcribemus. Nunc quidem affirmare Majeſtati Veſtræ non dubitamus Serenitatis ejus animum, cum autoritate noſtra, tum ſua quoque ſponte adductum, etiam in medio recentium quarumdam injuriarum, quibus ſe præter pactorum rationem a Balaſſio continuo affici queritur, tamen ad amicitiam Majeſtatis Veſtræ eſſe inclinatiſſimum. Miſit enim Serenitas ejus nunc quoque ad nos Internuntium cum pactis atque conditionibus futuræ pacis, quibus ſe ſtrictioris cum Majeſtate Veſtra amicitiæ ac conjunctionis ſtudioſiſſimum eſſe profitetur; quemadmodum de eo copioſius Oratori noſtro ſcribimus. Recte igitur Majeſtas Veſtra fecerit, primum, ſi hunc animum Serenitatis ejus amore ſuo eſſe proſequendum exiſtimaverit, deinde, ſi quod jam pridem feciſſe ſe ſcribit, multo & diligentius fecerit, ſuisque hominibus, atque adeo Balaſſio ipſi inprimis, ſevere edixerit, ut ſeſe ab injuriis contineant, nullamque induciis durantibus hoſtilis animi in ditiones Serenitatis ejus ſignificationem edant. Quod idem ut Sereniſſimus Nepos noſter faciat, & olim jam quidem ad Serenitatem ejus diligenter ſcripſimus, & deinceps diligentius etiam ſcripturi ſumus. Cætera venerabili Oratori noſtro ad Majeſtatem Veſtram

renuntianda commiſimus. Quem ut Majeſtas veſtra benigne audiat, etiam atque etiam rogamus. Quam felicem eſſe inprimis & incolumem cupimus, eique ſtudia noſtra magnopere commendamus. Datum 21 Octobris.

XLV.

ELECTO REGI HUNGARIÆ.

De propenſa Cæſaris ad pacem voluntate nuntiat, eamque ne moretur hortatur, & laudata Legati apud Cæſarem Martini Cromeri fide, non repugnat tamen, ſi peculiarem Oratorem ad pacem conficiendam mitti a ſe velit Rex Hungariæ.

SEreniſſime Princeps Domine Nepos noſter Chariſſime. Quantæ curæ ſit nobis pacificatio iſta Serenitatis Veſtræ cum Cæſarea Majeſtate, cum nos ipſi nobis egregie conſcii ſumus, tum res quoque ipſa loquitur. In quo ne pluribus verbis uti neceſſe habeamus, in his præſertim noſtris occupationibus apparatus noſtri in Regnum noſtrum Poloniæ, mittimus Serenitati Veſtræ exemplum litterarum Cæſareæ Majeſtatis, ex quo Serenitas Veſtra intelliget, quantum hactenus non modo laboraverimus, ſed etiam jam profecerimus apud Majeſtatem ejus in negotio Serenitatis Veſtræ, quod tamen nobis negotium non magis Serenitatis Veſtræ eſſe videtur, quam ipſius Regni Hungariæ, atque adeo Reipublicæ Chriſtianæ. Quamobrem faciendum eſſe Serenitati Veſtræ cenſemus, ut primo quoque tempore Internuntium ſuum mittat

mittat ad Cæsaream Majestatem, illique tam de prorogando induciarum tempore, & captivis dimissis, quam de hoc tam præstanti & egregio erga se animo, gratias quam diligentissime agat, ab illaque postulet, ut eam induciarum prorogationem, quam usque adeo liberaliter Majestas ipsius litteris ad nos datis offerre videtur, litteris apertis & patentibus consignari, ac publicari jubeat, ut tractatio ipsa pacis, cujus spes brevitate reliqui temporis induciarum effluere ac evanescere plane jam videbatur, liberius atque adeo commodius instituí possit, quandocunque Majestati ipsius vacare iis rebus per aliarum ditionum occupationes licuerit. Quod quidem tempus ne nimium extrahatur, etiam in ista induciarum prorogatione petet ac postulabit Serenitas Vestra per Internuntium suum diligenter a Majestate Ipsius; petetque item & postulabit, ut eis induciis durantibus edicat Majestas ejus, multo & quam antea fecit severius, ne quis suorum hominum ditionem Serenitatis Vestræ hostili manu turbare audeat. Se autem quoque suis hominibus idem edicere paratum esse ostendet Serenitas Vestra, sic enim nos illam facturam esse recepimus. Etenim cum ad eas litteras Majestati ejus responderemus, deque ejusmodi ad publicam concordiam propenso & proclivi animo Majestati ejus gratularemur, significavimus quoque Serenitatem Vestram ad pacem & amicitiam Majestatis ejus magnopere esse inclinatam, omniaque esse facturam, quæ a Serenitate Vestra bono publico fieri posse ac debere videbuntur.

Digitized by Google

Petiimus autem ea quoque ipsi pro Serenitate Vestra a Majestate ipsius, ut nihil aliud restare videatur, quam ut ne quoque Vestra Serenitas sibi ipsa defuisse videatur. Ad extremum Oratori quoque nostro Venerabili Martino Cromero diligenter per litteras mandavimus, ut Internuntio Serenitatis Vestræ apud Majestatem ejus nostro nomine omnibus in rebus adsit, negotiaque ejus opera & consilio suo quam maxime juvet. Si præterea opus erit, etiam alium Oratorem de industria, eorum negotiorum causa, ad Majestatem Cæsaream designabimus, sive Magnificum Vilnensem Palatinum, uti petit Serenitas Vestra, sive quem alium, si is forte per alia nostra & Ducatus nostri Lithuaniæ negotia proficisci tunc non poterit, præsertim Majestate ipsius profecta hoc tempore ad partes Imperii sui remotiores. Quamquam nobis quidem ad ea omnia suffecturus videtur idem iste Venerabilis Martinus Cromerus, qui & apud Majestatem Cæsaream in primis est gratiosus & nobis in rebus omnibus assidue probat fidem prudentiamque suam. Sed nos tamen, si id dignitas Serenitatis Vestræ & negotiorum ipsius rationes postulare videbuntur, proprium iis rebus ac peculiarem Oratorem nostrum designare minime omnium gravabimur. Interea Serenitatem Vestram bene valere cupimus. Datum Vilnæ die XXIII Octobris.

XLVI.

Digitized by Google

XLVI.

HENRICO JUNIORI DUCI BRUNSVICENSI.

Narrat quid hactenus de Nuptiis ſororum agitatum fuerit, & quemadmodum minor natu Catharina Duci Finlandiæ per ſummam celeritatem deſponſata fuerit, eamque cauſam ait fuiſſe, quo minus Dux ad ſolennitatem eam invitari potuerit.

ILluſtriſsime Princeps, Domine Affinis & Conſangvinee noſter Charisſime. Superiore adhuc anno cœptum erat agi ab Illuſtri Domino Joanne Finlandiæ in Svecia Duce, per ſuos Internuntios & Oratores, de Matrimonio Illuſtriſsimæ Sororis noſtræ Catharinæ natu minoris. Cui Legationi cum nos aliquoties ita reſpondiſſemus, ut intelligeretur, nos nec ab affinitate Illuſtritatis ipſius abhorrere, nec in elocandis Illuſtriſsimis Sororibus noſtris, aut naturæ ordinem, aut Divorum majorum noſtrorum conſuetudinem immutare conſtituiſſe, ut minorem natu ante majorem in matrimonium elocemus, eo ventum fuit, ut Illuſtritas ejus communicato cum Illuſtri Fratre ſuo minore, Duce Oſtrogotiæ, conſilio utriusque Sororis noſtræ matrimonium ambire videretur, ſibi quidem ejus, quæ minor natu eſſet, fratri autem ſuo quæ natu major. A qua re quidem cum nos alienos non eſſe ſignificaſſemus, e veſtigio ſe ad iter Dux ipſe Finlandiæ comparavit, Gedanumque ad Civitatem noſtram adhuc in Junio appulit, cum ſpe

quadam certa, Fratrem quoque ſuum, Oſtrogothiæ Ducem, eodem cito poſt venturum eſſe. Cujus ſane adventus cum ita extraheretur, ut ad extremum ſignificaretur eum bellicis iſtis inter nos & Serenisſimum Sveciæ Regem, fratrem ſuum, ob Livoniam intercedentibus ditione ſua exire, ad affinitatem noſtram ambiendam auſum non fuiſſe, res autem de nuptiis Illuſtris Domini Finlandiæ Ducis & Illuſtrisſimæ Sororis noſtræ natu minoris cum magnopere jam percrebuiſſet, indiesque etiam magis ac magis percrebreſceret, faciendum nobis exiſtimavimus, quod quidem & fecimus ad diem quartum Octobris, ut Illuſtrisſimam iſtam Sororem noſtr[illegible] Catharinam natu minorem Illuſtritati ejus, non exſpectato alterius fratris adventu, deſponderemus. Quod autem ſub idem tempus Comitia Regni noſtri jam indixiſſemus, quibus nos ipſos intereſſe omnino oporteret, factum eſt, ut & nuptias ipſas juſto celerius accelerare neceſſe haberemus, nec ad eas quemquam externorum Principum invitare potuiſſemus. Hæc ita Illuſtritati Veſtræ exponere voluimus, ut & affinibus nos auctos eſſe intelligat, & quod ad eam celebritatem invitata a nobis non fuerit, in optimam partem accipiat. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum 24 Octobris.

XLVII.

XLVII.

NOMINE DUCISSÆ FINLANDIÆ PRO MUNERE NUPTIALI GRATIARUM ACTIO.

Non donis, sed virtute Ducis ad ejus amorem se adductam testatur & vicissim non dona ipsi, sed se ipsam consecrat.

NOn donis neque muneribus ullis, sed sola prædicatione apud se singularium virtutum Illustrissimæ Celsitatis ipsius adducta fuit Illustrissima hæc Celsitudo, ut se ad amicitiam Illustrissimæ Celsitatis suæ aggregaret, ut quam Illustrissima Celsitudo ejus conjugem suam maxime omnium esse vellet.

Nunc etiam nihil est, quod magis in Illustrissima Celsitudine ejus admirandum esse sibi existimet, quam eas ipsas virtutes Illustrissimæ Celsitudinis suæ, quæ sanctissimi istius connubii potissima causa & origo fuerunt.

Quibus freta facile se consecuturam Illustrissima hæc Celsitudo existimabat, ut quod inprimis maxime omnium studet, ex suis item virtutibus amari ab Illustrissima Celsitudine ejus videatur. Hic est Illustrissimæ hujus Celsitudinis thesaurus summus, hæc summa voti atque desiderii ipsius esse in amore & benevolentia Illustrissimæ Celsitudinis ejus conjugis sui longe omnium amantissimi. Itaque his donis atque muneribus ab Illustrissima Celsitudine ejus ad se missis, amplis sane atque magnifi-

gnificis, ita demum monetur Illustrissima hæc Celsitudo, quod sibi persvadet ea esse significationes ejus amoris & benevolentiæ erga se, qua benevolentia nihil post Deum haberet Celsitudo ejus majus, nihilque amplius. Eoque sane nomine ea ab Illustrissima Celsitudine ejus gratissimo excipit animo.

Quæ quidem munera etsi Illustrissimæ huic Celsitudini vicissim ejusmodi muneribus rependere Illustrissima Celsitudo ejus maxime cuperet; tamen quoniam Illustrissima Celsitudo ejus non existimat hæc ejusmodi a se desiderari, pro his quidem muneribus omnibus unum illud munus remittendum esse Illustritati ejus statuit, se ipsam videlicet & fidem animumque suum, quem se esse semper Illustritati ejus præstituram quam maxime integrum ac candidum Illustrissima Celsitudo ipsius pollicetur.

XLVIII.

INSTRUCTIO DATA DOMINO CHMIELIOMSKI A S. R. MAJESTATE AD SERENISSIMUM DOMINUM SVECIÆ REGEM PROFECTURO DIE VI AUGUSTI.

Inducias primum fieri, quam de pacificatione tractatio instituatur, præcipit: querelarum, quas habeat, capita ordine recenset, & quæ postulanda sit satisfactio indicat: in causa Ducis Curlandiæ si suum judicium per suspecto habeatur, arbitros & dele-

delegatos judices admittit: tandemque niſi cætera impetrari poſſint, urgendam tamen Pernoviæ contra jus & fas ereptæ reſtitutionem omnino mandat.

PRincipio ſalute dicta, noſtrisque ſtudiis & officiis Serenitati Ejus, ut Vicino, Amico & Fratri noſtro diligenter nomine noſtro delatis precabitur Nuntius noſter Serenitati ejus omnem felicitatem.

Deinde dicet:

Etſi ex iis rebus, quæ ab exercitu Serenisſimi Regis Svecorum Livoniæ ſuperioribus temporibus evenerunt, incredibilem dolorem caperemus, qvod bellum provinciæ noſtræ fœderatæ inferri, agros ferro atque igne vaſtari ac populari, urbes partim ad defectionem ſollicitari, partim occupari, præſidiaque noſtra per ſummam ignominiam deturbari, aliaque fieri, quæ ardente bello ignaviſſimus quisque licere ſibi exiſtimat, pati pro officio noſtro poſſe non videremur; tamen cum amicitiam Serenitatis ejus & publicam tranquillitatem antiquisſimam haberemus, nihil prius faciendum exiſtimaviſſe, quam ut per litteras Nuntiumque noſtrum Serenitatem ejus compellaremus, ab eaque de animo & voluntate erga nos ditionesqne noſtras omnes perquireremus. Quas ad litteras Nuntiumque noſtrum etſi Serenitas ejus humanisſime, & quotiescunque ad nos ſcriberet, cum ſumma amoris ſui & benevolentiæ erga nos teſtificatione ſemper reſponderet: tamen cum verbis Serenitatis ſuæ, ea quæ indies in Livonia ab exercitu

citu Serenitatis ejus gerebantur, esse viderentur contraria, misisse novissime litteras Nuntiumqve nostrum, quibus Serenitatem ejus certiorem faciebamus de omnibus, quæ ad nos de Livonicis cladibus ab exercitu Serenitatis ejus per eos dies illatis adferebantur, quæsivisse denique, num hæc volente aut jubente Serenitate ejus Livoniæ evenirent, aut numquid nobis præterea ditionibusque nostris ab exercitu & hostilitate Serenitatis ejus cavere oporteret.

Quibus litteris nostris cum per epistolam suam Serenitas ejus respondisset, amicitiam se nostram & magni feciſſe semper & adhuc magni facere, cladibus Livoniæ illatis quibusdam injurias suas rependisse, quibusdam se non consensisse, nullis vero unquam nobis nocere constituisse, mandata nostra & Nuntium cum plena facultate ad transigendum de omnibus & expectasse jam pridem & adhuc expectare: faciendum nobis existimavisse, ut pro eo, quod publicæ pacis & amicitiæ Serenitatis ejus studiosi sumus, Nuntium nostrum cum plena facultate ad transigendum mitteremus. Qui quidem Nuntius noster ante omnia laborabit, ut quoniam transactioni inter belli & armorum strepitum locus nullus esse possit, induciæ paciscantur, dum aut de rebus omnibus transigatur, aut rebus infectis ac utrinque desperatis discedatur. Jam enim nuper in expugnatione Pernoviæ demonstratum esse, nisi induciæ non solum pactæ, sed etiam publicatæ, & ad eos, quorum interest, perlatæ fuerint, irritam esse omnem tractationem.

Incum-

Incumbet igitur Nuntius noſter in eam curam inprimis omni, quo maxime poterit, ſtudio, ut inducias obtineat, quibus impetratis ſignificabit Præfectis exercituum noſtrorum in Livonia, ut ii interea ab armis ſibi & omni hoſtilitate abſtinendum eſſe intelligant. Petetque ſimul, ut idem Serenitas ejus ad exercitus ſui Præfectum perferri ac renuntiari quam primum jubeat. Providebit autem Nuntius noſter, ut iis quoque induciis Illuſtris Dominus Curlandiæ Dux cum omnibus ſuis contineatur.

Quod cum erit factum ad transactionem ſe accinget, expoſitisque cladibus & injuriis Livoniæ quas ex legatione Germanica Illuſtris Domini Curlandiæ Ducis, & ex replicatione ejusdem latina ad reſponſum Serenitatis ejus cognoſcet, ſummam fere omnium in hæc capita conferet.

Principio, quod, cum latere Serenitatem ejus non poſſet, populum Livoniæ univerſum Majeſtatem noſtram comiter agnoſcere, ipſum autem Curlandiæ in Livonia Ducem in fide ac clientela noſtra eſſe: tamen Serenitas ejus cum ſe eſſe ab eo Duce Curlandiæ læſam profiteretur, quem in fide noſtra eſſe non ignorabat, aliis potius rationibus cum Illuſtritate ejus contendere & jus ſuum perſequi, quam apud nos actione intentata de illo conqueri maluerit. Deinde quod paucis poſt diebus Revaliam interceperit, arcem & civitatem fidei ac clientelæ noſtræ, in quibus præſidia noſtra, quæ erant iſtic adverſus Moſcoviticas duntaxat impreſſiones a Chriſtianorum hominum cervicibus

bus repellendas collocata, Chriſtiani Regis armis atque telis oppugnata ac ejecta ſunt cum dolore noſtro incredibili, damno vero etiam & jactura tanta, quanta ex amiſſione arcis & civitatis opportunisſimæ ſentiri potuit.

Poſtremo, quod cum ad nos multa tum per litteras Serenitatis ejus, tum per Magnificum Comitem a Tenczin Oratorem noſtrum, ac per Generoſum Ezechiam Rippert, Illuſtriſſimi Domini Finlandiæ Ducis Internuntium, de Serenitatis ejus erga nos benevolentia, deque item oppugnationis Revalienſis peramica excuſatione, ac denique de induciarum ultro abSerenitate ejus in quadraginta & amplius dies dilatarum conditione afferrentur: cumque nos non modo nihil hoſtile a Serenitate ejus interea temporis metueremus, ſed etiam finem atque exitum Livonicos tumultus vel ex eo maxime conſecuturos crederemus, quod dictum Magnificum Comitem, quem nos inſcii adhuc pactarum & propoſitarum induciarum ad tentandam amicam controverſiarum compoſitionem cum plena facultate miſeramus, eundem pactis induciis, Serenitas ejus a nobis in eodem negotio mitti per litteras poſtularet, Pernoviam item Serenitas ejus ceperit, arcem & civitatem non ſolum impoſitis præſidiis, ut Revalia, ſed prorſus & poſſeſſione & uſu & omnis dominii ratione plane noſtram.

In qua occupanda permulta violata eſſe, primum nos ipſos, qui quidem Serenitati ipſius nullam unquam ejusmodi hoſtilitatis cauſam præbuimus,

mus, quique ſi quid Illuſtris Curlandiæ Dux in Serenitatem ipſius deſignaſſet, pœnas alienæ culpæ luere non debuimus. Deinde violatam eſſe exiſtimationem quoque & dignitatem Serenitatis ejus, quæ nullis nobis ante denuntiatis & indictis inimicitiis, more & inſtituto majorum, per ſpem transactionis, cum nos videlicet ab exercitu interea Serenitatis ejus ſecuri alio copias noſtras derivaveramus, bellum funeſtum intulit noſtræ civitati. Violatam eſſe poſtremo fœderum & inducarum ſanctitatem, omnibus mortalibus religioſiſſimam, quam unam multi bello egregii omnium ætatum omniumque nationum Duces atque Imperatores colere, quam ea neglecta imperiis potiri ſæpe maluerunt.

Quod cum ad eum modum exaggeratis tamen quam maxime ſumptibus & injuriis tum noſtris, tum Illuſtris Curlandiæ Ducis ſecundum rationem a Serenitate quoque ejus in conditionibus poſterius propoſitis factum expoſuerit;

Poſtulabit ſatisfactionem de iis omnibus injuriis ſic, ut primo Serenitas ejus omni Livonia ſibi eſſe excedendum, exercitusque & præſidia ſua omnia inde deducenda in animum inducat. Deinde ut Padis, Revaliam, Pernoviam & quidquid arcium, urbium, locorum denique ullorum interceptum a Serenitate ejus in Livonia eſt, nobis cum ſuis territoriis reſtituat. Tum ut damna tam nobis quam ſubditis noſtris per omne id tempus illata reſarciat. Poſtremo, ut Illuſtrem Dominum Curlandiæ Ducem non alio loco, quam ut clientem & Vaſal-

lum noſtrum habeat atque tractet. Offeret autem Serenitati ejus a nobis primum oblivionem omnium injuriarum illatarum & conſtantem amicitiam noſtram, quæ quos & quantos fructus utriusque noſtrum ditionibus paritura videatur, ſi ſemel ſtabilita deinceps ex animo culta fuerit, proponet verbis pluribus Serenitati ejus.

Offeret item promptam & paratam voluntatem noſtram jus dicendi Serenitati ejus de Illuſtri Domino Curlandiæ Duce, Cliente & Vaſallo noſtro, ſi id a nobis legitime poſtulatum fuerit. Nam hactenus nudam tantum accuſationem adverſus Illuſtritatem ejus propoſitam fuiſſe, ſine ulla legitimi aut judicii, aut arbitrii forma & figura. Quam tamen accuſationem cum Illuſtritas ejus, a nobis requiſita, rationibus refelleret, ad eas autem rationes nemo ex adverſo reſponderet, univerſam ſponte evanuiſſe.

Offeret præterea, ſiquidem Serenitati ipſius Judicium arbitriumve noſtrum ſuſpectum eſſe videretur, nos jam nunc conſentire, ut res tota, ſive delectorum utrinque Commiſſariorum ſive Cæſareæ ipſius Majeſtatis aut Sereniſſimorum Bohœmiæ Daniæve Regum ſive adeo - - - - - - - arbitrio permittatur. Quorum nos quidem ſententiam non minus quam noſtram ipſius ratam in hoc genere habebimus, & quoad opus erit adverſus Illuſtrem Dominum Curlandiæ Ducem exſequemur.

Hæc ita Nuntius noſter cum Serenitate ejus nomine noſtro aget.

Cum

Cum autem ad rem ipsam ventum fuerit, & omnia quæ petimus obtineri non posse viderit, tantam de postulatis nostris deductionem paulatim faciat, ut ad extremum Pernoviam saltem recuperasse, & Svecicum exercitum e Livonia amovisse videamur.

Pro qua Pernovia aget quam maxime poterit, ostendendo eam civitatem præ cæteris in Livonia juris maxime & potestatis nostræ fuisse, captam autem per tempus induciarum & proditionem esse. Nam & peculiariter jusjurandum nobis fidei & obedientiæ præstitit & se fortunasque suas omnes privatim in clientelam nostram tradidit, & possessionem denique ac usum omnem sui concessit, & breviter Dominium nostrum secundum omnem, quæ lege institutisque hominum fingi potest, rationem agnovit.

Commemorabit item, si bellum illud, quo ea capta est, contra nos instituebatur, tum nullis ante denunciatis nobis & indictis inimicitiis institutum fuisse. Si contra Livonos, tum non in ea urbe, quæ Livoniorum esset, sed quæ propria nobis, belli illius vim & impetum erupisse. Omnino autem & hæc facere & per induciarum tempus bello quicquam sive in eorum, sive in nostris urbibus & arcibus tentare non conveniſse.

XLIX.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Intercedit pro suo Physico Francisco Nascimbeno Canonicatum petenti, & rogat, ut Capitaneo Gradiscensi a Cæsare interdicatur, ne ea in re molestus illi amplius sit.

FEcerat non ita pridem S. D. N. ad postulata nostra, ut egregio viro Francisco Nascimbeno, Utinensi, Physico nostro, amplissimam facultatem concederet, apprehendendi Canonicatus aut Prælaturæ cujuscunque in Ecclesia Aquilejensi, quam primo quoque tempore vacuam esse contigisset. Qua sane is ornatus facultate, cum primum ex hac vita sublatus esset, quidam ex Canonicorum illius Ecclesiæ Collegio possessionem ejus Canonicatus per Procuratores istic suos adiit, nemine prorsus adversante. Nunc adfertur ad nos Capitaneum Gradiscensem ditionis Majestatis Vestræ opponere se possessioni huic, nec permittere ut Physicus noster, legitimus ejus Sacerdotii possessor, fructus eos possit percipere, quos sub præfectura ipsius habere dicitur. Quod cum ita sit, Majestatem Vestram rogamus, ut Capitaneo huic Gradiscensi per litteras suas mandari jubeat, ut possessionem & usumfructum eorum bonorum quæ Canonicatus istius sub præfectura Gradiscensi propria sunt, Physico huic nostro liberum prorsus permittat, nec committat ut jus & æquitas ipsa in Physico hoc nostro violetur, ut iterum eadem de re

re Majeſtatem Veſtram compellare neceſſe habeamus. Confidimus id Majeſtatem Veſtram pro ſua juſtitia & erga nos gratia ac benevolentia libenter eſſe facturam, quam diu optime valere cupimus, cuique ſtudia noſtra omnia etiam atque etiam commendamus. Dat. Petricoviæ 28 Decembr. 1562.

L.

DUCI BRUNSVICENSI.

Pro opera, quam ad pacem cum Rege Sveciæ ineundam afferat, gratias agit, queritur vero de durioribus conditionibus ab eo propoſitis, & eas, quas ipſe propoſuit, communicat, & bonæ cauſæ ſuæ, niſi pax impetrari poſſit, bene ominatur.

ILluſtriſſime Princeps, & Domine affinis noſter chariſſime. Studium Illuſtritatis Veſtræ, quod ſe ad pacificationem Svecicam adhibuiſſe per litteras ſuas Illuſtritas Veſtra oſtendit, hoc ipſo nobis extitit gratiſſimum, quod optimo erga nos remque publicam chriſtianam animo & conſilio ab Illuſtritate Veſtra ſuſceptum eſſet. Conditiones quidem certe pacificationis iſtius, quas ad ſe ab Sereniſſimo Sveciæ Rege miſſas ait, ad nos mittit Illuſtritas Veſtra; & jampridem ad nos a Serenitate ipſius miſſæ, & usque adeo intolerabiles viſæ fuerunt, ut utrum eas ſuſcipiamus, an Livoniam univerſam ei concedamus, nihil intereſſe videatur. Quamobrem dederamus nos quoque ad Serenitatem ejus & numero pauciores & genere ipſo multo tolerabiliores conditiones, quas nunc etiam

ad Illuſtritatem Veſtram mittimus, ut ſi forte voluerit Illuſtritas Veſtra ea, quæ pro bono Reipublicæ Chriſtianæ ſemel cœpit, deinceps perſequi, & habere quoque ex ſententia noſtra poſſit, quod ſequatur. Omnino ſi Illuſtritas Veſtra Serenitatem ejus ad æquiores ullas quam hactenus oſtenſæ ſunt, conditiones, pro ſua erga nos ad rempubl. Chriſtianam egregia voluntate deducere poterit, nos quidem æquis & nobis dignis conditionibus quibuscunque nihil optabilius exiſtimaturi ſumus: qua de re etiam arbitrorum judicium utrinque delectorum recuſaturi non ſumus: Pacis enim profecto & tranquillitatis publicæ tam ſtudioſi & eſſe & haberi volumus, quam qui maxime. Quod ſi hanc lenitatem & humanitatem noſtram neglectam eſſe ab adverſariis viderimus, alia nobis ratio tuendi ac perſequendi juris noſtri neceſſario erit ineunda: in qua maxima ſpe tenemur, Deum optimum maximum injuriarum omnium vindicem, bonitati cauſæ noſtræ non eſſe defuturum. Illuſtritatem Veſtram optime valere cupimus. Datum Petricoviæ XXIIII Decembris anno ut ſupra.

Conditiones Pacificationis nomine S. R. Majeſtatis Poloniæ propoſitæ Sereniſſimo Regi Sveciæ.

Primo ut Sereniſſimus Rex Sveciæ Illuſtrem Dominum Curlandiæ Ducem, quem clientem & vaſallum noſtrum eſſe intelligit, univerſamque Provinciam Livoniam, quæ ditionis noſtræ eſt, non bello

bello neque armis, ſed judicio noſtro & legitimis rationibus proſequatur. Nos autem parati erimus jus Serenitati ipſius ſine omni mora reddere, ſi id a nobis legitime poſtulatum fuerit.

Secundo, ſin maluerit Serenitas ejus totum negotium de controverſia Livonica arbitrio alicujus Principis vel aliquorum Principum Chriſtianorum ſubjici, ne vero quidem recuſaturi ſumus, modo de tempore & loco conſtituatur, quo Commiſſarii tam noſtri quam Serenitatis ipſius ſint mittendi ad eas controverſias componendas.

Tertio, quod ſi etiam inter ſtrepitum armorum difficilior eſſe earum rerum tractatio Serenitati ejus videbitur, ne ab induciis quibusdam per aliquod tempus paciſcendis abhorrebimus, ſi forte interea commodius utrinque de omni concordiæ ac pacificationis ratione tractari poſſit.

Anno 1563.

LI.

ELECTO HUNGARIÆ REGI.

Hortatur ad Inducias ſervandas, & quæ ſit de ejus amicitia cum Turcis ſuſpicio ſignificat, ſvadetque ut a miniſtris ſibi diligenter caveat, ac tandem, ſi pax conſtituatur, de matrimonio quoque facilioremfuturam tractationem ſperat.

SEreniſſime Princeps & Domine, Nepos noſter chariſſime. Salutem & mutuam benevolentiam. Grata accidere Serenitati Veſtræ officia noſtra, quemadmodum ex litteris ipſius intelli-

gimus, magnopere gaudemus. Nos quidem etsi ipsa sangvinis conjunctione satis adducimur ad præstanda Serenitati Vestræ omnia necessitudinis officia, tamen animus quoque iste Serenitatis Vestræ, quem præ se fert erga nos gratissimus, vehementer nos delectat, & ad omne negotium alacriores facit. Quod ad designandum futuræ pacificationi Oratorem attinet, & si adhuc Reipublicæ nostræ maximis occupationibus impediti deliberationem de eo suscipere non potuimus, tamen curabimus primo quoque tempore, provisis aliis gravioribus Regni nostri & constitutis rebus, ut in ea re quoque Serenitati Vestræ satisfiat. Quod quidem hoc etiam magis maturabimus, quod tempus ipsum propemodum jam instare videamus. Cum primum autem constitutum nobis de eo fuerit, non negligemus Serenitatem Vestram facere certiorem. Interim Serenitas Vestra jura illa induciarum & vicinitatis cum Cæsarea Majestate diligenter etiam atque etiam colenda sibi esse proponat, neque occasionem ullam, quod quidem nobis de illa persvademus, præbeat a suisve hominibus præberi faciat, quo minus ex animo paci & quieti communi studere videatur. Inprimis autem controversias istas & tumultus, qui induciarum tempore ultro citroque exorti esse dicuntur, judicio arbitrioque communium Commissariorum componere studeat. Quod nos quidem etiam Serenitatis Vestræ studium libenter per Oratorem nostrum, ut petit, adjuturi sumus, dummodo de tempore & loco, de quibus cum Illustrissimo Principe

cipe

cipe Domino Carolo, Archiduce Auſtriæ, qui ejus rei a Cæſarea Majeſtate plenam facultatem habere debet, Serenitati Veſtræ convenerit, ab ipſa Serenitate Veſtra ſignificatum nobis fuerit. Ad Cæſaream autem quoque Majeſtatem iterum ſcripturi ſumus, ut ſuos ipſa quoque homines in officio contineat, nec violandis induciis cauſam ullam præberi faciat. Quod quidem illam & feciſſe jam, ex exemplo litterarum Sereniſſimi Domini Regis Romanorum intelligimus, & facturam porro eſſe magnopere confidimus. Eam rem autem univerſam hoc etiam magis Serenitati Veſtræ curæ eſſe volumus, quod non ita pridem videtur quiddam de Serenitate Veſtra ad Cæſaream Majeſtatem allatum eſſe, ex quo ſuſpicio cum rebus Serenitatis Veſtræ iniquiſſima tum temporibus ipſis alieniſſima Serenitati Veſtræ apud Majeſtatem illius creatur. Expoſtulaſſe etiam S. Majeſtatem illius ſerio cum Venerabili Oratore noſtro refertur, quaſi Serenitas Veſtra ſtudia Majeſtatis illius ad tranquillandas res Imperii Regnorumque ſuorum, atque adeo ipſius Chriſtianæ Reipublicæ ex inſtituto ſubvertere apud portam, ut dicitur, conata fuerit. Quæ quidem cogitatio etſi nobis quidem ab hac optima non tantum indole, ſed etiam virtute Serenitatis Veſtræ, aliena eſſe videtur, idque nos ſane ad eundem modum per venerabilem Oratorem noſtrum ad expoſtulationem Cæſareæ Majeſtatis reſponderi juſſimus, tamen totum id, quod de Serenitate Veſtra fieri illic intelligebamus, volumus ad ipſam hoc tempore referre illamque etiam atque etiam pro

noſtra erga illam propenſiſſima voluntate, admonere, quo omnia diligentiſſime devitet, ex quibus quacunque tandem ratione in hanc ſuſpicionem venire poſſit. Suſpicionem autem dicimus, nam a re ipſa, quod paulo etiam ſuperius teſtati ſumus, facile nobis perſvademus Serenitatem Veſtram prorſus eſſe alienam. Videat in omni adminiſtratione Regni ſui diligenter Serenitas Veſtra, quibus ad quodque negotium utatur adminiſtris & quantum cuique ex iis tribuendum ac credendum eſſe putet. Fit etiam fere perverſitate quadam morum iſtius temporis, atque utinam ne etiam potiſſimum iſtius regionis, ut mobilitas ingeniorum ad omnem anſæ mobilitatem ſe accommodet, nec tam conſiderent, quid perſonam fidemque ſuam deceat, quam quid rebus ſuis in ſpeciem conducere videatur. Quod ſi quos forte Serenitas Veſtra eo eſſe ingenio animadverterit, hos diligenter obſervare & a rebus gerendis quam maxime amovere debebit. Nos quidem in his & omnibus rebus, quæ ad ſalutem & dignitatem tum Serenitatis Veſtræ, tum Regni quoque & dominiorum ipſius pertinere exiſtimaverimus, ope conſilioque noſtro Serenitati Veſtræ nunquam deerimus. De ſpe matrimonii, quod a nobis quærit Serenitas Veſtra, ea quidem adhuc lenta eſſe videtur. Pacificatio ſi recte conſtituta fuerit, omnia ſucceſſura eſſe arbitramur. Quin etiam ad id, ut ea recte conſtituatur, valde putamus matrimonii conditionem accommodatam fore. Itaque

que pacem primum exquiremus, deinde cætera perſequemur. Serenitatem V. bene valere cupimus. Datum - - - - 24 Januarii.

LII.

AUGUSTO DUCI SAXONIÆ.

Commendat Fridericum a Canicz ob clandeſtina ſponſalia cum filia D. Chriſtophori Zobelii, Lipſienſis, contracta patria extorrem, eumque ut in gratiam Princeps recipiat, enixe rogat.

ILluſtriſsime Princeps, Domine Conſangvinee & Affinis noſter chariſſime. Dicitur Generoſus Fridericus a Canicz, Conſiliarius & Cubiculi Illuſtriſſimi Domini Pruſſiæ Ducis Conſobrini noſtri chariſſimi Præfectus, duarum ſimul maximarum rerum jacturam feciſſe: Primum quidem patriæ ipſius, in qua verſari tuto non poteſt, deinde autem gratiæ quoque Illuſtritatis Veſtræ, quam ille nihilo minoris quam patriam ipſam facit. Id autem illi dicitur eveniſſe propterea, quod cum pupillus adhuc clandeſtinis & præter matris curatorumque auctoritatem initis ſponſalibus ſe illigaſſet, ac cum filia Doctoris Chriſtophori Zobelii, Lipſienſis, ſponſalia contraxiſſet, ſententiæ poſtea Judicis Eccleſiaſtici non paruerit, uxoremque eam, quemadmodum per ſententiam jubebatur, non duxerit. Nos qui ſane fidem & obſervantiam Canitii erga nos Illuſtritatemque ipſam, Dominum Pruſſiæ Ducem, perſpectam & commendatam habemus, cum adverſitate iſta & incom-

incommodo ipſius non mediocriter permoveremur, faciendum nobis exiſtimavimus, ut ipſum negotiumque hoc illius Illuſtritati Veſtræ litteris noſtris commendaremus, poſtulantes ab Illuſtritate Veſtra majorem in modum, ut primum quidem offenſionem totam, quam adverſus illum fortaſſis concepit, noſtra cauſa illi remittat, deinde autem ut datis ipſi ad unius atque alterius anni ſpatium publicæ fidei litteris efficiat Illuſtritas Veſtra pro ſua autoritate, ut res ipſa de ſponſalibus amice inter partes ipſas præſentes componatur. Quod nos quidem Illuſtritatem Veſtram facturam eſſe confidimus, tum ob æquitatem ipſam, quæ clandeſtina & præter tutorum ac curatorum conſenſum contracta ſponſalia prohiberi dicuntur, tum ob commendationem noſtram, quam quidem apud Illuſtritatem Veſtram in hoc facto tantum valere cuperemus, quantum meretur cum res ipſa, tum mutua quoque iſta familiarum noſtrarum & jam pridem conſtituta neceſſitudo, quæ ut nobis eſt chariſſima, ita Illuſtritati Veſtræ viciſſim arbitramur non eſſe ingratam. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ - - Februarii.

LIII.

DUCI MEGAPOLENSI, COADJUTORI RIGENSI.

Miratur ab eo neminem miſſum eſſe, qui ejus nomine Comitiis adfuerit.

Illu-

ILluſtris & Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine Affinis noſter Chariſſime. Cum ad nos hoc Comitiorum noſtrorum tempore Illuſtris Dominus Curlandiæ Dux cæterique omnes Livoniæ ordines frequentes legationes miſerint, quibus nos de ſuo ſuarumque rerum ſtatu ac conditione pro fide & officio ſuo certiores facerent, non poſſumus non magnopere mirari ſtudium & officium ſolius Illuſtritatis Veſtræ in hoc genere defuiſſe: & nec amicos ullos Illuſtritatem Veſtram ad nos miſiſſe, nec iis qui aliorum nomine miſſi fuerint mandata ulla dediſſe, præſertim cum intelligat id tum ad ſalutem univerſæ provinciæ Livoniæ, tum ad ſe quoque magnopere pertinere; quod quidem pro eo, quantum Illuſtritatem Veſtram amore ac benevolentia noſtra proſequimur, celare Illuſtritatem Veſtram noluimus. Quam bene valere cupimus. Datum 6 Februarii.

LIV.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI.

Quo minus ſtudium ſuum ipſi præſtare hoc tempore potuerit, publica negotia obtendit, tum pro equis ſibi dono miſſis gratias agit.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Domine Nepos chariſſime. Ex Oratoribus Illuſtritatis Veſtræ intellexímus Illuſtritatis Veſtræ & Illuſtris Domini Parentis ejus negotia, de quibus ad nos referri voluit. Etſi autem omnes res Illuſtritatis Veſtræ omniaque illius negotia non multo minus

quam

quam noſtra curæ ſunt nobis, tamen occupati hoc tempore cum eſſemus plerisque rebus, quæ ad ſummam Reipublicæ & Regni noſtri pertinent, præſtare ſolitam noſtram voluntatem & ſtudium Illuſtritati Veſtræ non potuimus in negotiis ipſius explicandis, præſertim cum Magiſtrum ſtabuli Illuſtritatis Veſtræ, qui equos nobis ab Illuſtritate Veſtra donatos deduxerat, non exiſtimaremus tam diu hic eſſe detinendum, dum publica regni noſtri negotia conficeremus, quæ exitum adhuc ſuum non viderentur tam cito eſſe habitura. De equis ipſis, etſi ea eſt neceſſitudinis ac conjunctionis mutuæ noſtræ ratio, ut eam muneribus ullis confirmari minime ſit neceſſe, tamen cum Illuſtritati Veſtræ ita viſum ſit, ut eos equos penes nos eſſe voluerit, & hanc voluntatem & equos ipſos animo accipimus gratiſſimo: parati ſimilibus & aliis quibuscunqve noſtris officiis ſemper declarare, chariſſimam nobis eſſe dignitatem & ornamenta omnia Illuſtritatis Veſtræ; quam eſſe cupimus ſanam atqve incolumem. Datum Petricoviæ X Februarii.

LV.

CHRISTOPHORO DUCI MEGAPOLENSI.

Quid de oppugnanda ab eo arce ſua Venden vulgo feratur, ſignificat, & ut occaſiones ſuſpicionum tollat hortatur.

ILluſtris &c. Adfertur ad nos Illuſtritatem Veſtram collecta manu & exercitu in Livonia provincia

vincia noſtra petere arces quasdam, quas eſſe non ignorat in ditione noſtra, nominatim autem impetum omnem convertiſſe ad oppugnandam arcem Venden. Quod quidem nos primum de Illuſtritate Veſtra perſvadere nobis non poſſumus, deinde ſi poſſemus, vehementer ſane miraremur, Illuſtritatem Veſtram id aliquando in animum inducere poſſe, ut pro noſtris erga ſe officiis ejusmodi nobis gratiam referendam putaret, quæ eſſet non modo a nóſtris erga ſe præſtitis officiis, ſed etiam ab ipſa bonæ vicinitatis ratione prorſus aliena. Quicquid tamen in hoc genere ad nos afferebatur, non potuimus Illuſtritatem Veſtram non certiorem facere. Et quamvis nos quidem nullam cauſam Illuſtritati Veſtræ dediſſe arbitramur, aliter de nobis ſentiendi, quam uti decet de benevolo & amico Rege, tamen quoniam ea ad nos afferuntur, quæ nobis diverſam de Illuſtritate Veſtra ſuſpicionem movent, rebus ſane ipſis adigimur ad Illuſtritatem Veſtram admonendam, ut omnes occaſiones ejusmodi tollere & amovere ſtudeat, quæ aut nobis ipſis, aut cæteris hominibus ſuſpicionem non optimi erga nos Illuſtritatis Veſtræ animi facere viderentur. Nos enim ſane qua voluntate ſemper erga Illuſtritatem Veſtram & univerſam familiam ipſius fuimus, in eadem libentiſſime perſeveraturi ſumus. Bene valere I. V. cupimus. Datum Petricoviæ xiv Februar. anno Domini M D LXIII, Regni XXXIII.

LVI.

LVI.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Intercedit pro Martino de Mochou, suo quondam ministro, & ut pœna ipsi remittatur, enixe contendit.

NObilis Martinus de Mochou, qui est ex subditis Majestatis Vestræ, in Ducatu Opolienſi dicitur condemnatus esse ex decreto judicii Ducatus illius ad solvendos florenos in auro Hungarico sexcentos fisco Majestatis Vestræ. Quoniam autem in hanc pœnam incurrisse dicitur ignorantia potius & casu adverso, quam temeritate ulla, supplicavit nobis per litteras, ut, quandoquidem operam suam nobis quoque inter aulicos olim navaverit, partes nostras pro illo ad Majestatem Vestram interponeremus a Majestateque Vestra peteremus, ut illi ejus delicti veniam ita Majestas Vestra tribuere dignetur, ut mulctam quoque ipsam, quæ illi ob delictum est irrogata, tollat & remittat: præsertim quod, si ad solvendam hanc tantam summam adigatur, totius eum pæne patrimonii, quod dicitur habere perangustum, jacturam facere sit necesse. Siquidem cum omnium afflictorum hominum fortunas misereri nostra sponte soleamus, tum eorum præcipue adversitatibus, quorum erga nos fides & studium, quacumque tandem ratione constituta, magnopere permovemur. Quamobrem Majestatem Vestram plurimum rogamus, ut subdito huic suo, qui in nobis tantam sublevandæ

dæ fortunæ ſuæ ſpem collocavit, ita errati hujus veniam ſimul & impunitatem concedat, ut intelligat litteras has noſtras ſibi apud Majeſtatem Veſtram plurimum profuiſſe. Faciemus nos viciſſim Majeſtatis Veſtræ cauſa, ut paribus officiis ſtudium & voluntatem noſtram Majeſtati Veſtræ approbemus. Bene valere Majeſtatem Veſtram optamus eique ſtudium & amorem noſtrum filialem plurimum commendamus. Datum XXI Februar.

LVII.

ELECTO HUNGARIÆ.

Stanislai Creſa commendationem ſibi gratam eſſe ait, rogatque, ut quoniam non optime valere Regem audiat, omnino curet valetudinem, tandemque iterum ſuam operam in procuranda pace pollicêtur.

NObilem Stanislaum Creſa, quem nobis Serenitas Veſtra non vulgariter videtur commendare, iis quidem litteris, quas initio adhuc Julii datas nunc primum nobis reddidit, libenter clementia noſtra complectimur, eique in negotiis ipſius omnibus gratia & autoritate noſtra aderimus. Cæterum quando is nobis de affecta hoc tempore Serenitatis Veſtræ valetudine narravit, miſimus eum ipſum ad ſalutandum eandem Serenitatem Veſtram noſtro nomine. Hortamur autem Serenitatem Veſtram magnopere, ut poſtpoſitis interim rebus cæteris, quarum ratio in comparatione valetudinis minus momentum obtinet, ſoli valetudini det operam, nec ſe facile ab ea cura aliis negotiis

tiis interea dimoveri patiatur, quæ ſane cura cum per ſe & omni tempore neceſſaria ſit, tum his temporibus maxime a Serenitate Veſtra omitti non debet, quibus valetudo ipſius reddita eſſe videtur imbecillior, idque nos adeo a Serenitate Veſtra tum rei ipſius, tum noſtra quoque cauſa poſtulamus, cum ſane valetudinem ipſius æque ac noſtram charam habeamus. In negotiis, quæ jampridem Serenitati Veſtræ cum Cæſarea Majeſtate intercedunt, conſilio cum Senatoribus noſtris in his comitiis communicato Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Albertum Starozrzobski Epiſcopum Chelmenſem ad Cæſ. Majeſtatem Oratorem deſignavimus. Cum hoc igitur, & cum Venerabili Mart. Cromero, qui apud Cæſaream Majeſtatem ordinarii oratoris noſtri perſonam ſuſtinet, Oratores Serenitatis Veſtræ conſilia ſua communicabunt, eorumque opera & ſtudio ad omnia Serenitatis Veſtræ negotia utentur. Nos quidem iis mandaturi diligenter ſumus, ut ne eorum induſtria aut diligentia rebus ac negociis Serenitatis Veſtræ deeſſe videantur. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum VIII Martii.

LVIII.

DUCI BRUNSVICENSI.

Curlandiæ Ducis cauſam apud Regem Sveciæ ab eo agitari & gaudet & cupit, & num a Rege milites germani conducentur, vehementer ſcire deſiderat.

Illu-

ILluſtriſſime Princeps Domine, affinis noſter charissime. Accepimus Illuſtritatis Veſtræ litteras datas 23 die Januarii, ex quibus intelleximus Illuſtritatem Veſtram ad Sveciæ Regem litteras dediſſe, ab eoque diligenter contendiſſe, ut controverſiam hanc, quam cum Illuſtri Domino Curlandiæ Duce cliente ac vaſallo noſtro ſuſcepiſſe videtur, quietis potius conſiliis quam turbulentis perſequi & componere ſtudeat. Ad quas quidem litteras etſi ſe nondum Illuſtritas Veſtra reſponſum ſcribit accepiſſe, tamen nobis profecto hoc ſtudium & hæc ſolicitudo Illuſtritatis Veſtræ, tum rebus chriſtianorum communibus accommodata, tum erga nos etiam ditionesque noſtras imprimis amica & benevola, merito eſt, ut eſſe debet, gratiſſima. Quam quidem ſemel ſuſceptam curam atque ſolicitudinem ut tantiſper Illuſtritas Veſtra urgeat, dum certum aliquod a Sveciæ Rege reſponſum obtineri poſſit, etiam atque etiam ab Illuſtritate Veſtra petimus. Quod autem affertur ad nos conſcribi in Germania militem ejusdem Sveciæ Regis nomine, de eo etiam cuperemus, ut Illuſtritas Veſtra diligentius iſtic inquirat, & quicquid de eo cognitum habuerit, ad nos quamprimum perſcribat. Optime valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ die 12 Martii.

LIX.

JOANNI ALBERTO, DUCI MEGAPOLENSI.

Defectionis Christophori fratris Ducem non esse participem facile credit, & a Coadjutoria ipsi procuranda minime abhorret, attamen majora subsidia se exspectare non obscure innuit.

ILlustrissime Princeps Domine Consangvinee noster charissime. Etsi nobis gratissimus fuisset conspectus Illustritatis Vestræ, quem nobis exhibere sibi in animo fuisse scribit, tamen cum eodem tempore Francofurti ad alia negotia advocata fuerit, uti ad nos scribit, æquo animo absentiam illius ferendam nobis esse existimamus. Quod autem per Internuntios dolere se nobis significat, Illustrem fratrem suum Dominum Christophorum oblitum ejus necessitudinis, quæ nobis cum hac Illustri Ducum Megapolensium familia jam pridem intercedit, depositaque adeo memoria tum aliorum officiorum nostrorum, tum ejus denique, quod summa nostra voluntate & studio in Coadjutorem tanti Archiepiscopatus designatus fuit, consilia opesque omnes suas, quas nobiscum ad salutem provinciæ Livoniæ conferre debuit, cum Rege potius Sveciæ ad perniciem ejusdem conjunxisse, id nobis quoque non minus mirandum, quam dolendum accidit. Quo etiam magis provocatum singularibus nostris erga se officiis existimavimus, omnia ad dignitatem nostram & incolumi

lumitatem illius provinciæ eſſe collocaturum, hoc magis & miramur & dolemus potiorem illi quarumvis aliarum rerum, quam officii ſui & dignitatis noſtræ rationem extitiſſe. A qua quidem ipſius deliberatione facile nobis perſvademus Illuſtritatem Veſtram abhorruiſſe, neque ejusmodi conſiliis alienis a dignitate familiæ ſuæ immiſcere ſe voluiſſe. Qua ſane opinione cum ſemper de Illuſtritate Veſtra fuerimus, tum deinceps etiam ſermone Internuntiorum illius confirmati, libenter futuri ſumus. Quod autem Illuſtritas Veſtra poſtulat a nobis, ut Coadjutoriam Archiepiſcopatus iſtius ad filium Illuſtritatis Veſtræ deferamus, quo nomine Illuſtritas Veſtra pollicetur nobis ducentorum equitum armatorum numerum ſuis ſumptibus in quatuor menſes, quotannis præſto eſſe futurum; Etſi ſane ætas ipſa Illuſtritati Veſtræ impedimento eſſe videatur, quo minus illi id muneris atque officii recte adhuc committi poſſit, tamen ſi id impedimentum cæteris rebus compenſatum fuerit, & ſi ita Deo viſum fuerit, nos quidem Illuſtritas Veſtra ſciat ab ea re non eſſe alienos, neque etiam hoc tempore denegamus, modo Illuſtritas Veſtra curam illius Archidiœceſis non in perſonam infantis filii ſui, ſed in ſuam ipſius perſonam ſuſcipiat. Et vero ducentorum equitum præſidium, quod nobis ad defenſionem Archidiœceſi ad quatuor duntaxat menſes defert, valde exiguum eſt & imbecille, & quod nec numero ſuo nec anguſtia præfiniti temporis aut Coadjutoris dignitatem ſuſtinere, aut ad prohibendam vim & impetum

hoſtium in illis terris momentum aliquod adferre poſſit. Nos quidem certe ab aliquot jam annis magnis noſtris opibus incolumitatem illius Provinciæ tutati ſumus, & quamquam per Dei gratiam id ubique conſecuti ſumus, quod ea provincia quæ domeſticis primum diſſenſionibus atque discordiis, deinde hoſtium ipſorum ruere jam pridem videbatur, ſalutem ſuam hactenus conſervavit; illud tamen profecto præſtare non potuimus, ne quid detrimenti acciperet, neve damnis atque incommodis belli afficeretur. Irritatam & repreſſam hoſtium vim in terram noſtram & ditionem magni Ducatus noſtri Lithuaniæ ita excivimus, ut ibi fines noſtros carpere & arrodere non dubitarint. Quod niſi factum eſſet, provinciæ quidem illi attritæ & adflictæ jam pridem pereundum fuit. Quod ſi nos hæc communi tantum officio & pietate noſtra adducti ſubeunda nobis exiſtimavimus, facile intelligi poteſt, quid his ſuſcipiendum ſit, quorum opes & fortunæ in fortunis & opibus provinciæ illius verterentur. Nos quidem quamquam diuturno bello in tuenda Livonia maxima ex parte exhauſti ſumus, tamen, quantum in nobis erit, omni noſtra ope & ſtudio illius ſaluti non deerimus. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ 15 Martii Anno Domini MDLXIII.

LX.

LX.

PIO QUARTO PAPÆ.

Dionysium Seczygniewsky in Episcopatu Camenecensi, cui a se destinatus sit, confirmari, & cætera sacerdotia, quæ hactenus obtinuerit, simul ei permitti rogat.

BEatissime Pater. Post obitum Reverendi in Christo Patris sui Leonardi Plonczevvski Episcopi Camenecensis, qui quod ex hac vita migravit annus jam præteriit, præsens renunciaveram Camenecensem Episcopum venerabilem Petrum Arciechovvski Decanum Vilnensem & curiæ meæ Referendarium. Cum autem id quoque post renuntiationem illam meam, antequam videlicet confirmationem ipsius non solum a Sanctitate Vestra obtinere, sed etiam petere posset, a nobis ad superos sublatus esset, renuntiavi rursus hoc tempore Episcopum Camenecensem Venerabilem Dionysium Seczygnievvski, Canonicum Cracoviensem & Secretarium meum, qui nobilissimis & bellica laude præstantissimis ortus majoribus, cum primam ætatem suam in iis studiis tum domi tum foris posuisset, quibus studiis aluntur animi hominum, ad hæc ejusmodi munera in Republica sustinenda, ita deinde virtutem probitatemque suam cum Reverendo in Christo Patri Domino Samueli Macieovio Episcopo Cracovienſi & Regni nostri Cancellario, tum mihi quoque post Macieovii excessum comprobavit, ut non solum majorum suorum, sed suis etiam ipsius meritis erga nos dignus esse videretur, cui eam dignitatem tribue-

rem, quemque inter Senatores Regni mei cooptarem. Eum igitur Sanctitati Veſtræ magnopere commendo ab eaque peto, ut hanc renuntiationem meam ratam habeat, eamque autoritate ſua confirmet, atque in ea re majorem celeritatem adhibeat, quod intelligit anno hoc toto Eccleſiam ſuo Epiſcopo orbatam extitiſſe. Et quoniam fructus ejus Epiſcopatus admodum alioqui tenues, cum ſemper finitimorum hoſtium latrocinio infeſto, tum nunc tam longa vacatione magnopere exinaniti ſunt & exhauſti, ſupplico Sanctitati Veſtræ, ut ei cætera ſacerdotia, quæ ante renuntiationem ipſam obtinuit, ad Epiſcopatum ipſum adjiciat ac reſervet, in earumque rerum expeditione eam gratiam exhibeat, quam cum virtus quidem ipſius ſingularis meretur, tum etiam requirunt pertenues ipſi fructus Epiſcopatus ejus, ad quem renuntiatione mea hoc tempore eſt deſignatus. Quem ſane Epiſcopatum cum dignitate in Republica mea gerere ac ſuſtinere nulla ratione poſſet, niſi hoc ſubſidio retentionis priorum Sacerdotiorum ſuorum a Sanctitate Veſtra adjutus, ac ſublevatus fuerit, (quamquam ea quoque ipſius Sacerdotia ita & numero pauca & fructu exigua ſint, ut quoque præterea de fructibus patrimonii ſui ad tuendam eam dignitatem impendere oporteat,) fecerit mihi ſane Sanctitas Veſtra rem gratiſſimam. Quod ſupereſt, Sanctitatem Veſtram bene valere cupio, eique me ac Dominam meam ſtudioſiſſime commendo. Datum Petricoviæ die XXIX Martii.

LXI.

Digitized by Google

LXI.

CARDINALIBUS.

Ejusdem plane argumenti.

REverendiſſimo in Chriſto Patri &c. Exceſſit non ita pridem e vivis Venerabilis Petrus Arciechovvski, quem in locum anno ſuperiore demortui Reverendi in Chriſto Patris Domini Leonardi Epiſcopi Camenecenſis renuntiaveram. Cum igitur ipſius exceſſu Epiſcopatus Camenecenſis iterum vacuus eſſet factus, nominavimus hoc tempore Epiſcopum Camenecenſem Venerabilem Dionyſium Seczygniovvski Canonicum Cracovienſium & Kielcenſium Eccleſiarum Secretariumque noſtrum, de cujus nos virtute & probitate cum majores ipſius verſati in omni honeſtarum rerum, in ipſius autem potiſſimum bellicæ gloriæ ſtudio, bona ſpe eſſe jubent, tum præcipue in hoc genere animum nobis faciunt propriæ ipſius & peculiares virtutes, quibus nobis in compluribus obſequiis noſtris probavit fidem ac induſtriam ſuam. Rogamus igitur Paternitatem Veſtram, ut eam renuntiationem noſtram curet, autoritate ſanctæ ipſius ſedis Apoſtolicæ, primo qvoque tempore confirmari, detque operam, ut quandoquidem Epiſcopatus iſtius fructus admodum ſunt tenues, & cum ſemper alias finitimorum hoſtium ac latronum inſidiis ac poſtulationibus oportuni, cum hoc præcipue tempore ob diuturniorem vacationem in maximam anguſtiam redacti, retentionem eorum ſacerdotiorum, quæ obtinet,

aliqua ex parte ſarciri eorum tenuitas, & damna illata reparari poſſint. Fieri enim profecto non poteſt, ut ex ſolis ejus Epiſcopatus fructibus dignitatem Epiſcopi & Senatoris in Regno noſtro vel mediocriter ſaltem ſuſtinere poſſit. Fecerit nobis Paternitas Veſtra in eo rem valde gratam. Quam optime valere cupimus. Datum ut ſupra.

LXII.

DUNINO &c.

Legatis ſuis in aula Danica nonnulla præcipit.

GEneroſi fideles Dilecti. Pergratum eſt nobis ſtudium & diligentia Dominationum Veſtrarum in mandatis noſtris exequendis, quemadmodum ex litteris ipſarum nuper ad nos miſſis intellexímus. Hortamur autem illas, ut de eodem ſtudio in poſterum tempus ne remittant, quam potius dent operam, ut magis atque magis opera illorum & induſtria in curandis negotiis noſtris eluceſcat. Inprimis autem perſuadeant Sereniſſimo Regi Daniæ, pergratum nobis extitiſſe Nuntium humanitatis ejus & benevolentiæ, quam ſibi fidelitates Veſtræ a Serenitate ejus iſtic exhiberi ſcribent, ſtudium etiam hoc Serenitatis ejus magnopere nobis placere, quod ad componendas noſtras & Svecicas controverſias propter communem Chriſtianarum provinciarum pacem ſe interponant miſſis in Sveciam hoc nomine legationibus. Nos quidem uti ſemper optimo animo in Serenitatem ejus extitimus, ita deinceps occaſionem

onem nullam esse prætermissuros etiam atque etiam noſtri animi Serenitati ipſius declarandi. Quod cum Fidelitates Veſtræ facient, eadem illa mandata noſtra, cum quibus a nobis dimiſſæ & ablegatæ fuerunt, quam maxime commode & oportune expedire conabuntur, propoſitis Serenitati ejus ob oculos tum commodis, quæ cum ratione poſtulatorum conjuncta ſunt, tum periculis, quæ alioqui communibus noſtris & Serenitatis ejus ditionibus incumbere videbuntur, ut ſi cætera obtineri non poterunt, ſaltem Serenitas ipſius oratione veſtrarum Fidelitatum confirmetur in eodem iſto propoſito, de quo ad nos F. Veſtræ ſcribunt, reprimendæ temeritatis eorum, qui in Sveciam absque poteſtate a Serenitate ejus data ultro citroque interea commearent; cujus edicti cuperemus exemplum aliquod authenticum a Fidelitatibus Veſtris apud Serenitatem ejus impetrari & ad nos mitti primo quoque tempore. De Germanicis militibus, qui in Sveciam conduci dicuntur, impediendis tam edicto Cæſareæ Majeſtatis, quam ſtudiis erga nos nonnullorum Principum Germaniæ, gratum nobis fuit ex litteris F. Veſtrarum intelligere. Quod cum ita ſit, inveſtigabunt de eadem re deinceps F. Veſtræ quam maxime poterunt, & quidquid cognitum habuerint, ad nos ſine mora perferent & nunciabunt, de quo nos quoque jam multo ante cum Illuſtriſſimo Brunſvicenſi Duce diligenter egimus, atque adeo cum Illuſtriſſimo Domino Haſſiæ Landgravio acturi ſumus. De induciis, quas nobis Fidelitates Veſtræ pro fide & of-

& officio ſuo erga nos proponunt, non vident eſſe dignitatis noſtræ, vexata miſere & attrita Livonia, fidei noſtræ Provincia, de iis quicquam nomine noſtro agere. Verumtamen quoniam Fidelitates Veſtræ videntur non exiguum rerum noſtrarum momentum in iis contineri exiſtimare, non abnuimus, ut de iis Fidelitates Veſtræ agant privatis ſuis nominibus, ita, ut neque ullam perſonam, neque ulla mandata noſtra in hoc genere intermiſceant, ſed ea tantum proponant, quæ ex privata F. Veſtrarum opinione de nobis proficiſci viderentur. Nos videlicet pro officio noſtro Principis & Regis Chriſtiani nihil adeo expetere quam pacem & tranquillitatem communem, nihil adeo abominari quam bellum, & ea incommoda quæ bellum ſolent comitari, cædes, rapinas, injurias, vaſtitates terrarum & provinciarum. Quamobrem ſi res noſtræ tranquillis conſiliis componi poſſent, ſperare ſe F. Veſtræ dicent, nos nullius hominis induſtrias repudiaturos eſſe, præſertim ſi id ita vicinis & fœderatis atque adeo amicis Regibus & Principibus videretur, quorum conſilio & arbitrio non ita pridem in Livonia, ipſa etiam victricia propemodum jam arma noſtra poſuimus, illorumque autoritate adducti, ipſam etiam victoriam, quam manibus noſtris tenere jam videbamur, abjecimus. Cujus ſane facti noſtri etſi nos adhuc non magnopere pœniteat, tamen illud affirmare non veremur, ſi tunc eam viam, quam nobis fortuna noſtra præire videbatur, ſecuti fuiſſemus, Livoniam provinciam, quæ hactenus variis adhuc diſce-

Digitized by Google

disceptationibus obnoxia est, tranquillam hoc tempore pacatamque futuram fuisse. De sumptu suo quod ad nos F. Vestræ scribunt, de eo provideri illis jussimus. Datum ultima Martii.

LXIII.

RESPONSUM LIVONIS DATUM 31 DIE MARTII 1563.

Qua alacritate Rex Livoniæ susceperit tutelam, declaratur, laudata Poloniæ Regum in sublevandis miseris gentibus promptitudine, tum indicatur, de conjungenda, quod Livoni petunt, cum Polonia & Lithuania ipsa Livonia Lomzæ in proximo conventu deliberandum esse, atque interea provideri Livoniæ debere, quo minus ab hoste detrimentum patiatur.

QUantum studium, quantam curam & diligentiam adhibuerit Majestas Regia, D. N. clementissimus in tuenda salute Livoniæ, ab eo usque tempore, quo eam in protectionem suam suscepit, quantos etiam sumtus per hoc tempus in eam rem fecerit, quos labores & pericula adierit, arbitratur Majestas Sua satis id perspectum & exploratum esse, non modo Dominationibus Vestris & toti huic nostræ septentrionali plagæ, verum etiam omnibus terrarum oris, ad quascunque ejus rei fama pervenerit.

Cujus quidem rei etiam in hoc conventu omnium ordinum Regni Pol. maxima documenta Majestas Sua dedit, in eo enim omnia sua studia, omnes

omnes curas & cogitationes per hoc totum tempus consumebat, ut rebus Livoniæ afflictis & prope prostratis quamprimum ope sua succurrere, illamque e faucibus immanissimi hostis & ex durissima barbarorum servitute eripere posset.

Nec vero Majestatem Suam in ea re quantum profecerit, pœnitet, cum intelligat, tantum esse studium omnium Regni ordinum ad tuendam salutem Livoniæ, & ad propulsandum commune periculum tantam alacritatem, ut non modo sumptus publice ad eam rem decretus fuerit, verum etiam plerique privatas opes & omnes suas vires ad comprimendos immanis hostis conatus Majestati Suæ detulerint, præsertim cum jam commune periculum agatur, & non modo Livonia, verum etiam vicinæ Majestatis ejus ditiones in magno discrimine versentur, quibus etiam moles totius hujus belli maxima ex parte impendeat. Quamobrem Dominat. Vestræ nunciabunt Illustrissimo D. Duci Curlandiæ, Spectatissimi Senatui Rigensi, Nobilitati & omnibus Ordinibus Livoniæ nomine Majestatis Regiæ & omnium regni P. Ordinum, bono ut sint & erecto animo, omniaque sibi a Majestate Regia benigna & prolixa polliceantur, quæ more familiæ suæ regiæ & consvetudine a majoribus suis observata, provincias Christianorum afflictas in protectionem suam suscipere, & aiorum Principum Christianorum auxilio destitutas a vi ac impressione hostili tueri ac defendere magnopere cupiat.

Cujus quidem rei testis est provincia & omnes

ter-

Digitized by Goog

terræ Pruſſiæ, quæ multis ſeculis durisſima Cruciferorum tyrannide oppreſſæ, ope & armis Majeſtatis Suæ in libertatem ſunt vendicatæ, teſtis etiam illa infauſta & omnibus Chriſtianis deploranda clades Polonorum ad Varnam, in qua etiam ipſe Rex hujus Regiæ Majeſtatis magnus Patruus ſtrenue cum barbaris dimicans pro ſalute & libertate regni Ungariæ occubuit. Multa poſſent ejus rei citari exempla, ni longum eſſet, ea commerorare, præſertim cum inter omnes conſtet, Majeſtatem Regiam D. noſtrum clementiſſimum neque ambitione neque privata cupiditate, ſed precibus tantum ſupplicibus & miſericordia periclitantis hujus florentiſſimæ provinciæ adductam, ejus defenſionem & protectionem ſuſcepiſſe, & omnem impetum cruentisſimi belli ac ferocisſimi hoſtis propter ſalutem Livoniæ in ſe & in provincias ditioni ſuæ ſubjectas convertiſſe.

Cui quidem laudabili Majeſtatis ejus conſilio & inſtituto, etſi hactenus in cæteris rebus fortuna adverſata fuerit, propter quædam impedimenta, quæ & in hoc regno Majeſtatis Suæ, & in dominatu Livoniæ obſtare videbantur, hoc tamen Majeſtas Sua effecit, ut hactenus Livonia magna ex parte ab hoſtili injuria & impreſſione, armis & præſidio Majeſtatis ejus tuta & munita fuerit. Nunc vero cum jam Majeſtas ſua hæc obſtacula ex Regno Poloniæ in hac conventione, maximis ſuis curis, vigiliis & laboribus tollenda curaverit, adhibebit Majeſtas ejus omnem operam & diligentiam, ut in poſterum freta divino auxilio, omnes

ſuas

suas opes & vires ad reprimendos nefarios crudelissimi conatus impetus conferat, provinciamqve Livoniam ex faucibus immanium barbarorum eripiat, ac pristinæ libertati atque integritati restituat. Hæc D. Vestræ nomine Majestatis ejus & omnium Regni Ordinum principibus suis referent.

Quod autem a D. Vestris magnopere flagitatum est, ut Livonia perpetuo fœdere Regno Poloniæ & reliquis Majestatis hujus ditionibus conjungatur, atque ita ad universum hujus Imperii corpus tanquam pars & verum membrum accedat; deniq; ut leges ac privilegia omnium Ordinum Livoniæ autoritate Majestatis ejus confirmentur, id quidem maxime salutare & peraccommodatum tam Regno quam Livoniæ esse videtur; sed quoniam hæc negotia communia sunt Regno cum magno Ducatu Lithuaniæ, cum ea sint fœdera & pacta Polonorum cum Lithuanis, ut neutri sine alteris aliquas nationes ad communia jura & fœdera admittere queant, Majestas Regia propter hanc rem alium conventum ad diem S. Martini proxime instantem Lomzæ instituet, in loco maxime opportuno & Polonis & Lituanis & ipsis Livonis, ad quem conventum omnes omnium dominiorum suorum ordines adesse propter eam causam jussit, ut tanto commodius citra aliquod jam impedimentum causa Livonorum tractari, & ad communia fœderum & pactorum jura tam cum Polonis, quam etiam cum Lithuanis adduci possit. Ad qvod tempus etiam ut legati ab omnibus Livoniorum ordinibus Lomzæ adsint, Dominationes Vestræ Princi-

pes

pes ſuos nomine Majeſtatis ejus & omnium Regni ordinum adhortabuntur, ut jam tandem eo tempore Dei optimi maximi ope & auxilio negotium hoc ad optatum finem deducatur. Interim autem ne periculum aliquod ab hoſtibus Livoniam adeat, Majeſtas ſua dedit jam negotium quibusdam ſuis nobilibus, artis bellicæ peritiſſimis, conſcribendorum militum,& conquirendarum earum rerum, quæ ad apparatum bellicum pertinent, ut interea & Livonia ab hoſtibus defendi, & ea, quæ ſunt a barbaris erepta, recuperari poſſint. Qua quidem in re Majeſtas ſua nihil ſtudii, operæ & diligentiæ intermittet, nullisque parcet ſumptibus & laboribus, donec hoſtiles conatus repreſſerit, ac vires inimicorum Deo favente ac propitio penitus fregerit. Dominationes Veſtræ etiam per Principes adhortabuntur, ne in tanta Majeſtatis ſuæ alacritate & prompta voluntate ad defendendam Livoniam ipſi ſibi ſuæque ſaluti defuiſſe videantur, inprimisque dent operam, ut compoſitis inter omnes ordines, ſi quæ ſint, diſcordiis ac diſſidiis toto pectore ac ſedatis animis ad eam ſolam rem incumbant, ut ſalvi ac liberi eſſe poſſint.

LXIV.

RESPONSUM NUNTIIS RIGENSIBUS.

An juramentum Archiepiſcopo præſtari debeat, deinceps Rex definiet, quoad Religionem ſtat pactis Livonicis, de Rigenſi & Dunamendenſi arcibus que-

relas ad conventum Lomzanum rejicit, & ut libera urbis ſint pomœria ſe curaturum promittit.

AD ea poſtulata, quæ civitati Rigenſi cum reliquis Livoniæ ordinibus communia ſunt, exiſtimat Regia hæc Sacratiſſima Majeſtas ſatis reſponſum eſſe eo quidem reſponſo, quod omnibus Livoniæ ordinibus in commune eſt datum. Cæterum quoniam ejus civitatis propria quædam & peculiaria poſtulata ad Majeſtatem ejus præter cæteros ordines provinciæ illius exſtiterunt, privatim quoque ad ea Regiæ Majeſtati viſum eſt reſpondere.

Ac primum quidem, quod ea civitas vinculum & obligationem jurisjurandi, quo antiquitus Reverendiſſimis Dominis Archiepiſcopis aſtringi conſvevit & obligari, ita refugere videatur, ut uno tantum jurejurando contenta eſſe velit, propterea quod fidem duorum Dominorum ſequi perdifficile eſſe exiſtimet, maxime cum ſublato recenſe vivis Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Coadjutoria ejus Archidiœceſis ad eum devoluta ſit, qui partes Regiæ huic Majeſtati adverſas ſequi perhibeatur; etſi non exiſtimat Regia illius Majeſtas jusjurandum illud civitatis Rigenſis, quod Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus præſtare ſolet, ita jurejurando huic repugnare, quod aut olim Livoniæ Magiſtris tribuebatur, aut non ita pridem Regiæ illius Majeſtati per civitatem illam præſtari eſt cœptum, ut unum cum altero invicem conſiſtere non poſſit, cum nihil impediat unam atque

atque eandem Rempublicam, & unam atque eandem perſonam variis Principibus ac perſonis ex diverſis rationibus ſubditam eſſe, ut videlicet alteri mediate, alteri immediate ſubeſſe videatur. Quod cum alibi tum in plerisque omnibus Principum Germaniæ civitatibus videre eſt, quod cum immediate ſubſint quaſi Principibus, quorum proxima eſt in ipſos & immediata jurisdictio & animadverſio, tamen ipſæ quoque nihilominus ſubſunt mediate Romanorum Imperatori, cujus eſt in ipſos etiam illorum Principes Majeſtas atque imperium.

Tamen quoniam, quod de Coadjutore percrebreſcit, non eſſe contemnendum, Majeſtas ſua arbitratur, facile patitur civitatem illam Rigenſem tantiſper a præſtando illi fidelitatis juramento abſtinere, dum quid certi de animo erga ſe coadjutoris Majeſtas ipſius intelligat & cognoſcat. Quod cum erit, non intermittet Majeſtas ejus civitatem illam de voluntate ſua in hoc genere facere certiorem. Alterum quod civitas illa de conſervanda religione ſua a Majeſtate illius poſtulat, meminit Majeſtas illius, quid in hoc genere pactis communibus comprehenſum exiſtat, a quibus ſane pactis non temere eſt unquam Majeſtas ipſius disceſſura.

Tertium quod eſt de gravaminibus nonnullis, quæ quidem civitas illa ex arcibus Rigenſi & Dunamendenſi in Duna flumine inferri ſibi queritur, intellexit ad amuſſim hæc omnia gravamina Regia Majeſtas. Quamobrem ut ea tollerentur, decre-

vit Majestas illius litteras mandatorum suorum severius scriptas ad Præfectos dare illarum arcium, ut deinceps sibi ab ejusmodi gravaminibus civitati illi inferendis (relicta libertate fluminis una cum jurisdictione integra civitati Rigensi) abstinendum esse existiment, & ut intelligant Majestatem ejus non oppressionem, sed patrocinium provinciæ illius in se suscepisse: oppressiones autem ejus provinciæ cum in externis hostibus pati non possit Majestas ejus, pro Regio suo animo tum in Præfectis ejus minime esse perpessuram.

Cæterum quod de iis arcibus civitati illi applicandis postulatur, id Regia ipsius Majestas alterius temporis negotium esse existimat, ejus videlicet, cum confirmatio libertatum & privilegiorum, illius provinciæ in conventu proxime futuro Lomzensi tractabitur.

Quo etiam de bonis Neggut, Mietau & Toghum deliberatio institui poterit, de quibus tamen vix aliud sibi Majestas Regia facere integrum fore existimat, quam id quod semel est determinatum in pactis cum Illustrissimo Principe Curlandiæ constitutis. Quod autem ea civitas queritur, libertatem pomœriorum suorum magnopere impediri ædificiis quibusdam privatis, jussu ac mandato Illustrissimi Principis Curlandiæ jam pridem exstructis & exædificatis, ne quid ea res civitati ipsi periculi creare possit, his præsertim turbulentis & hostium impressioni obnoxiis temporibus agen. Majestas Regia, Dominus noster Clementissimus, cum Illustrissimo Principe Curlandiæ per litteras,

ut

ut ea ædificia, ex quibus periculum civitati certum propemodum imminere videtur, quamprimum dirui & pomœria libertati ſuæ reſtitui quamprimum curet.

LXV.

DUCI CURLANDIÆ.

De ſua Ordinumque Regni erga Ducem voluntate teſtatur, eamque retardatam hactenus fuiſſe excuſat.

ILluſtris Princeps, Domine Chariſſime. Reſpondimus internunciis Illuſtritatis Veſtræ ad ea, quæ Illuſtritatis Veſtræ nomine a nobis & ordinibus regni noſtri in his Comitiis poſtularunt. Ex ipſis Illuſtritas Veſtra noſtram Ordinumque Regni noſtri erga ſe & erga provinciam illam voluntatem promptiſſimam plenius cognoſcet, quæ ſane voluntas quod hoc tempore nonnihil retardata ſit abſentia ab his Comitiis Ordinum Lithuaniæ, qui belli Livonici atrocitatem in ditiones ſuas translatam & converſam depellere per id tempus neceſſe habuerunt, æquo animo ferendum eſſe Illuſtritati Veſtræ exiſtimamus. Non deerit, ſi Deus volet, paulo poſt occaſio, qua quidem voluntas noſtra Ordinumque Regni noſtri in iis quidem rebus, quas jampridem a nobis poſtulari intelligimus, ad rem ipſam conferetur. Id quod etiam ex ipſis Internunciis Illuſtritas Veſtra cognoſcet.

Bene vale.

LXVI.

RIGENSIBUS.

Provocat ad Responsum internuntiis datum.

SPectabiles & famati, Fideles nobis dilecti. Quid Internunciis F. vestrarum a nobis & Ordinibus Regni nostri responsum sit ad eorum postulata, ex ipsis illis F. Vestræ intelligent. Quas sane ut fide erga nos optima esse intelligimus, ita optimo & erecto animo plane esse jubemus. Datum &c.

LXVII.

IISDEM.

Ob absentiam Ordinum Lithuaniæ non omnia confici ex eorum votis potuisse significat.

VEnerabiles, Magnifici, Generosi & Nobiles, Devote, Sincere & fidelis dilecte. Respondimus ad postulata D.S. & F. Vestrarum, si non prorsus uti volebamus, (sperabamus enim nos & cupiebamus D. & S. & F. Vestris in his Comitiis ea jam tandem de consilio Senatorum & reliquorum Ordinum Regni nostri præstaturos esse, quæ ad conservationem & confirmationem jurium, libertatum & fortunarum illarum jam pridem a nobis postulari intelligimus) at certe ita respondimus, uti per ipsam rerum necessitatem potuimus. Cum enim propter absentiam Ordinum Lithuaniæ, qui belli Livonici atrocitatem in ditiones suas translatam depellere per id tempus necesse habuerunt, ea

Digitized by Google

ea confici non possent, quæ a nobis postulabantur per Internuntios D. & S. ac F. Vestrarum, rejecta sunt in autumnum proximum, uti ex ipsis Internunciis suis D. & S. ac F. Vestræ cognoscent, quas sane ut fide erga nos optima intelligimus, ita erecto plane ad illud usque tempus animo esse magnopere volumus & jubemus. Datum 1563 Cal. April.

LXVIII.

RESPONSUM DATUM ORATORIBUS DUCUM POMERANIÆ d. 2 APRILIS.

Totum negotium viarum publicarum, emporiorum, navigationis fluminis Wartæ & finium regundorum per certos Commissarios conficiendum nuntiat.

EO animo semper fuit Majestas Regia, Dominus noster Clementissimus, erga Illustrissimos Duces Pomeraniæ necessarios suos charissimos, ut non modo gratificari Cel. illarum cupiat, verum etiam benevolentiam mutuam & eam necessitudinem, quæ Illustritati ejus cum hac inclyta domo intercedit, omnibus rationibus retinere atque indies majoribus officiis augere vehementer cupiat, quod ut sibi Celsi. illarum de Majestate ejus persvadeant, omniaque benigna a Majestate sua expectent, Majestas Regia magnopere expetit. Quod autem attinet negotia, de quibus Dominationes Vestræ missæ sunt, non videtur esse difficilis neque adeo implicata eorum ratio, si modo Illustrissimi Prin-

cipes Joachimus & Johannes Marchiones Brandenburgenſes, quorum etiam id magna ex parte intereſt, ſe æquos ac tractabiles præbere velint. Nam quod attinet rationem viarum publicarum in regno & ditionibus Majeſtatis ejus, eas Majeſtas ſua neque mutavit unquam, neque deinceps ſine graviſſimis cauſis mutare habet in animo.

Ut autem libera navigatio in fluvio Warta ſubditis Cel. illarum pateat, quandoquidem id ad commodum & utilitatem non modo Illuſtriſſimorum Ducum Pomeraniæ, verum etiam ditionum Majeſtatis Regiæ redundare videtur, ne id quidem Majeſtas ſua abnuit, imo vero in hoc conventu Regni hac de cauſa Majeſtas ejus ſeveriſſimis edictis ſanxit, ut omnia obſtacula & impedimenta, quæ in alveo ejus fluminis ad privatos uſus collocata fuerant, omnino tollantur, atque alveus ejus diligenter perpurgetur. De emporiis vero commutatis ab Illuſtriſſimis D. Marchionibus Brandenburgenſibus, quoniam ea res etiam ſubditis Majeſtatis Regiæ incommoda & pernicioſa eſſe videtur, faciet Majeſtas Regia ſedulo, quod Illuſtriſſimi Principes Veſtri poſtulant, dabitque negotium certis ſuis arbitris & commiſſariis, quemadmodum Dominationes Veſtræ petunt, qui totum hoc negotium emporiorum, viarum publicarum, navigationis fluminis Wartæ diligenter cognoſcant de iisque rebus, quod ex commodo utriusque partis ſit, communi conſilio conſtituant. Qua de re etiam Majeſtas ſua aget cum Illuſtriſſimis Marchionibus Brandenburgicis, ut illi quoque ſuos Commiſſa-

miſſarios cum plena poteſtate ad illud tempus deſignent, quod etiam Illuſtriſſimi Principes Dominationum Veſtrarum facturi procul dubio ſunt, ut uno eodemque tempore ad unum certum locum convenientes omnes Commiſſarii negotia hæc ex re & commodo omnium, atque adeo ex ipſius æquitate & arbitrio ſuo determinent.

Quod autem attinet controverſias de finibus inter ditiones Majeſtatis ejus & ditiones Illuſtriſſimorum Ducum Pomeraniæ, eas quidem Majeſtas ſua jam pridem vellet eſſe ſopitas, jamque de ea re arbitros aliquoties eſſe miſſos memi.it, ſed qvoniam necdum eſt deciſum hoc negotium, demandavit etiam hoc Majeſtas ſua ſuis Commiſſariis, ut illi una cum iis, qui a Cel. illarum deſignati fuerint, jam tandem optatum finem huic negotio imponant. Atque hæc ſunt ad omnia legationis Dominationum Veſtrarum capita. In cæteris rebus Majeſtatis Suæ Illuſtriſſimis Principibus benevolentiam ſuam & omnia vicinitatis jura ſemper eſt præſtatura, idemque ſibi de Cel. illarum pollicetur.

Quod reliquum eſt, Dominationes Veſtræ Cel. illarum nomine Majeſtatis ejus ſalutabunt, illisqve omnia fauſta ac felicia precabuntur.

LXIX.

PALATINO VALACHIÆ.

Significato pacis ſtudio jubet eum ſecurum eſſe a ſuis ſubditis, amicitiamque ut conſervet, quemadmodum ſæpe promiſerat, hortatur.

MAgnifice Domine, amice ac vicine ſincere nobis dilecte. Etſi antea jam S. Veſtræ de iisdem rebus reſponſum a nobis eſſe meminimus, de quibus nunc quoque per litteras & Nuntium ſuum S. Veſtra nobiscum agit, cum nos de ſubditorum nonnullorum meorum conatibus adverſum ſe & ditiones ſuas inſtitutis facit certiores; tamen, cum de eo quidem tantopere ſollicitum eſſe S. Veſtram videamus, ut ad nos identidem mittere ac ſcribere non dubitet, faciendum nobis quoque eſſe exiſtimavimus, ut S. Veſtræ nunc etiam reſpondeamus. Equidem curæ ſemper nobis fuit jam inde ab eo tempore, quo regni hujus gubernacula ad nos ſunt delata, ut pacem cum omnibus hominibus, cum iis vero inprimis, qui nos & religione communi & vicinitatis jure, & fœderum ac pactorum religione contingunt, quam maxime coleremus: nec unquam ullam cuiquam hominum cauſam dediſſe nos arbitramur diſſuendæ ejus amicitiæ, quæ eſſet ſemel nobiſcum conſtituta. Nuncque adeo etſi arbitramur omnes eos metus qui in regno noſtro adverſus S. Veſtræ ditiones excitari videbantur, autoritate atque mandato noſtro, ad poſtulata priora S. Veſtræ compreſſos jam eſſe, tamen ſi quid præterea opus fuerit, daturi operam ſumus, quoad maxime ex parte noſtra præſtare neceſſe erit, ut ne qua cauſa inter noſtros & S. Veſtræ populos tumultuum excitandorum oriatur, neve quid ex ſubditis noſtris proficiſcatur ejusmodi, quod publicam communis vicinitatis tranquillitatem perturbare videatur. Cujus noſtræ gratiæ & benevolen-

tiæ

tiæ ſignificationem ita S. Veſtræ arbitramur gratam & jucundam fore, ut memor eorum, quæ ad nos ſæpe Vilnam de ſtudio & obſervantia ſua referre per nuntios & litteras ſuas ſolebat, ita ſe componat, ut bonæ vicinitatis jura tuenda ſibi eſſe nobiscum ex animo intelligat. Miſſuri autem ad S. Veſtram propediem Nuntium noſtrum ſumus, ex quo S. Veſtra plura de voluntate noſtra erga ſe cognoſcet. S. Veſtra bene valeat. Datum Petricoviæ, die Aprilis anno 1563.

LXX.

DUCIBUS POMERANIÆ.

Ad reſponſum legatis datum provocat.

ILuſtres Principes, Domini Conſangvinei & Vicini noſtri Chariſſimi. Ad eas res, quas ex Internunciis Illuſtritatum Veſtrarum cognovimus, ita a nobis reſponſum eſſe confidimus, uti & vetus ipſa mutua ſangvinis inter nos conjunctio atque vicinitas, & noſtra erga Illuſtritates Veſtras benevolentia requirere videbatur. Id autem reſponſum cujusmodi ſit, ex ipſis Internuntiis ſuis, qui ad Illuſtritates Veſtras redeunt, Illuſtritates veſtræ cognoſcent. Equidem quantum nobis ea neceſſitudo, quæ cum Illuſtritatibus Veſtris intercedit, cura eſt, tantum ſemper contendemus, ut ea per omnem occaſionem officiis noſtris confirmari ac illuſtrari videatur. Bene valere Illuſtritates Veſtras cupimus. Datum ut ſupra.

LXXI.

LXXI.

INSTRUCTIO AD GEDANENSES DOMINO CASTELLANO GEDANENSI data 3 APRIL 1563.

Rogat ut, quoniam pecunia in Comitiis promissa nondum comparari potuit, centum millibus thalerorum mutuis ærarium adjuvent, & tributa nonnulla extraordinaria suis civibus imponant, & si quæ deinceps naves in Sveciam vel Moscoviam contendentes ab iis intercipiantur, decima prædæ parte contentum se futurum significat.

DEferet gratiam nostram Magistratui Gedanensi Generosus Nuntius noster, deque nostra erga civitatem illam universam clementi voluntate prolixa omnia pollicebitur.

Tunc reliqua mandata nostra ad eum modum exponet. Ita esse attenuatas ærarii & fisci nostri rationes cum aliis expensis maximis, tum Livonica præcipue propugnatione ab aliquot annis suscepta & huc usque continuata, ut quandoquidem propugnationis ejus exitum optabilem nondum habeamus, ordinariis quidem nostris reditibus & vectigalibus hæc tanta onera sustinere deinceps non posse videamur.

Ac sperabamus nos quidem in Comitiis Petricoviæ ad præsentem alicujus pecuniæ summam non contemnendam, de consilio Senatorum nostrorum posse pervenire, cum videremus nos ex Duca-

Digitized by Google

Ducatu Lithuaniæ, ubi tunc propter Livonica eadem negotia degebamus, certa propemodum pecuniæ ſpe in regnum noſtrum cum magna omnium ordinum alacritate invitari. Sed cum ea ſpes ante anni propemodum integri exitum in rem conferri præſentem non poſſit, nos autem graviſſimis neceſſitatibus Reipubl. circumſepti præſente præprimis pecunia opus habeamus, dicet Nuntius etiam poſtulare res, ut interim, dum tributa ac vectigalia recens in his Comitiis imperata in theſaurum noſtrum inferantur, adjuvent tenuitatem ærarii noſtri centum millibus thalerorum mutuis aut quanta alioquin maxima ſumma poſſint. In qua quidem ſumma fidem ſuam pro nobis interponet, tum Magnus Marienburgenſis Palatinus, tum generoſus ipſe Nuntius etiam.

Aget deinde cum eis, ut pro ſua erga nos debita obſervantia imperent civitati illi recens aliquod, præter acciſam, tributum extraordinarium, ut, ſi fieri poſſit, cenſus facultatum inſtituatur, pro cujus modo atque ratione extraordinarie pro hac vice aliquid tribuatur, quod deinde in fiſcum noſtrum inferatur.

Itemque aget & poſtulabit, ut cum bona illorum voluntate liceat in ſingulos laſtos ſiliginis, qui ex regno navibus peregrinis exportantur, florenum unum in tritici autem laſtos ſingulos florenos duos portorii & vectigalis nomine imponere.

Ad extremum autem exponet illis, mandaviſſe nos Sherpringo, qui hic præſens aderat, cuſtodiam hoſtilium omnium navium, quæ in Sveciam aut

Moſco-

Moſcoviam ultro citroque cum armis, commeatu & quovis mercium genere contenderent, ut eas observet, atque autoritate noſtra intercipiat. Quoniam autem facile intelligimus, nec unius nec privati fere hominis eam rem eſſe, velle nos, dicet nuncius noſter, & cupere, ut ſpectabilis Magiſtratus civitatis illius decem plus minus viros ad eam rem accommodatos arbitrio ſuo deligat, qui Sherpringum in obſervandis ac intercipiendis his navibus adjuvent, eique opera ſua præſto ſint. Prædam enim omnem pene eorum ipſorum futuram eſſe, nos autem decima tantum ejus parte fore contentos.

LXXII.

DUCI CURLANDIÆ.

Ædificia in pomœriis urbis Rigenſis exſtructa ut dirui jubeat, hortatur.

ILluſtris Princeps, Domine, amice chariſſime. Queruntur cives noſtri civitatis Rigenſis impediri libertatem pomœriorum civitatis ſuæ ædificiis quibusdam, quæ olim mandato Illuſtritatis Veſtræ citra & ultra mœnia civitatis eorum poſita ac excitata fuiſſe dicuntur. Cum autem in eo non ſolum libertas, verum etiam ut ſunt hoc tempore omnia Livonica hoſtium inſidiis opportuna, ſalus atque incolumitas agatur illius civitatis, quam præſtari & omni ex parte tueri noſtrum eſſe intelligimus, Illuſtritatem Veſtram hortamur, ut patiatur atque adeo jubeat omnia illa ædificia pomœriis

mœriis Rigenſibus adjacentia quamprimum demoliri, nova autem ulla deinceps ædificare ne permittat, ne eorum opportunitate hoſtes, qui in omnem occaſionem nocendi intenti ſunt, ad perniciem civitatis illius aliquando abutantur, quam civitatem Illuſtritas Veſtra intelligit fide atque præſidio noſtro tutam præſtari ac ſecuram oportere. Quamobrem curabit etiam Illuſtritas Veſtra, ut ne quæ iis moleſtia a Præfectis Illuſtritatis Veſtræ cum in Duna fluvio tum alibi exhibeatur. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum 3 Aprilis.

LXXIII.

PRÆFECTO ARCIS DUNEMUNDENSIS.

Ægre fert ab eo moleſtiam creari Rigenſibus & ſerio mandat, ne Dunæ fluminis uſu quacunque ratione prohibeantur.

GEneroſe, fidelis, dilecte. Multis injuriis afficiſe a F. tua & ab adminiſtris ipſius arcis Dunemundenſis queruntur cives & mercatores civitatis noſtræ Rigenſis, tum quod F. t. veterem Dunæ fluminis libertatem eorum exſtructo novo propugnaculo, edictis ac factis ſuis præter morem excogitatis reprimat, mercatoresque citro & ultro navigantes ad inuſitatas quasdam rationes adigat, bona naufragorum contra vetuſta civium Rigenſium privilegia uſurpet, ac denique jus ac poteſtatem Dunæ fluminis ſibi ipſi prorſus arroget, cum non mediocri præjudicio civitatis illius. Tum vero

vero etiam quod facinoroſis hominibus & ordinem ac tranquillitatem civitatis illius perturbantibus patrocinium præſtet, contra judicia & legitimos atque ordinarios Magiſtratus. Quas quidem querelas de F. tua audire fuit nobis permoleſtum. Cum enim nos ipſi, quantum in nobis eſt, ſalutem, libertatem, jus, privilegium omne civitatis Rigenſis & totius Livoniæ provinciæ libenter tueamur, tum ſane a Præfectis noſtris ea violari aut labefactari iniquo prorſus ferremus animo. Quamobrem mandamus ſerio F. tuæ, ut ſe ſuosque adminiſtratores ita contineat, ne qua per ipſos ſervitus inuſitata aut flumini ipſi aut civitati Rigenſi deinceps imponatur, quin potius quæ ad tuendas legitimas civitatis ejus libertates & prærogativas pertineant, ea illis omnia, quantum in ſe eſt, cumulate præſtet, præſtarique faciat. Aliter F. tuam pro officio ſuo & gratia noſtra non facturam. Datum ut ſupra.

LXXIV.

CAMPIDUCTORIBUS, ROTMAGISTRIS ARCIUM ET MILITIÆ IN ARCHIDIOECESI PRÆFECTIS. 1563.

Vim Livonis a ſuis militibus inferri & judiciorum ordines turbari prohibet.

UNiverſis & ſingulis &c. Cum a ſtatibus Archidiœceſis Rigenſis graviſſimæ ad nos querelæ deferantur, milites & præſidia noſtra, quæ pro

pro defendendis Livoniæ ſtatibus a nobis miſſa & ordinata ſunt, pleraque in ſubditos noſtros ac incolas Archidiœceſis præfatæ ejusmodi committere, quibus libertas & tranquillitas illarum civitatum, oppidorum & ditionum omnium magnopere labefactatur & turbatur, non potuerunt ea animum noſtrum non graviter offendere. Cum enim nos protectionem ejus Archidiœceſis totius in nos ſuſcepiſſe intelligamus, non exiſtimamus profecto ferendum nobis eſſe, ſi a militibus & præſidiis, quæ defendendæ potiſſimum illius Archidiœceſis cauſa a nobis iſtic ſunt collocata, aliquid ejusmodi proficiſcatur, quod propoſito noſtro defendendæ illius Archidiœceſis adverſum & contrarium eſſe videatur. Mandamus itaque F. veſtris, ut milites ſuos ita deinceps in officio contineant, ut ne qua de eis ejusmodi querela ad aures noſtras in poſterum perveniat, quin potius dent operam, ut non ſolum deinceps ab ejus generis oppreſſionibus in populos illos abſtineant, ſed etiam de iis, quæ ante in illos per ſummam injuriam perpetrata eſſe dicuntur, legitima inquiſitione inſtituta ſatisfaciant, & illata damna reſarciant; tum præterea, ut ſi quos indicta cauſa in vincula & cuſtodiam conjecerint, aut fidejuſſionibus minus legitimis obſtrinxerint, eos in libertatem & in integrum reſtituant, & ut deinceps legitimus judiciorum ordo, vi omni poſthabita, conſervetur, perficiant. Ut autem ejus voluntatis noſtræ votum omnibus innoteſcat, volumus, ut per Generoſum Alexandrum Polubinsky ſupremum Capitaneum in civitatibus

& castris, ubi præsidia nostra collocata fuerint, ejusdem tenoris & transsumti aliud publicetur & divulgetur exemplum. Secus pro gravi indignatione nostra non facturi. Datum ut supra.

LXXV.

INSTRUCTIO GENEROSO GABRIELI GRABOVVIECZKI AD COMITIA MARIENBURGENSIA.

1563.

Tributum, quod vocant, Accisæ, in Comitiis promissum, quod minutatim penditur, simul persolvi ob summam rerum necessitatem rogat, tum vero bonorum, quæ ad Mensam Regiam spectabant ad fiscum reductione jura Regni non modo non læsi, sed & firmari prolixe probat.

RE Nunciata Ordinibus Pruthenicis gratia sacræ Regiæ Majestatis saluteque dicta in eam sententiam verba faciet. In omnibus sacræ Regiæ Majestatis actionibus & studiis, in quibus cura illius cogitationesque omnes semper consumuntur, id maxime propositum sacræ Regiæ Majestati est, ut Reipublicæ ditionum suarum statum integrum, perpetuo incolumemque conservet. Qua in re cum omni ope laborandum sibi contendendumque statuat, tum nihil unquam curæ aut diligentiæ prætermissum ab se velit, quod ad Reipublicæ vel commoda & utilitates stabiliendas, vel pericula, propulsanda pertineat. Itaque cum sacra ejus Majestas de more provinciæ hujus conventum, hunc

hunc indixiſſet, in quo Dominationes Veſtræ publico conſilio & communibus negotiis deliberarent, faciendum ſacra ejus Majeſtas exiſtimavit, ut ad Dominationes Veſtr. de periculis, quæ hoc tempore Reipublicæ impendent, atque de rationibus eorum depellendorum referret. Ita porro non dubitat ſacra Regia Majeſtas, quin Dominationes Veſtræ perſpiciant, qvanto in diſcrimine Respubl. hoc tempore verſetur. Etenim cum ſuperiore tempore Moſcus perpetuus ſacræ Regiæ Majeſt. hoſtis Livoniam bello impetiiſſet, atque magnam illius partem redegiſſet in ditionem poteſtatemque ſuam, reliquam vero omnem gravi clade & calamitate affeciſſet; hoc tempore bellum in Lithuaniam transtulit, atque multis locis in ea pervaſtatis civitatem arcemque Polocenſem Regia Majeſtate interim in rebus Regni conſtituendis occupata, neque adverſus ſubitam illius incurſionem copiis ſatis inſtructa expugnavit. Quæ quidem provinciæ illius atque adeo totius Reipubl. clades, cum ipſa per ſeſe gravis acerbaque omnibus eſſe debet, tum majora gravioraque incommoda ac pericula, quæ ditionibus ſacræ RegiæMajeſtatis totique Reipubl. ab hoſte illo imminent, oſtentat. Qui quidem eo belli ſucceſſu uſus nequaquam diu quietem acturus, aut a bello ditionibus ſacræ ejus Majeſtatis, ut illi quæque vicinitate opportuna erunt, inferendo ceſſaturus eſt.

Quo in diſcrimine atque periculo cum Respubl. ditionesque ſacræ Majeſtatis celeri ac firmo imprimis auxilio indigeant, ne hoſtis & eo ſucceſſu

elatus, & nobis rebus omnibus ad bellum gerendum imparatis, graviora incommoda ditionibus Sacræ Regiæ Majestatis importet, Sacra quidem ejus Majestas ita animata in Rempubl. est, ut non modo opem & auxilium omni ratione illi ferre, sed etiam pro ipsius salute vitam, si id res exposcat, profundere non dubitet. Existimat autem non minus Dominationes Vestras perspicere, quid item ab ipsis in tanto Reip. periculo pro fide atque officio illarum fieri conveniat, quippe quæ sæpe minoribus in periculis illius maxima studia sua singularemque fidem declararint. Et ut nominatim Dominationes Vestræ intelligant, quid sacra Regia Majestas ab illis ad subsidium Reipubl. postulet, jussit sacra ejus Majestas, ut Dominationibus vestris exponerem.

Decreverant Dominationes Vestræ superioribus Comitiis tributum accisæ, ita ut de eo decretum Comitiale exstat. Quod quidem etsi sacra Regia Majestas, uti a fide atque studio Dominationum Vestrarum erga se remqve publicam profectum, grato animo accipiat, tamen cum ad Reipubl. usus constituendos atque pericula propulsanda majoribus, quam antea unquam, copiis ac sumtibus indigeat, quippe cum pericula quoque, quæ Reipubl. impendent, & adversus quæ subsidium id paratur, majora & graviora superioribus existant; postulat sacra Regia Majestas, ut in reliquum hoc pensionis tempus, scilicet ad proximum Divi Martini festum, tantundem aliud tributum decernant, ut duplicatum hoc tributum scilicet, & superioribus comitiis impo-

Digitized by Google

impoſitum, & quod hiſce comitiis imponetur, ad proximum Divi Martini feſtum pendatur. Quoniam vero ejusmodi tributum, poſtquam a Dominationibus Veſtris decernetur, & paucos admodum attinget, & propter exiguitatem pecuniæ nequaquam multum opis aut præſidii Reipubl. adferre poterit, poſtulat ſacra Regia Majeſtas, ut Dominationes Veſtræ ultra duplex hoc tributum Nobilitati, Civibus, Mercatoribus, Opificibus, ac reliquis ſecundum poſſeſſionem cujusque ac facultatum modum nonnullam penſionem imponant, quantam ſcilicet nec facultates ſingulorum exhauſturam, neque cuique magno oneri, quod quidem accidere Majeſtas ejus nollet, futurum judicabunt, ut ex æquo omnes ad Reipubl. ſubſidium contribuant, tantoque facilius Reipubl. onus inter omnes æqualiter partitum ſuſtentari poſſit. Et quoniam pericula ſuperius expoſita nullam moram patiuntur, imo requirunt, ut primo quoque tempore illis obviam eatur; poſtulat a Dominationibus Veſtris Majeſtas Regia, ut hoc tributum acciſæ, quod minutatim usque ad feſtum S. Martini perſolvi debet, Dominationes Veſtræ nunc ad feſtum Pentecoſtes ſimul & ſemel totum pro ejus tributi ſumma Majeſtati ejus perſolvant, & in ærarium ejus Majeſtatis inferant, propter ſubitam neceſſitatem Reipubl. quæ nullam patitur moram, nec in longum extrahi poteſt. Quod quidem tributum Dominationes Veſtræ ſibi paulatim ex acciſa a ſuis ſubditis exigent, ita ut nihil inde ad eos detrimenti pervenire poſſit. At ſane magnitudo periculi,

quod Reipubl. a barbaro & crudeli hoste impendet, difficultasque & angustia Fisci Regiæ Majestatis effecit, ut necessario illi ad eam rationem conquirendæ pecuniæ, comparandique publici præsidii decurrendum fuerit. Quod quidem a Divo quoque parente atque majoribus Sacræ Regiæ Majestatis in Republ. Regnoque hoc, cum gravior aliqua periculi tempestas impenderet, omnium Christianorum Principum exemplo sæpe factitatum est.

Neque vero unquam Sacræ Regiæ Majestatis majoribus eo in genere studia subditorum defuerunt, qui cum Reipubl. non modo fortunas, sed vitam etiam debere se intelligerent, nihil erat, quod non in periculis illis defendendis impendendum adeundumve sibi putarent, cum quæcumque pro Republ. gererent, ea se pro patria, pro libertate, pro gloria, pro salute, pro liberis, pro fortunis suis gerere judicarent. Quorum exempla cum sæpe Dominationes Vestræ minoribus in periculis Reipubl. conservarint, tum hoc tempore in summo illius discrimine multo magis conservaturas esse Sacra Regia Majestas confidit. Hortatur itaque Sacra Regia Majestas Dominationes Vestras, ut contributionem eam decernant, atque ita statuant, auxilium id non modo Lithuaniæ aut Livoniæ, (quibus tamen ob securitatem Reipubl. non minus consuli ab illis oportet) sed huic ipsi provinciæ comparari, quæ si Respublica quod Deus avertat, aut in Lithuania aut in Livonia detrimentum acceperit, ad multa pericula perventura est, pro-

propter hoſtis terra marique vicinitatem, locorumque oportunitates, quibus ad provinciam hanc armis infeſtandam portusque tentandos ac facultatem omnem maritimam intercipiendam intercludendamque inſtructus fuerit. Non dubitat Sacra ejus Majeſtas, Dominationes Veſtras ita apud ſe haſce Reipubl. neceſſitates & pericula ponderaturas eſſe, atque in ſubſidio illi comparando id facturas, quod a ſubditis & ſui & Reipubl. amantibus fieri conveniat, quod ſacra Regia Majeſtas Dominationibus Veſtris & publice univerſis & privatim ſingulis gratia ſua compenſatura eſt. Injunxit quoque mihi Sacra Regia Majeſtas, ut ad Dominationes Veſtras referrem, quemadmodum in proximis comitiis regni, cum de legibus regni executioni mandandis publico omnium ordinum conſenſu ageretur, atque inter cætera ab ordinibus flagitaretur, ut ex ſtatuto Divi Alexandri Regis Poloniæ donationes atque alienationes bonorum ad menſam regiam pertinentium abrogarentur, fuerunt nonnulli e Dominationibus Veſtris, qui quod in eadem Conſtitutione concluderentur, jura privilegiaque terrarum violari ac everti quærebantur, quibus etſi abunde tum Sacræ Regiæ Majeſtatis nomine reſponſum fuerit, tamen eadem hic repeti ſacra Regia Majeſtas voluit, ut omnes de ſententia ac voluntate Sacræ Regiæ Majeſtatis certi eſſe poſſint. Etenim nunquam Sacræ ejus Majeſtatis inſtitutum fuit, ut aut harum terrarum aut ullius ordinis jura ac privilegia everſa vellet. Quin cum ſacra Regia Majeſtas omnia ſemper

consilia studiaque sua ad salutem, tranquillitatem, utilitatem Reipubl. referret, tum leges juraque universa, quibus statum Reipubl. contineri intelligit, omni ratione tuenda sibi conservandaque esse judicat. Porro cum diu cautum legibus regni esset, ne quæ alienationes bonorum ad mensam Regiæ Majestatis pertinentium fierent, quod ejusmodi bona ea lege ac conditione fisco Majestatis ejus addicta essent, ut ex illis tum Regiæ Majestatis status pro dignitate, tum multiplices Reipubl, necessitates sustententur, cumque ordines regni & sacram Regiam Majestatem & Rempubl. in magna difficultate sæpe versari intelligerent, propter fisci reique pecuniariæ angustiam, quæ contingeret, ob effusam superioris temporis bonorum regiorum alienationem; maximis studiis jam pridem flagitarunt, ut ejusmodi alienationes tanquam juri publico contrariæ, reique publicæ noxiæ abrogarentur. Cum nequaquam ferendum commemorarent, ut bona Reipubl. præsertim arces principales & oppida, quæ sunt & præsidia & ornamenta Reipubl. pauci privati adversus leges obtinerent, Respubl. autem ad multa incommoda ac pericula redigeretur, & necessariis præsidiis & Regiæ Majestatis ope destituta, cum quidem Regia Majestas, propter fisci sui difficultates & angustias, non modo ipsa multa incommoda sustinere cogeretur, sed etiam munera Reipubl. obire atque necessitatibus ejus ope ferenda succurrere nequiret; quæ quidem & vetus & magna ordinum Regni petitio semper fuit. Etenim id & Divi parentis Sacræ Regiæ Majestatis tempo-

temporibus, & toto hoc tempore, quo Sacra ejus Majeſtas ad gubernacula Regni acceſſit, omnibus in comitiis maximo omnium Regni ordinum contentione actum ſemper eſt. Hactenus tamen res ea in ſuſpenſo manſit, non quod aut iniqua aut parum in Republ. neceſſaria cuique videretur, ſed quod eam deliberationem interdum Reipubl. tempora, aut externis periculis, aut domeſticis rationibus alia conſilia poſcentibus, interceperunt, interdum etiam res cum cœpta ſæpe eſſet, velut majoris diuturnioris qve conſilii indigens dilata fuit. Hoc porro tempore Sacra ejus Majeſtas & conſenſu ſtudiisque ordinum & Reipubl. neceſſitate victa, amplius rem differendam non putavit, atque in executione legum de conſilio omnium ordinum conſtituenda, eas quoque alienationes, quæ juri publico contrariæ eſſent, reſcidit. In quo non intelligit ſacra Regia Majeſtas, quid quisque jura harum terrarum everti queri poſſit. Quæ quidem, ut hactenus, Sacra ejus Majeſtas mutare aut movere nunquam ſtatuit, quæ aut publice univerſis, aut ſingulatim ordinibus Eccleſiaſtico, Senatorio, Equeſtri, civili, plebejo aliisve ſtatibus vel a majoribus ſuis vel a ſe conceſſa ſunt, quin ea omnia tanquam quæ ſtatum, libertatem, tranquillitatem Reipubl. continent, illæſa inconcuſſaque perpetuo præſtanda ac tuenda ſibi proponit. In reſcindendis quidem ejusmodi alienationibus privatim paucis factis atque in bonis regiis ad jus fiſci & Reip. revocandis jus publicum non modo non labefactatur, ſed etiam confirmatur, commodaque Rei-

publ. conſtituuntur; ſiquidem & cautum jure publico eſt, ne ejusmodi alienationes validæ eſſe poſſint: & imprimis id ad Rempubl. pertinet, cujus velut nervi quidam bona ac reditus illi exiſtunt, quibus Regia Majeſtas & Statum ſuum tueri, & munera regia obire, & Reipubl. onera ferre omnesque illius neceſſitates ſuſtentare debeat. Quarum rerum nunc parva facultas Sacræ ejus Majeſtatis exiſtit, caſtris, civitatibus, villis, bonisque Reipubl. ad privatorum poſſeſſionem redactis. De quo cum publico omnium regni Ordinum conſenſu in Comitiis hiſce conſtitutum ſit, ut ſecundum veteres regni conſtitutiones bona regia atque Reipubl. firma & ſtabilia illi permaneant, & ſi quæ privatim ullis alienationibus contra jus a fiſco avulſa ſint, ea ad jus fiſci & Reipubl. reſciſſis ejusmodi alienationibus revocentur ea conſtitutione, dum terræ iſtæ tanquam pars ac membrum regni includuntur; non intelligit ſacra Regia Majeſtas cauſam cuique fore, ut id adverſus libertatem contraque jus terrarum iſtarum fieri interpretetur. Quæ quidem cum unum corpus cum regno exiſtant, uno quoque, quod communem Reipubl. ſtatum attinet, jure cenſeri debent. Etſi enim terræ eæ, quod privatum ſtatum, ordinesque illorum attingit, proprio ſeparatoque a Regibus regni jure utuntur, tamen ut commune illis cum Regno Reipubl. corpus exiſtit, ita quod Reipubl. ſtatum contingit, idem communeque illis jus eſſe convenit. Quare ita Dominationes Veſtræ de Regia Majeſtate ſtatuant, illam non modo jus & libertatem Dominationum

Veſtra-

Veſtrarum atque provinciæ hujus labefactatam convulſamque nolle, ſed etiam nihil majori curæ Sacræ ejus Majeſtati eſſe, quam ut Dominationum Veſtrarum omniumque ſubditorum ſuorum jus integrum conſervet, idque pro fide ſua proque Chriſtiani Principis officio ſedulo factura eſt. Quæ vero publico omnium Regni Ordinum voto & aſſenſu in ejusmodi alienationibus bonorum Regiorum reſcindendis atque ad jus fiſci & Reip. reſtituendis ſtatuta erunt, ea a Majeſtate illius juris publici tuendi rationumque fiſci ſui atque Reipubl. conſtituendarum cauſa acta eſſe & deinceps ad effectum deductum iri declarat.

LXXVI.

CAPITANEO CRACOVIENSI,

Jubet vagos homines, Cracoviæ munimenta explorantes, ex urbe pelli.

PErfertur ad nos magnam multitudinem erronum & vagorum hominum influxiſſe in civitatem noſtram Cracovienſem, immiſſam, uti ajunt, ab hoſtibus finitimis ad explorandas actiones ac munitiones ejus civitatis. Tantam autem quoque eſſe jam eorum audaciam, ut armati & aram, & mœnia, & vallos, & turres civitatis luſtrare non vereantur, aliaque ejusmodi per ſummam curioſitatem agere, quæ peregrinis in aliena Republ. minime convenire videantur. Cum autem hoc genus hominum, edictis ac legibus cum antiquis tum recentibus in hoc Petricovienſi conventu latis, ex civitatibus noſtris exterminatum ſit, mandamus

S, tuæ,

S. tuæ, ut eos confeſtim urbe excedere jubeat, egreſſosque nusquam in Jurisdictione ſua conſiſtere patiatur. Pro officio ſuo, quo ſe publicis legibus S. tua obſtringi intelligit. Datum Petricov. 4 Aprilis.

LXXVII.

ELECTO HUNGARIÆ.

De pacificationis ſtudio iterum certiorem facit, & ne quam vim inferat Cæſari, hortatur.

AD litteras Serenitatis Veſtræ, quas ad III Martii ad nos dedit, quod hoc tempore reſpondeamus, non habemus. Omnia, quæ ad negotium pacificationis proficiſci a nobis poterunt, tum Serenitati Veſtræ, tum ditionibus ipſius omnibus commoda & honeſta, ea fidei & induſtriæ committemus Reverendi in Chriſto Patris Domini Epiſcopi Chelmenſis, quem iis de rebus ex ſententia conſilii noſtri ad Imperatoriam Majeſtatem proximis diebus Oratorem noſtrum deſignavimus. Cui etiam diligenter mandaturi ſumus, ut cum Oratoribus Serenitatis Veſtræ, inito ac ſuſcepto conſilio, omnia conferat ad conſtituendam pacificationem eam, quam non dubitamus multorum bonorum ditionibus Cæſ. Majeſtatis & Serenitatis Veſtræ cauſam fore. Interim Serenitas Veſtra præfectos ſuos omnes in officio contineat, ne qua, ex eorum intemperantia, occaſio præbeatur inficiendis negotiis, quæ cum maxima ſpe ſucceſſus futuri videntur jam per nos eſſe inchoata. Arbitramur etiam

ſub-

ſubinde S. Veſtræ injurias omnes, de quibus his etiam prolixiſſime ad nos ſcribit, repoſitum iri gratia & benevolentia mutua reconciliata. Qua de re ſcripſimus etiam atque adeo ſcripturi ſumus ad Cæſ. Majeſtatem, ut ipſa quoque Præfectis ſuis ſeverius edicat, ne quid interea per vim aut injuriam committant in ſubditos Serenitatis Veſtræ. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ, 3 Aprilis.

LXXVIII.

RESPONSUM NUNTIIS DUCIS PRUSSIÆ, DIE QUINTA APRILIS, 1563.

De Pruſſiæ cum Regno conjunctione in Lomzano conventu agendum refert, tum ſollicite curaturum apud Cæſarem pollicetur, ut proſcriptio Ducis tollatur, præterea nec ſuffragium in Comitiis Polonicis Duci concedi, nec provocationem a judicio ejus ad tribunal Regium remitti poſſe probat, de libertate autem cudendæ monetæ deliberandum Lomzæ in Conventu ſtatuit.

FAcit Illuſtriſſimus Dominus Pruſſiæ Dux pro officio ſuo & benevolentia, qua Majeſtatem inprimis hanc Regiam, Dominum noſtrum Clementiſſimum, deinde ſubjectos omnes Majeſtatis illius populos perſequitur, ut cum intelligat acceſſione Provinciæ Livoniæ ad Regnum hoc Majeſtatis illius Poloniæ, contineri tam ſalutem & incolumitatem illius Provinciæ, quam Regni iſtius Majeſtatis

tis suæ ornamentum, cupidissimum se esse ostendat, perficiendæ jam tandem ejus accessionis, quæ aliquot jam pactis & fœderibus interpositis, feliciter est cœpta atque inchoata. Quæ res quidem si in unius Majestatis ipsius arbitrio esset constituta, non dubitat Majestas illius profiteri pro suo optimo in illam provinciam animo, exitum suum cum alias jam pridem, tum in his præsertim Comitiis consecutura fuisse. Verum cum res ipsa publica omnium Ordinum, non solum Regni & Ducatuum illi adjacentium, sed etiam Magni Lithuaniæ Ducatus, qui consilium suum a Regni consilio habet separatum, deliberationem requirat, fieri autem hoc tempore non potuerit, ut Ordines Lithuaniæ, quanquam acciti per litteras a Regia Majestate, propter domestici belli occupationem adesse possent in iis Comitiis, factum est, ut quæ hic eo tempore absentibus illis confici non potuerint, in proximum tempus differantur, cum ad institutum jam ad diem Divo Martino sacrum Lomzæ proximum Conventum universæ Majestatis illius ditiones coibunt, & cum de cæteris rebus atque negotiis, tum de Livoniæ quoque societate & fœdere consultabunt. Quo quidem tempore pollicetur Majestas sua operam & autoritatem suam illi provinciæ, quemadmodum nunquam antea defuit, ita etiam non esse defuturam.

Quod privata Illustrissimi Domini Ducis negotia attinet, primum autem de tollendo & abrogando proscriptionis Judicii Imperialis decreto, quo præter cætera incommoda arceri se Illustritas

ejus

Digitized by Goog

ejus ab hæreditate luculenta in Franconia quæritur, retulit ea de re Majeſtas ejus ad ampliſſimorum hoc Senatorum ſuorum Conſilium, ex quo quidem præter eum Oratorem, cujus opera Majeſtas illius ad Imperatoriam Majeſtatem ordinarie utitur, deſignatus eſt propter majorem auctoritatem ejus rei cauſa Orator Majeſtatis ipſius ad Conventum proximum Imperii Ratisbonenſem Reverendiſſimus Dominus Chelmenſis Epiſcopus, qui propter & familiæ ſuæ ſplendorem & propter Epiſcopalem dignitatem momentum non exiguum ei cauſæ eſt allaturus. Huic Majeſtas illius negotium datura eſt, ut cœptum jam pridem ſtudium Majeſtatis ſuæ abrogandæ proſcriptionis illius quam maxime apud Imperatoriam Majeſtatem, & reliquos Germaniæ ordines urgeat: de omnibusqve rebus conſilia cum Illuſtriſſimo Duce Megapolenſi, ſi ibi præſens affuerit, communicet, quemadmodum id Celſ. ejus velle Majeſtas ejus intelligit. Præſertim cum non exigua ſpes oſtendatur recte & ex animi ſententia conficiendi ejus negotii ex benigniſſimo Majeſtatis Imperatoriæ reſponſo, de quo Illuſtritas ejus Majeſtati huic Regiæ ſignificavit. Deinde quod Illuſtriſſima Celſ. ejus de loco in Senatu Regni laborat, ac ad jus ſuffragii & Comitiorum admitti poſtulat, de iis quidem rebus omnibus meminit Majeſtas illius Regia Illuſtriſſimæ Celſ. ejus ex ſententia Conſilii aliquoties reſponſum jam eſſe. Nam etſi locum quidem Illuſtritati ejus in Senatu Regni Majeſtas ipſius primum ac proximum libenter concedit, idque facit

cit non ſolum ratione pactorum & fœderum conſtitutorum, ſed etiam pro ſua in Illuſtritatem ejus benevolentia ſingulari, tamen cum primum dextræ manus locum, citra præjudicium aliorum, qui in ejus juris poſſeſſione jam pridem ſunt, non modo conſvetudine, ſed etiam legibus antiquisſimis, quas violare nefas eſt, Majeſtas ſua nemini concedere poſſit, non intelligit quomodo aut quo tempore Illuſtrisſimæ Celſ. ejus in eo gratificari poſſit, aut num illo tempore, quo pactorum illorum communium tractatio cum Illuſtrisſima Celſ. ejus Divis Majoribus ſuis intercedebat, legibus publicis, quæ jurejurando omnium Regum & Ordinum Poloniæ ſanciuntur, in eo derogari potuerit.

Quod autem ad jus ſuffragiorum & Comitiorum attinet, cum fere non de aliis rebus in Comitiis deliberationes ſuſcipi ſoleant, quam de expeditione bellica, de ratione judiciorum, de jure publico, de tributis & aliis oneribus Regni, quibus Illuſtrisſima Celſ. ejus ex pactis minime teneatur, non videt Majeſtas ſua, qvorſum attineat Celſitudinem ejus jus ſuffragiorum in Comitiis toties flagitare, niſi Celſ. ejus eidem expeditioni bellicæ, eidem rationi judiciorum, eidem juri publico, & ſaluti Regni Poloniæ, iisdem tributis & oneribus ad inſtar cæterorum incolarum Regni Poloniæ ſe ac ſuos ſubditos ſubdere ac plane incorporare velit. Qvod qvidem ſi eſſet, ſperat Majeſtas illius facile apud omnes Regni Ordines pro Celſ. illius jus ſuffragii in Comitiis obtineri poſſe.

Ne tamen Celſ. ejus exiſtimet ſe contra Pacta & Con-

& Conventa eo jure ſuffragii & Comitiorum omnino privari, Majeſtas Regia quemadmodum antea, quoties uſus venit ad ſolennes Comitiorum & conventuum publicorum actus Celſ. ejus accerſivit, utpote ad homagia, ad nuptias celebrandas, & ad alia quæ extra ordinem ſolenniter in conventu principum celebrari ſolent, ita deinceps pro conſtanti ſua in Celſ. ejus benevolentia, & pro jure Pactorum initorum non committet, ut eo honore & prærogativa Celſ. ejus privari debeat. Jam vero provocatione ipſa non exiſtimat ſua Majeſtas onus aliquod imponi Illuſtriſſimæ Celſ. ejus, quod aut novum aut inuſitatum in hoc genere eſſe videatur. Feudi ſane hæc natura eſt, ut dans accipiente ſit ſuperior. Superioritas autem cum multis item aliis rebus conſtare poſſit, tum provocatione maxime conſtare neganda non eſt. Atque adeo niſi pactis, diſertis & apertis verbis, a ſuperioritate remota fuiſſe oſtendatur, ſemper cohærere illi intelligenda eſt. Itaque donec quidem Illuſtriſſima Celſ. ejus diſertis & apertis verbis oſtendere non poteſt, provocationem a judicio ſuo ad tribunal Regiæ Majeſtatis remiſſam in perpetuum, nominatam & remotam fuiſſe Pactis & Conventis communibus, in conſequentiis profecto deducendis laborem videtur ſumere ſupervacaneum. Ex quo fit, ut neque ex confirmatione eminentiorum prærogativarum earum, quæ olim magis horum ordinum videbantur fuiſſe propriæ, neque ex certo ordine & modo judiciorum pactis communibus præſcripto in caſu gravaminis a Ducibus

Prussiæ, neque ex similitudine aut præfecti prætorii ad Imperatorem, aut senatus ad tribunos, neque ex exemplo denique diœcesis Varmiensis, sublatio provocationis a Ducibus Prussiæ ad Reges Poloniæ deduci posse videatur; nisi id disertis verbis in aliqua pactorum ac fœderum formula nominatim expressum fuisse ostendatur. Sublatio enim provocationis in vasallo aperta & expressa verba desiderat, cum sit quidem res ejus generis, quæ nisi nominatim excepta sit, semper vasallo & clienti adhærere intelligitur.

Extremum Illustritatis ejus postulatum est de monetæ cudendæ libertate, quæ res etsi responso quidem suo antea quoque non caruerit, tamen ut intelligat Illustr. Celsi. ejus nihil sibi a Majestate ejus negatum iri, quod de amplissimi consilii sententia concedi posse videatur, differt hoc negotium ad conventum usque Lomzensem proximum, ut ibi quid Illustritati ejus recte & sine regni ac Reipublicæ istius incommodo concedi possit, cognoscatur ac constituatur legitime.

LXXIX.

DUCI PRUSSIÆ.

Probat ejus de mittendis in Sveciam legatis consilium, & ne quid, quod ad se pertineat tractationi pacis se inscio immisceatur, omnino cupit.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster Charissime. Ex litteris Illustritatis Vestræ, quas nuper accepimus, vetus & constans erga nos studium

Digitized by Google

dium ipsius intelligimus. Cujus quidem omnis significatio solet nobis esse gratissima. Quod quærit Illustritas Vestra, ad quam rationem existimemus legationem ipsius in Sveciam institui oportere, quippe nos quidem sciat Illustritas Vestra, non esse nec fore alienos a conditionibus pacis & tranquillitatis communis, si modo ex dignitate nostra esse videbuntur, non impedimus, quin Illustritas Vestra quemadmodum constituit agat, per legatos tam suos quam Danicos, si fieri poterit, & Pomeranicos, & videat, num quid in hoc genere confici posse videatur. Sin erunt tempora, ut Danorum & Pomeranorum legationes una mitti non possint, non arbitramur tamen alienum fore, si res unius Illustritatis Vestræ legatis committatur. Unum videndum, ne quid nostro nomine in hoc genere agatur, neve persona nostra, aut mandati nostri species ulla immisceatur, per legatos Illustritatis Vestræ in hoc negotio. De fide erga nos & studio Mareschalci & Secretarii Reverendissimi olim Domini Archiepiscopi Rigensis, quos nobis Illustritas Vestra commendat, curabimus primo quoque tempore, ut eos pro meritis eorum non patiamur esse irremuneratos. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Petricoviæ die quinta Aprilis &c.

LXXX.

CASTELLANO GEDANENSI.

Jubet Legato ſuo ad conventum Pruſſiæ deſtinato numerari triginta marcas monetæ Polonicæ conſuetæ.

GEneroſe Fidelis Dilecte. Deſignatus eſt a nobis ad conventum terrarum noſtrarum Pruſſiæ, Nuntius Generoſus Gabriel Grabovviecki, Tribunus Lomzæ, Illavenique Præfectus & Secretarius noſter. Cui volumus, ut triginta Marcas Pech numeri & monetæ Polonicæ conſvetæ, ex theſauro terrarum noſtrarum Pruſſiæ F. Tua pro viatico numeret, ut primum litteras noſtras præſentes acceperit. Quod nos in rationibus ſuſcepturi ſumus. Secus F. Tua ne fecerit pro gratia noſtra, Datum ut ſupra.

LXXXI.

CONSILIARIIS TERRARUM PRUSSIÆ.

Jubet Elbingenſibus priſtinas immunitates reſpectu prædiolorum quorumdam relinqui.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt &c. Sincere & Fideles nobis Dilecti. Expoſitum eſt nobis nomine Magiſtratus civitatis noſtræ Elbingenſis, quod quamvis civitas illa prædiola quædam in terris Pruſſiæ bona fide ex donatione nimirum Divi Caſimiri avi noſtri pro ſuis optimis in-

ipſum

ipsum meritis, proprietati atque dominio suo subjecta libere possideat, quemadmodum quidem non ita pridem decreto quoque Consiliariorum terrarum Prussiæ decisum extat, tamen quoniam Nuntii nobilitatis terrarum Prusiæ, queri adhuc non desistunt, & apud nos proxime in frequenti Senatorum nostrorum consilio graviter questi sunt, prædiola prædicta nec satis bona fide a civitate possideri, nec onera ulla ex eis, ad morem reliquorum fundorum terrestrium præstari: vereri magistratum civitatis illius, ne quid ex hac illorum querela incommodi ad prædiola illa perveniat, neve illis servitus aliqua inusitata imponatur. Vos itaque supplicationibus ad nos & consiliarios nostros pro Civitate illa factis, S. & F. Vestris mandamus, ut siquidem prædiola ista beneficio Divi Casimiri Avi nostri donata civitati illi, & ab omni reliquorum terrestrium fundorum onere exempta esse constat, simul autem si ad eum modum pro civitate illa decretum S. & F. Vestrarum intercessit, S. & F. Vestræ tum possessionem tum libertatem ac immunitatem prædiolorum illorum civitati Elbingensi integram, quantum in se est, conservent, conservarique ab ordinibus faciant, tantisper dum nos quoque ipsi, si opus erit, de causa cognoscimus, ac quid deinceps S. & F. Vestras facere oporteat, illas per litteras nostras certiores facimus. Aliter S. & F. Vestræ pro officio suo non facturæ. Datum Petricoviæ 6 Aprilis.

LXXXII.

DUCI PRUSSIÆ.

Gratias agit pro nuntio apparatus Svecici, & quoniam navibus se imparem Svecis agnoscat, ejus implorat auxilium, & ut e Holsatia curet nullos Svecis permitti milites, rogat.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine Noster Charissime. Studium erga nos Illustritatis Vestræ multis ex partibus se ostendit, illud tamen ipsius maximum fere argumentum esse agnoscimus, cum nos ab Illustritate Vestra & de commodis & de periculis Reipublicæ nostræ admoneri intelligimus. Quod nobis sane ab illa longe est gratissimum. Quæ Illustritas Vestra ad nos de apparatu Svecico perscribit, intelleximus: qui rumores cum ad nos quoque paulo ante perferrentur, curavimus ut arces nostras Livonicas primo quoque tempore viris, armis, commeatu & reliquis rebus necessariis munire possemus. Qua in re aliquid jam factum esse, aut certe propediem futurum esse confidimus, speramusque Deo optimo maximo confisi, terrestri quidem prælio, terrestrique apparatu nihilo nos inferiores fore. De navali difficilior explicatio est, quod ipsa etiam Illustritas Vestra non ignoret, populos nostros non modo belli, sed ne ullam quidem fortunam suam, navibus unquam tentavisse: paucis exceptis Gedanensibus mercatoribus, quorum ipsorum naves non satis ad gerendum bellum instructas esse arbitramur.

tramur. Sed tamen de consilio Illustritatis Vestræ litteras ad eos dedimus, eosque de periculo tempestive admonuimus, ut viderent si quid navalis apparatus ad bellum gerendum præstari ab iis posset, qui hosti Baltici Maris dominium affectanti obsistere posse videatur. Quod ipsum etiam ad Illustres Principes Duces Pomeraniæ & Megapolen. atque adeo ad Lubecensem Magistratum scripsimus, eorumque auxilia necessariis rebus nostris expetiimus. Reliquum vel potius rei ipsius summa tota, quod quidem navalem apparatum attinet, in Illustritate Vestra sita est, quæ & pro officio, quod nobis reique nostræ publicæ debet, & pro periculo, quod maximum fere ditionibus ipsius ex hostilibus istis conatibus imminere videtur, nec nobis honeste, nec sibi commode deesse potest. Quamobrem id quod quidem etiam non admonitam facturam esse speramus, dabit Illustritas Vestra operam, ut suis sociorumque Principum & Nationum auxiliis confirmata, non patiatur hostem, uti quidem velle videtur, maris dominium occupare. Terra quidem ne quid incommodi nostris sociorumque & fœderatorum nostrorum rebus adferri possit, nos omni ope & studio nostro providebimus. In quo ipso Deum quoque ipsum nobis non esse defuturum confidimus. Interea Illustritas Vestra cum Illustribus Holsatiæ Ducibus, a quibus Illustritatem Vestram coli propemodum in Parentis locum non ignoramus, cumque aliis Germaniæ Principibus, cum quibus illi necessitudo intercedit, aget quam dili-

gentissime, ne quam ex suis ditionibus, aut alioqui per ditiones suas, concedant facultatem educendi militis in Sveciam. De quo nos etiam ipsi, & apud Sereniſſimum Daniæ Regem per Internuntios, & apud Illuſtriſſimum Ducem Brunſvicenſem per litteras noſtras diligenter egimus. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ VIII Aprilis.

LXXXIII.

CONSULIBUS GEDANENSIBUS.

Johannem Martini ejusque fratres ad bona patris retenta admitti cupit, indignationem, ni fiat, gravem minatus.

EXpoſitum eſt nobis, bona quædam Thomæ Martini, Angli, quorum pretium ad decies mille aſcendere dicitur, vivente adhuc Divo Parente noſtro pignorata iſtic a Magiſtratu Veſtro Conſulari fuiſſe, ita ut Thomas ipſe, etiamſi decretum pro ſe a Divo ipſo Parente noſtro latum eſſet, rebus tamen & bonis ſuis potiri non potuerit. Eo autem mortuo bona ipſa pignoratione exempta, ita a Magiſtratu Veſtro vendicata fuiſſe, ut ne hactenus quidem quicquam ad ejus liberos ex his bonis pervenerit; cum tamen a morte paterna annus propemodum agatur ſextus decimus. Nunc liberi ipſius, quorum plerique in obſequiis Sereniſſimæ Angliæ Reginæ verſantur, cum ad Principem ſuam confugiſſent, perfecerunt, ut Serenitas ipſius litteras ad nos daret diligentiſſime ſcriptas.

ptas, quibus quidem a nobis magnopere postulat, ut autoritatem nostram interponamus, ac F. Vestras adigamus, ad satisfactionem hoc nomine pigneratorum nec extraditorum bonorum, quæ decreto Parentis nostri patri eorum adjudicata erant. Quod cum ita sit, nos & pro officio Regio & pro studio colendæ bonæ vicinitatis cum Sereniſſima Angliæ Regina sorore & consangvinea nostra chariſſima, F. Vestris serio mandamus, ita omnino habere volentes, ut F. Vestræ primo quoque tempore huic Joanni Martini uni ex filiis Thomæ Martini, cujus bona vendicata a Magiſtratu Vestro fuisse perhibentur, e vestigio jus dicant, omnemque causam amoveant, quo minus is ad id quod suum est & fratrum suorum, possit quamprimum pervenire. Quæ res cum ad officium F. Vestrarum pertineat, tum si ab iis prætermissa fuerit, æquo a nobis animo ferri non poterit. Quo enim animo Sereniſſimam Angliæ Reginam in subditos nostros jus a Serenitate ipsius forte flagitantes esse cuperemus, eodem ipsi animo in Serenitatis ejus subditos esse volumus, quos videmus in rebus suis afflictis officium atque auctoritatem nostram implorare. Secus F. Vestræ ne fecerint, sub gravi indignatione nostra. Datum Petricoviæ 8 Aprilis.

LXXXIV.

REGINÆ ANGLIÆ.

Causam filiorum Thomæ Martini apud Dantiscanos omnino se agere nuntiat & paratum se

profitetur ad poſtulata Reginæ omnia exſequenda.

Sereniſſimæ Principi Dominæ Eliſabethæ, eadem gratia Angliæ, Franciæ, Hiberniæ Reginæ, Fidei dilectrici, Sorori & Conſanguineæ Chariſſimæ, ſalutem & felicitatis accumulationem. Sereniſſima Princeps, Domina Soror & Conſanguinea noſtra Chariſſima. Quamvis ſponte noſtra unicuique officium & autoritatem noſtram imploranti libenter adeſſe ſoleamus, tamen hoc tempore commendatione Serenitatis Veſtræ adducti pro Thomæ Martini filiis dedimus operam, ut his ad Magiſtratum noſtrum Gedanenſem litteris noſtris datis, officium auctoritasque noſtra quam maxime præſto fuiſſe videatur. Sic autem nobis perſvademus, jus ſuum illos eſſe primo quoque tempore a Magiſtratu illo obtenturos. Quod ſi quid deinceps præter mandatum noſtrum & voluntatem acciderit, quod quidem non opinamur, non deerimus, tunc etiam ſeverioribus mandatis noſtris ſubditis iſtis Serenitatis Veſtræ. Hoc enim maxime cupimus, ut Serenitati Veſtræ non iis modo neceſſariis officiis, ſed etiam iis quæ a ſingulari noſtra in Serenitatem Veſtram benevolentia proficiſci viderentur, ſtudium & voluntatem noſtram approbemus. Quam bene valere cupimus. Datum Petricoviæ 9 Aprilis.

LXXXV.

LXXXV.

CONSULIBUS LUBECENSIBUS.

Ne Svecos maris Balthici imperium arripere patiantur, hortatur.

SPectabiles & Famati, grate nobis Dilecti. Allatum est ad nos Svecorum Regem ditiones nostras terra marique oppugnare constituisse, omnem autem conatum & apparatum in id maxime conferre decreviſſe, ut totum mare Balthicum occupet, & latronibus ac pyratis infestum reddat. Ut cum ad eum modum mare ipsum potestatis suæ fecerit, primum quidem Livoniæ dominus efficiatur, fretus auxiliis his, quæ sibi ex Germania marī esse affutura promittit, deinde autem ex Livonia gradus faciat ad libertatem vicinorum Principum & populorum evertendam, & ad affligendas opes ac ditiones eorum. Etsi autem, quod Livoniæ oppugnationem attinet, non valde nobis opes Svecicas intuendas esse existimamus, ut ab officio defendendæ fœderatæ provinciæ nostræ, metu armorum Svecicorum, refugere debeamus, præsertim si nullam ex portubus G. Vestrarum educendi militis facultatem habuerint. Tamen quoniam navali quidem apparatu minus valemus, sine quo Germanici militis fiducia Sveco adimi commode non potest, erit officii G. Vestrarum diligenter providere, ne ab ea parte detrimenti aliquid nostris & Gr. Vestrarum ditionibus inferatur: inprimis autem dare operam, re navarchis suis commissa atque delegata, ne Svecus, id quod maxime

sibi

ſibi perſvaſit, ita mari potiri poſſit, ut eo ad ſuas tantum oportunitates uti, vicinorum autem ditionibus ſervitutem imponere poſſit. Satis enim intelligi poſſet, qui maris Dominus extiterit, eum propter maximas rerum omnium oportunitates, quibus tum Gr. Veſtrarum civitas, tum aliæ maritimæ omnes civitates carere non poſſunt, totius oræ maritimæ, inprimis autem, quod abſit, civitatis iſtius Lubecenſis dominum futurum. Quo magis autem Gr. Veſtræ a navibus paratæ & inſtructæ ſunt, quam nos ipſi, qui equis fere tantum, & viris pugnare conſvevimus, hoc magis in communi periculo pro parte ſua virili adeſſe, veteremqve maris libertatem & ſecuritatem navium tueri debent. In quo quidem conſilio ſuſcipiendo procraſtinationes omnes res ipſa excludit: quandoquidem hoſtis ipſius rationes ita inſtitutæ ſunt, ut a maris potiſſimum dominio vendicando bellum velit auſpicari. Invitavimus autem quoque ad ejusdem rei ſocietatem Illuſtres Principes Pruſſiæ, Pomeraniæ & Megapoliæ, & ipſum Regem Daniæ, & cæteros, de quibus nobis omnia prolixe pollicemur. Equidem ſicut nobis ipſis maxime perſvaſum eſt temeritati atque inſolentiæ hujus hoſtis obviam ire, ita cum non minus agatur res Gr. Veſtrarum, quam noſtra in communi quidem incendio reſtingvendo, non arbitramur operam Gr. Veſtrarum illi defuturam. Facile enim intelligi poteſt, ſi hoc rerum ſtatu Suecus tanta inſolentia eſt, ut libertatem maris & commerciorum, tum civitati Lubecenſi, tum aliis anſæ civitatibus per-

vim

vim adimere conetur, dubia adhuc nec satis constituta sua fortuna, si is, quod absit, maris aut Livoniæ dominus factus fuerit, omnia illum tentaturum & ausurum esse ad exterminandam libertatem illarum civitatum. Quas nos sane, quantum facultates nostræ ferunt, commodis potius & prærogativis novis augere, quam veteribus spoliare cuperemus, quemadmodum quidem & semper fecimus, quoties occasionem ejus rei habuimus, & deinceps cum summa animi nostri alacritate facturi sumus, tum emporio aliquo, si opus erit, concedendo, tum mercatu libero constituendo, in iis locis, de quibus communi nostro & Gr. Vestrarum consensu conventum fuerit. Modo G. Vestræ quid ab iis sperare ac expectare in Svecico bello summovendo debeamus, nos per litteras suas primo quoque tempore faciant certiores. Datum Petricoviæ die IX Aprilis 1563.

LXXXVI.

CONSULIBUS GEDANENSIBUS.

Ejusdem ferme Argumenti.

FAmati fideles Dilecti. Adfertur ad nos certis rumoribus Svecorum Regem ditiones nostras terra atque mari oppugnare constituisse, omnem autem conatum & apparatum in id maxime conferre decreviſſe, ut totum mare Balthicum occupet, & latronibus ac pyratis infestum reddat. Ut cum ad eum modum mare ipsum potestatis suæ fecerit, primum quidem Germanicorum militum,

quo

quo libuerit, perducendorum facultatem habeat, ad Livoniam oppugnandam, deinde autem maritimarum civitatum opes atterat, interceptis & levatis omnibus opportunitatibus, quibus ad mutua commercia exercenda civitates illæ carere non possunt. Etsi autem quod Livoniæ quidem oppugnationem attinet, provisæ sunt nobis adversus illum eæ rationes, quæ terra comparari poterant, tamen quoniam si is maris dominus extiterit, quod sibi propemodum videtur persvasisse, multis rebus oppugnatio ipsius Livonica posset, præter voluntatem nostram, adjuvari, idcirco F. Vestris mandamus, ut suis & sociarum & vicinarum civitatum, quæ re navali pollere dicuntur, viribus & consiliis ita se comparent, ut tempestive provideant, ne ex insperato maris dominium ab eo possit occupari; id fiet, si de communi consilio classem aliquam mediocrem instruant, quæ Svecorum naves grassari pro arbitrio in mari non patiatur. Interea dum cæteri quoque Principes, quorum auxilia in hoc genere per litteras expetivimus, suas quoque opes ad commune hoc malum prohibendum conferant. Quod quidem nobis de iis maxime pollicemur. Scribimus ea quoque de re ad Magistratum civitatis Lubecensis, quas litteras ut F. Vestræ iis quamprimum transmittant, volumus. Agent autem ipsæ quoque privatim suo nomine cum ea civitate, ut cum non minus suas quam nostras res agi intelligant, in prohibendo hoc Svecico maris dominatu, ne patiantur opes operasque suas in periculo suo propulsando desiderari. Equidem

ut

ut F. Vestræ eam rem maxime sibi curæ esse demonstrent, plane volumus & jubemus. Res enim magno periculo vacare non videtur. Ut autem eo alacrius a F. Vestris in eam rem incumbatur, concessimus jam pridem, ut qvisqvis in eo operam nobis suam navare voluerit, universa præda illa potiatur, qvæ ex interceptis ac direptis hostilibus navibus, ultro citroqve commeantibus, colligi potest: decima tantum ejus parte pro nobis reservata, idqve auctoritatis nostræ Regiæ & superioritatis magis qvam alicujus compendii aut utilitatis causa. Datum Petricoviæ IX Aprilis Anno Domini MDLXIII.

LXXXVII.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

De tollendis finium controversiis ob Lithuanicas turbas negat se cogitare hoc tempore posse.

SEreniſſimo ac Excellentiſſimo Principi &c. Sigismundus Auguſtus &c. Accepimus nuper a Majeſtate Veſtra litteras, qvibus nos de tollendis finitimis noſtrorum hominum & Sileſiorum controverſiis, conventu Wſchonæ inſtituto, Majeſtas Veſtra admonet. Etſi autem nihil magis cupiamus, quam omnes occaſiones primo qvoqve tempore perſeqvi, qvibus controverſiæ ſubditorum tam noſtrorum qvam Majeſtatis Veſtræ tolli & dirimi poſſint: tamen cum hoc tempore gravioribus multo cogitationibus diſtineamur reprimendi hoſtium conatus, qvi non ita pridem irruptio-

ptione in magnum Ducatum Lithuaniæ facta, metu ac trepidatione provinciam illam compleverunt, non videmur hoc verno tempore ulla ratione vacare poſſe, ad controverſias illas Sileſicas communibus arbitris committendas. Curabimus autem, ut in autumno arbitros & commiſſarios deſignemus, quibus id negotii committamus & Majeſtatem Veſtram de eo tempeſtive certiorem faciamus. Majeſtatem Veſtram optime valere cupimus, eique filialem noſtrum amorem & obſervantiam etiam atque etiam commendamus. Datum 12 Aprilis.

LXXXVIII.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Juramenti formulam, quo Johannem Deſpotem Valachia Palatinum obſtrinxerit, ſibi procurari cupit.

SIgismundus Auguſtus &c. Reverende in Chriſto Pater, ſincere nobis Dilecte. Ad rationes Regni noſtri quasdam expediendas, opus habemus eo jurejurando, quod nobis Magnificum Joannem Deſpotem Valachiæ Palatinum præſtitiſſe, ad nosque miſiſſe meminimus. Quamobrem S. Veſtram hortamur, ut id diligenter inqviri jubeat, ad nosque mittat, primo qvoqve tempore, factura pro officio ſuo & gratia noſtra, qvæ bene valeat. Datum Petricoviæ II Aprilis 1563.

LXXXIX.

LXXXIX.

CROMERO.

Quæ ſpes Comitiorum in Imperio inſtituendorum appareat, ſcire cupit.

VEnerabilis devote nobis dilecte. Quem Oratorem ad Cæſaream Majeſtatem deſignavimus, is nihil jam aliud, quam de Comitiorum imperialium tempore & loco expectat certior fieri, de quibus, cum varia ad nos adferantur, tum omnia ſane ex litteris D. Veſtræ incerta eſſe videntur, quæcunque dicuntur. Quare hortamur D. Tuam, ut nos de ea quoque re quamprimum faciat certiores. Ut intelligamus quid iſtic de his Comitiis ſperetur. Datum 12 Aprilis.

XC.

BOHOEMIÆ REGI.

Commendat ei cauſam Bernhardi Fogliolæ.

SEreniſſimo Principi Domino Maximiliano Divina favente clementia Romanorum & Bohœmiæ Regi Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Comiti Tirolis, Fratri & Conſangvineo noſtro Chariſſimo & honorando, ſalutem & fraterni amoris continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Domine Frater & Conſangvinee noſter Chariſſime & honorande. Etſi decreto Magiſtratus Goritienſis ſublata ſit pridem controverſia de poſſeſſione quorundam bonorum in territorio

Proſeviſenſi inter Venerabilem Alphonſum Mercadum & Bernardum Fogliolam, mercatorem Venetum, Agentem noſtrum, ita ut Agenti noſtro & poſſeſſio pacata eorum bonorum adjudicata ſit, & damna quæ illata erant ab adverſario juſſa reſarciri. Tamen quoniam veretur homo pacis & quietis ſtudioſus, ne non ſatis ſit ad pacem & quietem perpetuo conſtituendam in illis poſſeſſionibus decretum Magiſtratus minoris interpoſitum eſſe, ſupplicavit nobis, ut a Majeſtate Veſtra peteremus, ut ipſa pro Regia & in illis ditionibus ſumma auctoritate ſua edicat per litteras Mercado ipſi, atque adeo ejus ſucceſſoribus omnibus, ne quas deinceps in illis poſſeſſionibus turbas ejusmodi dare aut difficultates movere audeant, quæ in damnum aut præjudicium ipſius Fogliolæ Agentis noſtri vergere videantur. Magiſtratui autem Comitatus illius injungat Majeſtas Veſtra, ut præfatum Fogliolam, dum is tranquille ſub ditione Majeſtatis Veſtræ vixerit, vectigalia ſolverit, & reliqua onera æque cum aliis obierit, a vi & impreſſione cujuslibet tueantur & defendant. Quod Majeſtatem Veſtram vel æquitatis ſuæ, vel noſtra etiam cauſa facturam eſſe, uti nobis perſvademus, ita ab illa etiam atque etiam petimus. Erit id nobis ab illa gratiſſimum. Bene valere Majeſtatem Veſtram cupimus, ejusque nos fraterno amori commendamus. Datum Petricoviæ 14 Aprilis.

XCI.

CASTELLANO VOINICENSI.

Defert ei ſummum exercitus adverſus Moſchos imperium, quod ne detrectet, non una ratione hortatur.

MAgnifice, ſincere nobis Dilecte. Compertum habentes ſtudium S. Tuæ erga nos & Rempublicam, cujus ſtudii S. tua & exempla habet domeſtica, quæ imitetur, & adjumenta ea a majoribus ſuis relicta, quibus freta facile ea, quorum Reſpublica indiget, perficere poſſe videtur, conſtituimus S. Tuam ei exercitui præficere cum imperio, quem, Deo optimo maximo fortunante, adverſus Moſchum proxima æſtate in aciem educturi ſumus. In quo etſi de ipſius quoque S. Tuæ fide, virtute ac ſtudio, deque rei militaris ſcientia ita perſvaſi ſumus, uti in hac quidem florenti & ad militiam plane oportuna ætate optime poſſumus perſvaderi, tamen ducimur maxime in eo meritis majorum S. Tuæ, atque adeo patris ipſius, non ita dudum mortui, quorum omnium cum bellica gloria propria quodammodo ac peculiaris fuerit inter gentis noſtræ homines, cuperemus, pro noſtra erga illos etiam mortuos optima voluntate, eam laudem, quam ſibi rebus bellicis comparaſſunt, in ipſorum familia perpetuo conſervare, in ejusque poſſeſſionem nunc Sinceritatem Tuam ponere, adverſus eum hoſtem potiſſimum fortunæ S. Tuæ & virtutis experimentum cupientes, eu-

jus majores a majoribus S. Tuæ devictos esse & fugatos non ignoramus. Non arbitramur autem S. Tuam, excusationem aliquam in re tam laudabili allaturam esse. Hos enim profecto & de ipsa S. Tua optime speramus, & ejusmodi collegas atque administros ejus officii daturi illi sumus, qui experientia sua, & bellicarum rerum scientia, omnem, si qua erit, ejus rei difficultatem ita levare poterunt, ut honos ipse imperii penes S. Tuam residere, labor omnis belli, & ea munera, quæ in hoc genere necessaria sunt, in ipsos collatus esse videatur. Habebit autem S. Tua campum, in quo se suamque virtutem exerceat, documentum denique statuat, quid sibi deinceps Respublica de ipsa debeat polliceri. Quæ res etiam pertinebit ad animum nostrum magis ac magis S. Tuæ demerendum. Quod cum ita sit, volumus, ut ad nos de eo S. Tua sententiam suam perscribat per hunc Cubicularium. Datum Petricoviæ XIV Aprilis.

XCII.

ELECTO HUNGARIÆ.

Commendat ei Johannem Grot Cielogowsky ejusque propinquum Nicolaum Bylina, præterea Italica quædam ex cancellaria Regis emanasse queritur, quæ communia negotia inficiant & morentur, eoque hortatur, ut rectius rebus suis consulat.

SEreniſſime Princeps, Domine Nepos noſter Chariſſime. Cum intellexiſſemus Nobilem Johannem Grot Cielogovvski ad Serenitatem Veſtram

Digitized by Google

ſtram proficiſci, committere noluimus, ut eum ſine litteris noſtris dimiſiſſe videamur. Quem ipſum Serenitati Veſtræ commendamus, ab eaque petimus, ut eum apud ſe ita habeat, uti virtus ipſius & diligentia in obſequiis Serenitatis Veſtræ noſtraque adeo commendatio requirere videbitur. Præterea autem ab eadem Serenitate Veſtra petimus, ut propinqvum & conſangvineum ipſius Nicolaum Bylina, quem iſtuc ſecum ad Serenitatem Veſtram adducit, adoleſcentem nobilem & bonis, uti annuit, moribus præditum, in numerum ſuorum recipiat, eumque ita tractet, ut intelligat commendationis noſtræ habitam eſſe a Serenitate Veſtra rationem. De rebus aliis Serenitatis Veſtræ quæ ſit ſententia noſtra, faciemus Serenitatem Veſtram certiorem per Generoſum Paulum Seczygniovvski, quem iſtuc conſtituimus propediem ad Serenitatem Veſtram cum mandatis noſtris mittere. Interea tamen celare Serenitatem Veſtram noluimus, afferri ad nos ab Agentibus noſtris Neapolitanis, nonnulla iſtinc ex Cancellaria S. Veſtræ Italica proficiſci, quæ Neapolitana noſtra negotia, magnis ſumptibus & laboribus noſtris hactenus ſuſtentata, partim inficiant prorſus, partim remorentur cum ſummo & temporis & rerum noſtrarum diſpendio & indignitate. Quod quidem etſi nobis de Serenitatis Veſtræ erga nos animo & ſtudio perſvadere non poſſumus, tamen quoniam id ab auctoribus non dubiis ad nos perlatum eſſet, voluimus Serenitati Veſtræ ſignificare, illamque hortari etiam atque etiam, ut videat, ne quid ſibi

unquam ab hominibus extraneis, & iis quibus aliarum quarumvis rerum quam epistolarum provincia est demandata, subjiciatur ad subscribendum & obsignandum ejusmodi, quod præter ipsius Serenitatis Vestræ scientiam & voluntatem esse videatur, quodque nos ipsos, qui Serenitatem Vestram amamus, ejusque commodis & dignitati favemus, aperto incommodo & aperta indignitate adficiat. Quod quidem nos non sine causa ad Serenitatem Vestram scribere ipsa etiam Serenitas Vestra aliquando cognoscet. Quam bene valere cupimus. Datum ut supra.

XCIII.

DUCI PRUSSIÆ.

In Svecos maritimum apparatum instrui cupit, provocatis prædatorum inprimis studiis.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster Charissime. Ad depellenda ea incommoda ex Livonia, quæ ad nos Illustritas Vestra per litteras suas detulit, nec deest, nec deerit studium nostrum. Itaque & datum est jam aliis negotium a nobis providendi iis rebus, & nos ipsi, paucis interpositis diebus, in Lithuaniam proficiscimur, ut facilius ex proximo ad omnem necessitatem illius provinciæ invigilare possimus. Qua de re plura ad Illustritatem Vestram per Magnificum Achatium Cemma, Palatinum Marjeburgensem, retulimus: quem istic esse jam apud Illustritatem Vestram suspicamur. Hortamur autem Illustritatem Vestram,

ſtram, ut nobis in iis omnibus incommodis vel tollendis vel evitandis, conſilium etiam auxiliumque ſuum præſtet: inprimis autem, quoniam nos Illuſtritas Veſtra ab omni nautico inſtrumento imparatos eſſe intelligit, quemadmodum etiam quidem antea Illuſtritati Veſtræ ſignificavimus, (hoſtium enim conſilia potiſſimum occupandi maris fiducia niti videntur,) det operam ut communibus iſtic aliorum principum viribus & facultatibus claſſis aliqua inſtrui poſsit opera Illuſtritatis Veſtræ, quæ conatus hoſtium *inhibeat*, nec permittat ab iis dominium maris uſurpari, interea, dum nos quidem exercitum cogimus, quem terreſtri itinere ad diſturbandam nefariam hoſtium conjurationem adducamus, ſalutique & tranquillitati publicæ conſulamus. De navali apparatu quod unum poſſe videbamur, id fecimus, civitatique Gedanenſi noſtræ imperavimus, ut ejus rei curam quantam poſsit maximam ſuſciperet, navibusque ad eam rem ſubordinatis licentiam hoſtilem ultro citroque commeandi pro virili ſua parte inhiberet, quibus prædam etiam omnem remiſimus, ſi quæ forte ex interceptis ac direptis navibus per id tempus capi ac cumulari poſsit: decima tantummodo ejus parte pro nobis reſervata. Quod exemplum ſi Illuſtritas quoque Veſtra ſubditis ſuis propoſuerit, exiſtimamus privatorum multorum alacritatem allici ad hoc factum atque incendi poſſe, præſertim quod ipſorum quoque res non minus agatur, quam noſtra aut Livoniorum. Qua de re univerſa primo quoque tempore cum Illuſtribus

ſtribus Pomeraniæ & Megapolenſi Ducibus, & Illuſtriſſimo Duce Brunſvicenſi per Nuntium noſtrum diligenter acturi ſumus, Lubecenſem autem Civitatem per litteras quoque noſtras admonuimus, ut in communi incendio reſtinguendo, ne patiatur ſtudium & diligentiam ſuam deſiderari. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ XIX Aprilis 1563.

IN SCHEDULA.

De Comitiis Imperii nullus hactenus ad nos rumor venit, Orator autem quoque noſter nullam ejus rei in litteris facit mentionem. Itaque quandoquidem tenuis quædam ſpes ſit eorum Comitiorum, Illuſtritatem Veſtram hortamur, ut ad nos ſententiam ſuam perſcribat, nunquid in negotiis ſuis mittendum eſſe nihilominus Oratorem exiſtimet ad Cæſaream Majeſtatem, etiamſi Comitia ipſa Imperii non fuerint celebrata.

XCIV.

PAPÆ PIO QUARTO.

In bellum profecturus, cum opera Nuntii Pontificii opus non habeat, eum dimittit & Pontifici etiam atque etiam commendat.

BEatiſſime in Chriſto Pater. Cum ex Comitiis Regni mei in Lithuaniam diſceſſurus eſſem, propter bellum inſtruendum, quod mihi neceſſario ſuſcipiendum eſſe videtur, adiit me S. Veſtræ Nuntius & expoſuit mihi ſe ſtationem eam, in qua a Sanctitate Veſtra poſitus eſt, eum huc ad me

me mitteretur, nolle deſerere, ſi quid ego præſentiam illius utilem eſſe aut neceſſariam in his regionibus hoc tempore judicarem. Ego autem cum & abfuturum me eſſe a Regno intelligerem, præterea autem occupationes meas longe alias per id tempus fore providerem, quam ut Nuntio Sanctitatis V. mecum negotia ea tractare liceat, quæ ſunt legationis ipſius propria, & quod ſummum eſt, finis ejus belli & exitus quando futurus ſit divinare non poſſem, non videbam qua in re hoc tempore Sanctitati Veſtræ opera Nuntii alicujus uſui apud me eſſe poſſet. Itaque facile conventum inter nos eſt, ut is interea ad Sanctitatem Veſtram reverteretur. Qui quoniam mihi per totum hoc tempus probavit fidem erga Sanctitatem Veſtram, & diligentiam atque adeo prudentiam in tractandis iis rebus omnibus, quæ ad legationem ipſius pertinere videbantur, facere non potui, quin eum Sanctitati Veſtræ commendarem, ab eaque peterem, ut fortunarum ornamentorumque ejus Sanctitas Veſtra per occaſionem eam rationem habeat, ut intelligat, & ſuorum quidem meritorum, & commendationis etiam meæ habitam eſſe a Sanctitate Veſtra rationem. Quoniam autem Paternitas ejus inter cætera fecit nobis ſpem, non eſſe Sanctitatem Veſtram commiſſuram, quin ad me, & Comitia Regni mei inſequentia, Nuntium aliquem ex Epiſcoporum item vel Cardinalium ordine miſſura ſit, quemadmodum quidem mihi magis expedire videretur, de eo ſane voluntatem meam Paternitati ejus jam aperui, ut inde cum voluerit, Sanctitas Ve-

ſtra, quid conſilii mei ſit, perſpiciat & cognoſcat. Bene valere Sanctitatem Veſtram, eique me & dominia mea commendata eſſe cupio. Datum XX Aprilis 1563.

XCV.

EIDEM.

Caſparum Gesckaw Epiſcopatui Pomeſanienſi præficiendum nominat, & neceſſitatem ejus ſedis, quæ tam diu vacua relicta fuerit, implendæ demonſtrat.

BEatiſſime Pater & Domine, Domine Clementiſſime. Poſt oſcula pedum beatorum, meique Regni ac dominiorum meorum commendationem. Vacat multo jam tempore in Ducatu Pruſſiæ ditionis meæ pars Diœceſis Epiſcopatus Pomeſanienſis, cujus ſedes ſeu cathedra propter multa & diuturna bella jam pridem a majoribus meis cum cruciferis geſta, magna ex parte eſt deſolata & in privatos uſus bellorum injuria & calamitate diſtracta. Quamvis autem pars ejus Diœceſis mihi ſubjecta Catholicæ fidei inſtituta hactenus ſemper ſervaverit, factum tamen eſt iniquitate temporum, ut nonnulli ſubditi mei in Diœceſi illa novas & erroneas opiniones imbiberint, idque malum altius radices agere ac vires ſuas proferre poſſe videtur, niſi mature obviam malo eatur. Ab eo namque tempore quo cathedra collapſa ac prophanata eſt, collegium quoqve Canonicorum extinctum eſt, ut homines ſine paſtoribus

coacti

coacti sint. Quibus causis ego adductus, accedente etiam consilio Senatorum meorum ordinis Ecclesiastici, pro mea erga Catholicam Ecclesiam fide & reverentia venerabilem & religiosum Gasparum Gesckavv actu Presbyterum, ei ipsi parti Diœcesis Pomesanienſis præficiendum duxi, quem Sanctitati Vestræ, quod tamen citra injuriam & præjudicium cujusque fieri velim, præsentibus nomino ac reverenter oro, ut in ejusmodi parte Diœcesis Pomesanienſis ipsi Gasparo de administratione ejus clementer provideat, uti id ad officium Sanctitatis Vestræ summum pastorale spectat & pertinet. Cæterum Sanctitatem Vestram bene ac feliciter valere cupio. Datum Petricoviæ XX Aprilis.

XCVI.

PALATINO MARIEBURGENSI.

Officii sui eum admonet.

MAgnifice, sincere nobis Dilecte. Miramur nihil nobis hactenus a S. Tua significari de successu earum rerum, quæ illi commisimus, cum tamen intelligere possit S. Tua, magnopere id nostra interesse. Itaque hortamur S. Tuam, ne diutius differat nos de iis rebus certiores facere. Pro officio suo & gratia nostra. Datum XXI Aprilis.

XCVII.

Digitized by Google

XCVII.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Ne quid officiales ſuos in alterius jurisdictionis homines tentare permittat, ſerio interdicit.

REverende in Chriſto Pater S. nobis dilecte. Oneramur querimoniis Carniciorum fratrum, aulicorum noſtrorum, qui ad nos quotidie de Venerabilis Andreæ Karnicki Abbatis Wqchocenſis fratris ſui, incommodis perferunt, quibus a S. Veſtra affici dicitur præter jus & æquum, ex eo vel maxime, quod S. Veſtra auctoritatem ſibi in illum ſumere dicatur, quam ipſe ex legibus & inſtitutis ordinis ac monaſterii ſui agnoſcere non debeat: cum ſit in iis quidem, quæ ſunt ordinis ac monaſterii ipſius propria, a cæterorum omnium Eccleſiaſticorum jurisdictione exceptus, & ſubjectus tantummodo jurisdictioni Commiſſarii ſui Generalis; cujus privilegii & prærogativæ nobis etiam ipſis patrocinium atque defenſio ſuprema commiſſa atque aſſignata exiſtat. Quod ſi ita ſit, hortamur S. Veſtram, ut deinceps Abbatem & Monaſterium hoc Wqchocenſe ſuis legibus ac libertate frui, ac vivere permittat, nec quicquam ejusmodi patiatur in illos ab officialibus ſuis tentari ac proficiſci, quod hinc libertati illorum, quæ nobis ad defendendum commiſſa eſt, adverſum eſſe videatur. Facile enim S. Veſtra intelligit, confuſis in Republica & conturbatis jurisdictionibus magnam confuſionem & conturbationem rerum ſequi oportere. Præterea autem grave uni-

cuique

cuique ac durum videri, cogi ad parendum ei, cujus imperio non teneatur. Factura S. Veſtra pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum XXII Aprilis.

XCVIII.

CANCELLARIO REGNI.

In cauſa Johannis Krokier & Chriſtophori Beſtar ita rem moderari cupit, ne ſibi a Cæſare lis intentari ideo poſſit, quod alter domicilium in Moraviam transtulerit, eoque Cæſar eum ſuæ eſſe jurisdictionis aſſerat.

MAgnifice, ſincere nobis Dilecte. Non ignoramus cujusmodi decretum tulerimus in cauſa Joannis Krokier & Chriſtophori Beſtar. Ignorare etiam S. Veſtram non arbitramur. Verum cum his temporibus redditæ nobis fuerint ab ordinibus Moraviæ litteræ, quibus a nobis poſtulatur, ut Beſtar ipſe, qui domicilium ſuum ex ditionibus noſtris, quod nos quidem ante latum decretum neſciebamus, in Moraviam transtuliſſe dicitur, ad forum ſuum remitteretur: præterea autem cum paulo poſt id tempus, ipſius etiam Cæſareæ Majeſtatis litteræ ad nos adferrentur, quibus idem a nobis contenditur: & noviſſime cum Orator ipſe Majeſtatis ejus Cæſareæ, qui nunc apud nos eſt, idem a nobis Majeſtatis ipſius nomine poſtulaſſet, facere non potuimus, quin de eo ad S. Veſtram ſcriberemus, illamque diligenter hortaremur, ut totum id negotium ita iſtic S. Veſtra moderetur, ut ne qua occaſio præbeatur violandorum pactorum

rum

rum communium, quæ nobis cum Cæsarea Majestate ipsiusque Majestatis ditionibus omnibus intercedunt. Quæ nos quidem Pacta cum alias semper inviolata esse, quantum in nobis est, cupiebamus, tum nunc sane præcipue illæsa præstare debemus, cum intelligimus ardente ab aliis partibus ditionum nostrarum pariete, illam partem, quæ est a ditionibus Cæsareæ Majestatis, tranquillam præstari oportere. Omnino enim durum nobis videtur, eum hominem tamdiu custodia publica detineri, nec ad dicendam saltem causam, præsertim fide sponsorum interposita, liberum dimitti. Datum Petricoviæ XXV Aprilis.

XCIX.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Dolet spem pacificandæ Hungariæ mutuis querelis tolli, suamque adeo operam inutilem hactenus fuisse.

SEreniſſime ac Excellentiſſime &c. Permoleſtum nobis accidit tantas difficultates quotidie ſuboriri, quæ cœptum Hungaricæ pacificationis negotium impediant. Quo magis enim operam dedimus, ut ea quamprimum perficeretur, hoc magis dolemus, intercipi eam ejusmodi offenſionibus, de quibus ex Internuntio Majeſtatis Veſtræ cognovimus. Cujus generis querimoniæ etiam ab altera parte a Sereniſſimo Nepote noſtro ad nos non ita pridem ſunt allatæ. Equidem ſtudium noſtrum in hoc genere nec defuit unquam Majeſtati

ſtati Veſtræ nec deinceps deerit. Eo enim ſumus animo, ut Majeſtati Veſtræ omne noſtrum ſtudium & officium comprobemus. Cætera ex Generoſo Oratore ſuo Majeſtas Veſtra cognoſcet. Quam bene valere cupimus, ejusque paterno amori nos etiam atque etiam commendamus. Datum XXII Aprilis Anno 1563.

C.

INSTRUCTIO ABBATI TREMESNENSI DATA AD MARCHIONEM BRANDEBURGENSEM, 26 APRILIS 1563 PETRICOVIÆ.

Quantum damni ex ingenti Svecorum apparatu bellico eorumque cum Moſchis conjunctione metuendum ſit non tantum Livoniæ, ſed & Germaniæ univerſæ, oſtendit, tum ut provideat, ne Germanus miles in Sveciam transferatur, & ut ſe vel præſidio militum vel pecunia adjuvet, pro mutua amicitia & communibus commodis rogat.

NUntiata ſalute & delatis ſtudiis noſtris ad Illuſtritatem ejus, ita Nuntius noſter ad Illuſtrem Dominum Marchionem Brandenburgenſem, Affinem noſtrum Chariſſimum, verba faciet.

Cum ad Regiam Majeſtatem Poloniæ Dominum meum clementiſſimum identidem rumores afferuntur, auctoribus non incertis, de apparatu bellico Regis Sveciæ, cujus indicia cum ex aliis multis rebus, tum ex eo potiſſimum apparerent, quod

quod præsidia stipendiariorum militum per omnem fere Germaniam summo studio conquirere ac conducere diceretur, existimavit sibi esse Majestas illius omni ratione providendum, ut omnes vias, quantum posset, maxime præcluderet perducendi ejus militis ad castra & exercitum Svecorum.

Etenim cum ea res præter periculum, quod ditionibus Majestatis ejus creare posset, illam etiam indignitatem aperte præ se ferret, quod & Majestas quidem illius, quæ universam fere Germaniam affinitatibus & amicitiis conjunctam habet, non tantum gratia valuisse in Germania videretur, ut ditiones suas a metu Germanici militis vacuas posset conservare, & illi item, qui Majestatem suam proximis necessitudinis gradibus hic attingunt, non satis officii sui & mutuæ conjunctionis memores fuisse existimarentur, non putavit sibi esse Regia ipsius Majestas committendum, quin communicato cum iis consilio, quorum interest, & quos in Germania tum suis ipsius rebus bene velle confidit, tum amicitiis multorum florere animadvertit, hostilibus istis conatibus se opponat, omniaque provideat, quibus & periculum a Christianorum ditionibus arceri, & indignitas ista tum sua, tum conjunctissimorum sibi Principum summoveri possit. Svecus enim elatus magnitudine pecuniæ magnam ejus partem in nefariam cum Duce Moschorum conjunctionem effudit, reliquum vero ad atterendas vicinorum & Christianorum Regum ac populorum opes destinasse dicitur, bellum-

lumque primum Livoniæ provinciæ Serenisſimi Regis mei fœderatæ facere, deinde ad evertendam reliquarum provinciarum maritimarum, ut quam maxime injuriæ oportunum eſſe viderit, libertatem gradus facere decrevit.

Quam ad rem perficiendam, cum in domeſtico ſuo & Svecico exercitu minus roboris ineſſe facile intelligeret, primum quidem objecta affinitatis ſpecie, quam hic nuper cum nonnullis Germaniæ Principibus contraxiſſe dicitur, deinde autem miſſa maxima pecunia ad conducendum militem munire ſe ac firmare Germanicis præſidiis conſtituit, ut ita & amicitia optimorum Principum & pecunia ſua ad res indigniſſimas, & nomini Chriſtiano pernicioſiſſimas abutatur.

Itaque Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, etſi ſibi magnopere perſvaderet Illuſtritatem Veſtram ſua ſponte Svecicis iſtis conatibus non favere, primum iniquis, deinde adverſus Principes & civitates Illuſtritati Veſtræ conjunctas inſtitutis, tamen id præterea ſibi cum Illuſtritate Veſtra communicandum eſſe exiſtimavit, meque propterea ad eam ablegavit, qui nomine Majeſtatis ejus expeterem, ut Illuſtritas Veſtra pro ſua pietate Chriſtiana & boni vicini officio ac munere prohibeat quantum poteſt, (poteſt autem profecto maxime,) hæc mala a vicinis & ſibi cum religione, tum multis aliis neceſſitudinum nominibus conjunctis ditionibus, omniaque Svecorum conſilia, quæ ad conducendum Germanicum militem pertinere videntur, pro autoritate ſua diſ-

sipet, militemque aut in ditione sua conduci aut educi ex ditione sua ne permittat, nec patiatur in media Germania plus cujuscunque pecuniam in milite conducendo ad effundendum Christianorum sangvinem valere, quam in eodem pro salute & incolumitate Christianarum provinciarum & Regnorum inhibendo, autoritatem suam & eam necessitudinem ac vicinitatem, quæ cum publicæ universæ Germaniæ cum Polonia, tum privatim Illustritati Vestræ cum Serenissimo Rege meo intercedit.

Et quoniam ita ad Majestatem Regiam Dominum meum Clementissimum allatum est, ipsum in comparando hoc Germanico exercitu, niti potissimum gratia Illustrissimorum Principum, Comitis Palatini & Landgravii, oportunum & rebus suis atque Christianitatis totius peraccommodatum fore Majestas Regia existimat, si Illustritas Vestra proprio nomine, nulla in eo Majestatis suæ adhibita mentione, Illustritates earum admoneat, ita ut Svecorum Regi privatim faveant, ne publice Christiana Regna inter se committant, quin potius dent operam, ut ipsum a societate Moscica nefaria, in quam coivisse adversus plerasque provincias Christianas, inprimis autem adversus omnem oram maritimam, dicitur, abducant, & si quid adversus Serenissimum Regem meum & subditos illius aut reliquos maritimos Principes habere se existimet, de eo illum legitimis potius rationibus disceptare, quam bello decernere faciant.

Ante

Ante omnia vero ab ipsa quoque Illustritate Vestra Majestas illius Serenissima postulat, ut Illustritas Vestra sive præsidio aliquo militum, sive etiam pecunia ipsa apparatum Majestatis ipsius ad propulsandum tam grave & periculosum bellum adjuvet, Majestatique illius declaret, se pro ea conjunctione, quæ arctissima Illustritati Vestræ cum Majestate ipsius familiisque earum intercedit, omnem Majestatis ejus fortunam pro communi reputare. Quemadmodum sane ipsa quoque Majestas illius, si quid ejusmodi Illustritati Vestræ acciderit, in quo Majestatis ipsius benevolentiam erga se experiri/Illustritas Vestra cuperet, omnia sua procul dubio conferre parata esset ad usum & necessitatem Illustritatis Vestræ.

Cætera industriæ Nuntii committuntur.

Eodem plane modo se habet instructio Abbati Tremesnensi ad Ducem Brunsvicensem Henricum Petricoviæ die 26 Aprilis data, nisi quod ante ultimam partem, quæ incipit: Ante omnia vero, *inseruntur sequentia:*

Quod si hic tamen a comparando exercitu minime cessari Illustritas Vestra animadvertit, peroportunum item & peraccommodatum Regiæ illius Majestati fuerit, ut Illustritas Vestra cum Illustrissimo Principe, Domino Augusto, Saxoniæ Electore agat suo itidem privato nomine, ut Illustritas ejus pro gratia & autoritate sua, qua apud Sereniſſimum Daniæ Regem pollere dicitur, perficiat, ut ne per ditiones Serenitatis ejus ulla Germani militis in illas oras traducendi cuique facultas pa-

Digitized by Google

teat. Qua in re quo magis ex Internuntiis suis, quos apud Serenissimum Daniæ Regem habet, Serenissimus Rex meus intelligit optimam erga se voluntatem in Serenitate ejus in hoc genere non desiderari, hoc magis sibi persvadet, si autoritas Illustrissimi Domini Augusti Electoris ad eam rem accesserit, magis se ab ea parte ac ditiones suas tutas ac securas fore.

Sub finem hæc adduntur:

Cætera industriæ Nuntii committuntur.

Qui de iisdem quoque rebus omnibus, & quas præterea ad idem propositum existimaverit pertinere, ad Illustrem Principem, Illustritatis ipsius uxorem, sororem nostram charissimam, referet, nunciata eidem salute & benevolentia nostra.

CI.

EJUSDEM AD ALBERTUM DUCEM MEGAPOLENSEM INSTRUCTIO.

Idem ferme argumentum verbis diversis persequitur, inprimis tamen navalem Svecorum apparatum exaggerat.

ILlustri Domino Alberto Megapolensi Duci benevolentiam nostram Nuntius noster commendabit, omniumque rerum fortunatos eventus precabitur nostro nomine, verbis quam maxime accommodatis. Deinde hoc fere sermone utetur, impetrata privata audientia.

Allatum est ad Serenissimam Regiam Majestatem Poloniæ, Dominum meum Clementissimum, certis-

certiſſimis rumoribus Svecorum Regem Provinciis maritimis bellum inferre conſtituiſſe, omnem autem conatum & apparatum ſuum in id maxime conferre decreviſſe, ut totum mare Balthicum occupet, & latronibus ac pyratis infeſtum reddat, ut, cum ad eum modum mare ipſum poteſtatis ſuæ fecerit, primum quidem Livoniæ, quam hactenus in fide & clientela Sereniſſimi Regis mei conſtitutam, vexare omnibus belli incommodis non dubitavit, dominus efficiatur, fretus auxiliis his, quæ ſibi ex Germania mari eſſe affutura promittit, deinde autem ex Livonia confeſtim gradus faciat, ad libertatem vicinorum Principum & populorum evertendam, & ad affligendas opes ac ditiones eorum.

Eam autem gerendi belli rationem ob id potiſſimum videtur delegiſſe, quod cum intelligat, Svecico ſuo & domeſtico milite formidabilem ſe in Livonia videri non poſſe, viam ſibi aliquam, neceſſario experiendam, ac muniendam eſſe videat, qua poſſit externum militem adducere, ejusque præſidio imbecillam, nec ſatis ad inferendum cuique juſtum ac legitimum bellum idoneam ſuam ſuorumque manum confirmare. Itaque ergo maris occupandi cogitationem ſuſcepit, quod quidem iter nec Sereniſſimum Regem meum, qvem unum etſi non contemnit, eſſe tamen audit imparatum ab omni nautico apparatu, nec quemquam omnino maritimorum Principum & populorum poſſe impedire exiſtimat, quorum omnium opes dicitur præ magnitudine pecuniarum ſua-

ſuarum contemnere ac nihili facere. Itaque, etſi, quod Livoniæ quidem oppugnationem attinet, Sereniſſimus Rex meus non ita ſibi opes Svecicas metuendas eſſe exiſtimat, ut ab officio defendendæ fœderatæ provinciæ ſuæ, metu armorum & pecuniarum Suecicarum, refugere debeat; tamen quod periculum ipſum maris occupati & in poteſtatem Svecicam redacti extra Livoniam latius manare, ac ne a ditionibus quidem Illuſtritatis Veſtræ longe abeſſe videtur, etiam atque etiam cogitandum eſſe Illuſtritati Veſtræ Sereniſſimus Rex meus exiſtimat, ut, quandoquidem Regia ipſius Majeſtas navali apparatu minus valeat, equis vere tantum & viris pugnare aſſveta, Sveciæ autem Rex omnem ejus conficiendi belli ſpem, in ſola opportunitate maris videatur collocaſſe, diligenter Illuſtritas Veſtra provideat, ne quid ab ea parte communibus ditionibus detrimenti inferatur, inprimis autem, ut Illuſtritas Veſtra det operam, re Navarchis ſuis commiſſa atque delegata, ne Svecus, id quod maxime ſibi perſvaſit, ita maris dominio potiri poſſit, ut inde maritimis omnibus ditionibus, vel externi alicujus exercitus metum ac terrorem incutere, vel aliud ſervitutis genus, cum voluerit, poſſe imponere videatur.

Satis enim intelligi poteſt, qui maris Dominus extiterit, eum propter maximas rerum omnium opportunitates, quibus maritimæ omnes civitates carere non poſſunt, totius oræ maritimæ, etiamſi ferrum non diſtrinxerit, dominum futurum.

Sacra

Sacra equidem ipsius Majestas Regia, ad communis hujus periculi metum depellendum, nec privatis suis suorumque opibus ac facultatibus parcere decrevit, & communia etiam vicinorum Regum omnium & Principum ac civitatum auxilia per litteras & Nuntios suos excivit, eosque ad societatem pulcherrimi istius laboris invitavit. Suæ etiam Gedanensi civitati naves aliquot imperavit, quæ Svecorum naves pro arbitrio grassari in mari prohiberent, præda propemodum universa ita iis attributa, ut decimam sibi tantum ipsius partem, idque superioritatis magis, quam compendii alicujus causa, Majestas ipsius reservarit.

A Vestra autem Illustritate illud præterea Majestas illius, pro vicinitatis & consangvinitatis Jure, & pro pactorum ac fœderum communium ratione postulat, primum, ut ne quam Illustritas Vestra facultatem Svecorum Regi concedat, militem aut ex ditionibus, aut per ditiones suas ducendi: quin potius si quid a quoquam tentatum ejusmodi fuerit, id pro officio suo, & pro benevolentia in Regiam Majestatem illius prohibeat. Deinde, ut apud Principes, apud quos se vel gratia vel auctoritate valere Illustritas Vestra intelligit, idem hoc istud per litteras vel Nuntios suos contendat, ab eisque postulet, ut si qua Svecorum auxilia per eorum terras iter factura essent, ea transitu prorsus prohibeant. Postremò, ut quantum Illustritas Vestra potest, tantum de aliquo præsidio nobis celeriter mittendo cogitet, quo junctis cum exercitu vestro viribus nostris ab Illustritatis Vestræ di-

tionibus periculum imminens, facilius possit summovere, aut certe si præstare id Illustritas Vestra non potest, pecunia saltem velit nos adjuvare.

Quo magis non mirum est S. R. Majestati, fratrem Illustritatis Vestræ Christophorum, oblitum ejus beneficii, quod non ita pridem a Majestate sua accepit, tum cum Coadjutor Rigensis Archiepiscopatus gratia & opera Majestatis ipsius est factus, consilia sua alio convertisse, & quam provinciam tueri una cum Majestate ipsius debuit ab impressione aliorum, ei bellum inferre decrevisse, armis consociatis cum iis, qui se ipsius hostes aperte profitentur. Quem sane fratrem Illustritatis Vestræ, si officium ipsius ab eo facto non revocat, si non revocat ea necessitudo, quæ familiæ ipsius cum Regia ejus Majestate intercedit, revocare saltem deberet memoria ejus beneficii, quo a Majestate ejus est affectus, partim & misericordia laceratæ & afflictæ provinciæ, quæ incolumitatis ac salutis suæ bonam spem in præsidio ipsius non multo ante posuisse videbatur.

Atque hæc quidem Majestas ejus apud Illustritatem Vestram commemorare voluit, ut intelligat Illustritas Vestra gravia quidem videri Majestati ipsius ea omnia, quæ de calamitatibus provinciæ illius ad Majestatem ejus afferuntur, sed omnem tamen illam acerbitatem hac una re superari, quod eæ calamitates magna ex parte augeri ac cumulari dicantur eorum hominum opera, qui in defendenda ea provincia Majestati ipsius adjumento potissimum esse debuerunt.

Cæte-

Cætera Nuntius noſter in eandem ſententiam pro re & tempore addere poterit, quæ eodem pertinere videbuntur.

CII.

INSTRUCTIO CZARNKOVVSKI AD POMERANIÆ DUCES DATA.

Legatus palam ad poſtulata Ducum reſpondeat Commiſſarios ideo a Rege deſignatos eſſe, privatim vero auxilium adverſus Svecos ex fœderum non minus, quam neceſſitudinis & communium commodorum lege, poſtulet.

CUm ad Illuſtres Principes Dominos Pomeraniæ Duces Legatus noſter pervenerit, fauſta iis ac felicia omnia nomine noſtro precabitur, deferetque ad Illuſtritates eorum, noſtra vicini & neceſſarii Regis officia ac ſtudia, quacumque in re tam ipſis Illuſtritatibus eorum, quam ditionibus illis atque dominiis uſui & commodo eſſe poſſent.

Deinde dicet.

Non eſſe nobis elapſam memoriam earum rerum, quæ a nobis proxime in Comitiis noſtris Petricovienſibus per Legatos ſuos Illuſtritates eorum poſtulaſſent de antiquis reſtituendis itineribus, de Wartæ & Oderæ fluminum libertate recuperanda, de finibus denique communium noſtrarum ditionum diſtinguendis. Quæ omnia quoniam ſita potiſſimum ac conſtituta eſſent in deſignandis

Commissariis, ad disceptandas controversias, cum Illustrissimis Dominis Marchionibus Brandenburgensibus, qui tum vias antiquas commutasse, tum Wartæ & Oderæ servitutem imposuisse dicuntur; dicet Nuntius noster nos jam Commissarios eos summo cum studio designavisse, iisque omnia, quæ nostro nomine in hoc genere acturi essent, diligenter mandavisse. Præterquam enim quod ea negotia ad nostræ quoque Reipublicæ rationes pertinent, ea sane sumus cum Illustritatis ipsorum voluntate, ut commoda ac utilitates illarum pro nostris propemodum reputemus, quemadmodum & vicinitatis & necessitudinis nostræ mutuæ rationes exposcunt. Itaque ad Illustrissimos quoque ipsos Dominos Brandenburgenses Marchiones scripturos nos esse primo quoque tempore, ut Illustritates item eorum Commissarios ad easdem res designent, qui ubi de loco & tempore conventus communis cum Commissariis nostris constituerint, facturos nos de eo esse Illustres Principes Pomeraniæ sine mora certiores.

Atque hæc quidem Nuntius noster in publica ad Illustrissimos Principes Pomeraniæ nomine nostro deferet. Tum autem privatum colloquium cum Illustritatibus eorum expetet. Quod ubi datum fuerit, dicet.

Posteaquam a nobis Nuntii Illustritatum suarum proxime ex comitiis discessissent, allatum ad nos esse certissimis rumoribus, Svecorum Regem provinciis maritimis bellum inferre constituisse, omnem autem conatum & apparatum suum in id maxi-

maxime conferre decreviſſe, ut totum mare Balthicum occupet, & latronibus ac pyratis infeſtum reddat, ut cum ad eum modum mare ipſum poteſtatis ſuæ fecerit, primum quidem Livoniæ, quam hactenus in fide & clientela Sereniſſimi Regis mei conſtitutam vexare omnibus belli incommodis non dubitavit, dominus efficiatur, fretus auxiliis his, quæ ſibi ex Germania mari eſſe affutura promittit: deinde autem ex Livonia confeſtim gradus faciat ad libertatem vicinorum Principum & populorum evertendam, & ad affligendas opes ac ditiones eorum.

Sic cætera quoque cum præcedenti Inſtructione plane conveniunt, usque ad ea verba: Quo magis non mirum eſt &c. *ubi additur:* Quod cum ad eum modum erit factum, confidit Regia illius Majeſtas nunquam hoſtem ipſum tantam ad nocendum ditionibus iſtis, quantam Illuſtritates Veſtras ad proſpiciendum ſaluti atque libertati illarum facultatem eſſe allaturum. Et ſicut Majeſtati ſuæ maxime deliberatum eſt, temeritati atque inſolentiæ ejus hoſtis obviam ire, ita Illuſtritatibus Veſtris maxime ſane perſvaſum eſſe debet, cum non minus quidem agatur res illarum, quam ipſius Regiæ Majeſtatis in communi quidem incendio reſtingvendo, operam quoque & ſtudium Illuſtritatum Veſtrarum deeſſe non oportere. Quamobrem quod ad officium Illuſtritatum Veſtrarum, quod ad pacti & fœderis communis rationem, quod ad mutuam Illuſtritatum Veſtrarum cum Majeſtate Regia neceſſitudinem, quod denique ad propul-

ſandum

sandum ab ditione illarum imminens periculum maxime pertinere videtur, id ut Illustritates Vestræ suscipiant, susceptumque naviter urgeant, postulat sacra ipsius Regia Majestas, quæ sane magnopere confidit Deum optimum maximum, his tum suis, tum Illustritatum Vestrarum & reliquorum Principum justis, atque pro fœderatorum & sociorum salute susceptis conatibus nequaquam esse defuturum.

Cætera Nuntius noster in eandem sententiam pro re & tempore addere poterit, quæ eodem pertinere videbuntur.

Eadem prorsus, si. quæ de Commissariis illis præmittuntur, excipias, eidem Oratori ad Ducem Prussiæ ituro in mandatis data sunt, nisi quod sequentia ad finem subjecta.

Ad extremum autem dicet Illustritati ejus, nos eum Oratorem, quem ad conventum Imperii in negotio Illustritatis ipsius designaverimus, Reverendum Dominum Episcopum Chelmensem adhuc apud nos retinere, quod de conventu Imperii nihil dum audiatur. Aget igitur cum Illustritate ejus, ut quid porro facere debeamus, ut utrum Oratorem ipsum ad Cæsaream tantum ipsam Majestatem in causa Illustritatis ejus missuri simus, Conventu Imperii non expectato, sententiam nobis suam Illustritas ejus exponat.

CIII.

CIII.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Intercedit pro Bernhardi Soderini mercatoris Florentini socero, cui panni quidam aurei non dolo sed errore dissimulati a Cæsareis teloniorum præfectis ablati sint.

Dicuntur esse intercepta duo stamina panni aurei a Præfectis teloniorum Feltrichensium mercatori cuidam Florentino, socero Bernardi Soderini, qui in Regno nostro exercet mercaturam a plerisque annis. Is nobis supplicavit per litteras, ut quandoquidem ipsi quoque Cæsareæ Majestati Vestræ constet, errore ministrorum factum fuisse, ut eos pannos apud Præfectos teloniorum Majestatis Vestræ non profiterentur, quod illos ibi repositos fuisse ignorarent, a Majestate Vestra peteremus, ut ne hunc errorem ministrorum domino ipsi damno esse patiatur; Itaque a Majestate Vestra etiam atque etiam petimus, ut ea panni stamina quandoquidem ad eum modum a telonibus capta sunt, restitui mandet, neque errorem alienum præsertim ipsi illi cujus interest fraudi esse patiatur. Erit id nobis a Majestate Vestra gratissimum. Quam bene valere cupimus, eique studium nostrum etiam atque etiam commendamus. Datum 28 Aprilis ex Boguszyce.

CIV.

Digitized by Google

CIV.

DUCI PRUSSIÆ.

Qua difficultate prematur, quo minus Germanum militem conducere vel sustentare possit, ostendit, tum gratum sibi profitetur Ducis congressum futurum.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster Charissime. De iis rebus, quæ ad comparandum militem Germanicum pertinent, gratum nobis fuit studium Illustritatis Vestræ cognoscere. Nos quidem perspectis rationibus ad nos missis a Vejero, quibus miles iste conduci ostenditur, & consideratis ex parte altera angustiis ærarii nostri, quibus hoc tempore premimur, totum id negotium difficillimum fore arbitramur. Primum enim stipendium ipsum usque adeo magnum videmus a nobis flagitari, ut ea summa militum quidem nostrorum triplo aut quadruplo major numerus conduci posse videatur. Deinde cum conditio ipsa illa solvendorum stipendiorum adjecta sit, ut ad diem constituendam repræsententur, neque mora amplior duarum septimanarum interponatur, valde veremur, ne forte ob defectum pecuniæ, qui solet etiam ditissimis Principibus in bello evenire, miles ille Germanicus, hostis pro milite perficiatur, & bellum, quod hostibus nostris inferre debuit, in nos ipsos & exercitum nostrum convertat. Quamobrem de ea re tota amplius adhuc deliberavimus; nunc quidem quomodo tanta impedimenta & ob magni-

magnitudinem stipendii, & ob conditionum difficultatem, quas nobis proposuit, possimus e medio tollere, non intelligimus. De congressu Illustritatis Vestræ nobiscum, cujus se cupidum esse Illustritas Vestra ostendit, nobis quoque ipsis foret is gratissimus. Verum cum Illustritas Vestra non, nisi post Marieburgensia Comitia iter ad nos instituere se posse scribat, videmus in eo quoque difficultatem nonnullam fore, sed tamen ut ea ratione dierum itinerumque nostrorum constituere posset Illustritas Vestra, nunquid posset nos Grodnæ convenire, mittimus ad illam præscriptam rationem instituti itineris nostri, ut videat Illustritas Vestra, quid in hoc genere posse fieri existimet. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Varsaviæ 3 Maj.

CV.

EPISCOPO CRACOVIENSI ET CASTELLANO CRACOVIENSI.

Petit ab iis pecuniam mutuam.

REverendissime in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Opus habemus nunc si unquam alias, præsente pecunia ad conducendum militem in Lithuaniam, tum propter nostrum, tum propter universi Ducatus illius præsidium, quem proxime superiori tempore hostilibus armis in absentia nostra vexatum, nollemus amplius prædæ cujusquam ac direptioni objicere. Quamobrem a S. Vestra petimus, ut nobis de mutua aliqua non contemnenda pecuniæ summa, quantum maxime potest com-

commodet, ſtudiumque ſuum erga nos & Rempublicam hoc genere officii declaret. Nos autem Magnifico Regni noſtri Theſaurario mandavimus, ut ex eo tributo, quod proxime in Petricovienſibus Comitiis decretum ac imperatum eſt, univerſum id mutuum S. Veſtræ exſoluat. Cujus officii memoriam nos quoque ipſi privatim conſervaturi ſumus. Bene valeat S. Veſtra. Datum Varſaviæ 4 Maj.

CVI.

CASTELLANO SENDOMIRIENSI.

Pecuniam mutuam ejus opera procurari ſibi cupit.

OPus habemus ſi unquam alias, præſente pecunia ad conducendum militem in Lithuaniam, tum propter noſtrum, tum propter Ducatus illius præſidium. Quoniam autem allatum ad nos eſt Generoſum Albertum Laski numeraturum eſſe his diebus Magnificæ Annæ Tenczynskia de Ozarovv Caſtellanæ Cracovienſi, & filiis ejus, Magnifici Andreæ Tenczynski Caſtellani Cracovienſis hæredibus, non contemnendam pecuniæ ſummam, in qua bona ipſius Rytvviany erant apud Thenczynski obligata. Scimus autem S. Tuam in familia Tenczynskich & gratia valere ob affinitatem, & autoritate ob ætatem, qua eos antecellit ob dignitatem Senatoriam, quare hortamur S. Tuam ut partes ſuas interponat, ut ea pecunia interim mutuo nobis dari poſſit. Quam nos quidem pecuniam per Magnificum Regni theſaurarium ex eo tributo, quod decreto Comitiali recens inſti-

institutum est, solvi illis quamprimum jubebimus, gratiaque præterea nostra, studium eorum & officium referemus. Datum Varsaviæ.

CVII.

CONSULIBUS GEDANENSIBUS.

Pulverem pyrium sibi confestim suppeditari rogat, deinceps commodiori tempore recipiendum.

SPectabiles ac Famati fideles dilecti. Ad eam necessitatem bellicam, ad quam nos apparamus, destituimur copia pulverum tormentariorum. Quoniam autem a pixidariis nostris tam repente copia eorum submministrari non potest, a F. Vestris postulamus, ut interea suppeditent nobis pulveris tormentarii grossioris centenarios centum & quinquaginta, tenuioris autem, pixidariis vulgo *Hakenpulver* dicti, centenarios quinquaginta, quod nos quidem totum commodiori nostro tempore ad pondus & numerum restitui F. Vestris nostro sumptu a pixidariis istis nostris jubebimus. Officium autem hoc & studium F. Vestrarum erga nos gratissimum habebimus. Quod etsi F. Vestras facturas minime dubitamus, tamen ne qua ex ea re apparatui nostro bellico mora injiciatur, volumus ut nobis de eo sententiam suam quamprimum Fidelitates Vestræ per litteras aperiant. Datum Varsaviæ.

CVIII.

ELECTO HUNGARIÆ REGI.

Wlodimirium commendat ad ſtationem a nobili Tarlo olim obtentam.

SEreniſſime Princeps, Domine Nepos noſter chariſſime. Supplicavit nobis Wlodimir, qui eſt ex aulicis Serenitatis Veſtræ, partes ut noſtras pro eo ad Serenitatem Veſtram interponeremus, ut locum, quem nobilis olim Tarlo tam in ſtipendio, quam in equitum numero ſtatuendo, apud Serenitatem Veſtram obtinuit, eundem ipſe poſſit interceſſione noſtra obtinere. Quare cum ſe is quidem hactenus erga nos ita geſſerit, ut nihil ab officio alienum admiſerit, commendationem noſtram non exiſtimamus illi deeſſe oportere. Itaque a Serenitate Veſtra petimus, ut, quod commodo ſuo poteſt recte facere, demonſtret illi commendationi noſtræ locum apud Se extitiſſe. Bene valeat Serenitas Veſtra. Datum in Oſtrovia VIII Maj. 1563.

CIX.

EIDEM.

Commendat Stanislaum Ligpza de Boleslavv, miniſtrum veterem.

SEreniſſime Princeps, Domine Nepos noſter chariſſime. Generoſus Stanislaus Ligpza de Boleslavv cum bonam ætatis ſuæ partem hactenus in aula Sereniſſimæ olim matris Serenitatis Veſtræ, ſoro-

ſororis noſtræ chariſſimæ, ipſiusque adeo Serenitatis Veſtræ exegiſſet, valetudinemque ſuam cum obſequiorum laboribus, tum morbis etiam ipſis adflixiſſet, conſtituit reliquum ætatis ſuæ in Regno noſtro, patria ſua, ponere. Cujus opera cum nos quoque ipſi opus habeamus, a Serenitate Veſtra petimus, ut illi tandem cum bona gratia a ſuis aulæque ſuæ obſequiis miſſionem concedat, ac liberum eum prorſus dimittat. Quin & in reliquis illius negotiis, quæ apud Serenitatem Veſtram habiturus eſt, ita eum Serenitas Veſtra tractet, ut intelligat & obſequiorum ſuorum veterum & noſtræ etiam iſtius commendationis inſignem aliquam a Serenitate Veſtra habitam eſſe rationem. Erit id nobis a Serenitate Veſtra gratiſſimum. Quam bene valere cupimus. Datum &c.

CX.

DUCI PRUSSIÆ.

Grata ſibi fuiſſe nuntiat, quæ ex legato intellexerit.

ILluſtris Princeps, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Studium Illuſtritatis Veſtræ erga nos, quod hoc tempore ex litteris & Internuntio ipſius, egregio viro, Doctore Sona intelleximus, pergratum nobis accidit: inprimis autem ſollicitudo illius de ſalute & incolumitate noſtra, deque iis rebus, quæ ad dignitatem noſtram pertinent, magno nobis fuit argumento veteris erga nos amoris & obſervantiæ Illuſtritatis Veſtræ, quæ nunquam non poteſt eſſe nobis gratiſſima. Quam-

obrem cum nos ejusmodi studium erga nos Illustritatis Vestræ perspiciamus, dabimus operam, ut in iis rebus, de quibus ad nos proxime per dictum Doctorem Sonam Internuntium suum retulit, ad voluntatem nos Illustritatis Vestræ, quam maxime fieri poterit, accommodemus. Quemadmodum ex hoc ipso Internuntio suo Illustritas Vestra copiosius cognoscet. Quam optime valere cupimus. Datum Grodnæ XVIII Maj.

CXI.

SUMMA RESPONSI AD LEGATIONEM ILLUSTRIS PRINCIPIS DOMINI DUCIS PRUSSIÆ.

Consilia Ducis probat, sed ita ut de erarii sui angustia idèntidem conqueratur, & de Principibus operam suam ad bellum Svecicum offerentibus suam sententiam paulum differat.

POst delationem gratiæ & benevolentiæ Regiæ, & post comprecationem ejusdem salutis & incolumitatis Celsitudini ejus, ad ipsa Legationis capita ad eum modum Nuntio C. ejus responsum est.

Non dubitare Majestatem Regiam, quin C. ejus pro singulari suo in Majestatem ejus studio & observantia libentissime huc accurrisset, præsentiaque sua Majestati ejus, quantum maxime posset, commodasset, si id per valetudinem primum, deinde per occupationes Celsitatis ejus licitum fuisset.

Digitized by Google

set. Confidere etiam & sibi polliceri Majestatem ipsius Regiam, si Celsitatis ipsius præsentia in posterum opus haberet, non invitam esse ad se excursuram. Quamobrem accipere prorsus eam excusationem, qua ad defendendam ejus temporis absentiam suam Celsitudo ejus per Nuntium suum uti voluit. Quod autem Celsitudinis ejus consilium attinet, quo quidem veteranas copias retinendas esse Majestati Regiæ modis omnibus Celsitudo ejus arbitratur, etsi in eo ipso insint cum quædam alia incommoda, de quibus pridem Majestas ejus Celsitudinem ipsius fecit certiorem, tum etiam inprimis difficultas ob angustiam ærarii, quæ non facile potest explicari, tamen Regiam hanc Majestatem confisam cum alacritate subditorum suorum quorundam, tum vero etiam studio hoc tanto Celsitudinis ejus, non gravate annuere ad retinendas eas copias a Vejero contractas; postulare tantummodo Majestatem ejus a Celsitudine ipsius, ut ad tollendas difficultates istas de pecunia suum quoque & ipsa studium Majestati ejus exhibeat, & aut ipsa aliquid de suo Majestati ejus mutuum det, aut aliunde nanciscatur, ex quo angustia ærarii Majestatis ejus ad præsentem necessitatem sublevari & provideri possit.

Quod autem quærit Celsitudo ejus de animo Majestatis ipsius, quid cum duobus Illustribus Principibus operam suam Majestati ejus deferentibus velit fieri, de eo quidem Majestatem Regiam aliquantisper suspendere sententiam suam; idque non quod illi non omnino sit gratissimum stu-

Digitized by Google

dium utriusque erga ſe, quod quidem Majeſtas Regia optimo animo ad Illuſtritatibus eorum accipit, ſed quod res ipſa longiore adhuc deliberatione indigeat. Itaque cum viderit Majeſtas Regia progreſſum earum rerum, quæ nomine ſuo in Germania fieri ſunt cœptæ, communicato cum Celſitudine ejus & aliis quibusdam Principibus conſilio, ſtatuet ſine mora quid ea re fieri velit. Nunc quidem nec Ducis Erici promptiſſimam voluntatem aſpernari, & Ducis Megapolenſis ſingularem alacritatem probare.

De conciliandis atque adeo adjungendis vicinorum Principum ſtudiis ad communis iſtius periculi metum depellendum; jam pridem a Majeſtate ejus legationes inſtitutas eſſe. Expectare Majeſtatem Regiam reſponſum, cum mutua amicitia mutuisque fœderibus, tum prudentia quoque illorum Principum dignum: quorum in hoc Moſcovico ac Svecico bello non minus res agitur, quam Livonum ipſorum aut ipſius adeo Regiæ Majeſtatis.

Studium Majeſtatis Regiæ ad ſummovenda hæc pericula quod attinet, multa jam feciſſe, plura etiam jam facturam eſſe, ex quibus perſpici ac cognoſci poſſit, nihil ſe nec laborum nec ſumtuum prætermiſiſſe, quo ad arcendos crudeliſſimos hoſtes a jugulis provinciarum iſtarum, pertinere videatur. Et quoniam Celſitudo ejus, quarundam rerum Majeſtatem ejus oportune admoneat, facturam eſſe Majeſtatem ejus, ut ſe ad ſententiam Celſitudinis ejus libenter accommodet. Itaque

etſi

etſi in legatione ſua ad Comitia proxima Marieburgenſia in Pruſſia cum multarum aliarum rerum admoneret Majeſtas illius terrarum illarum ordines, tum illam quoque partem non prætermiſiſſe, ut eos ad inſtituendum apparatum bellicum, qui ad ſubitos forte aliquos metus excipiendos neceſſarius videretur, ad luſtrationesque adeo copiarum domeſticarum hortaretur, tamen ne nunc quidem eadem repetere Majeſtatem ipſius neglexiſſe, id quidem ex univerſalibus conſcriptis ob eandem rem litteris recognoſcant. Quod cum ita ſit, ne de tabellariis quidem pedeſtribus conſtituendis ad Illuſtriſſimos Pomeraniæ Duces ſcribere Majeſtatem ejus prætermiſſuram eſſe, ut ab iis tabellariis litteræ, quæ Megapoli Stetinium allatæ fuerint, Gedanum deferantur. Ac ne de commendandis quidem Sereniſſimo Daniæ Regi ſuis & Celſitudinis ejus nautis prætermiſſuram eſſe, ut omni ex parte præſenti neceſſitati ſatisfactum eſſe videatur. Quamobrem cum intelligat Celſitudo ejus, quo & res ipſæ vergant, & animus Majeſtatis ejus inclinet, cenſere Majeſtatem ipſius, ut amittenda amplius legatione ſua in Sveciam Celſitudo ipſius ſuperſedeat: pro eo autem ſtudium ſuum & apparatum omnem ad ea convertat, quæ uſum ac neceſſitatem rerum ipſarum magis poſtulare Celſitudo ipſius intelligit.

CXII.

PALATINO BELZENSI.

Jubet eum pauliſper a legationis munere abſtinere.

MAgnifice, ſincere nobis dilecte. Cum ita ferat rerum noſtrarum ſtatus atque conditio, ut de iis rebus, de quibus pridem S. Veſtræ commiſeramus, non exiſtimemus nunc cum Rege Sveciæ agi expedire, volumus ut Sinceritas tua a legatione & itinere Svecico, tantiſper dum illi a nobis aliud per litteras ſignificatum fuerit, omnino abſtineat. Poſtea ſi opus erit non prætermittemus S. Tuam de ea re per litteras noſtras certiorem reddere, quas litteras interim S. Tua expectabit. Datum 18 Maj.

CXIII.

PALATINO VALACHIÆ.

Pro ſubdito quodam ſuo, cujus interceptæ merces fuerant, intercedit.

MAgnifice domine S. nobis Dilecte. Queſtus eſt apud nos providus hic Stephanus Hriskovvicz, ſubditus noſter ex Minsko oppido noſtro Lithuaniæ, merces quasdam ſibi per Præfectos S. Veſtræ Cutnarenſes interceptas eſſe, per ſpeciem, quaſi eæ poſt mortem fratris ipſius Pauli, qui in ditione iſtic S. Veſtræ mortuus eſt, jure caduco ad S. Veſtram pertinerent. Quamobrem a S. Ve-

S. Veſtra poſtulamus, ut huic ſubdito noſtro merces eas reſtitui jubeat, quæ non ſolum contra pacta communia, ſed etiam contra omnes leges, & omnia jura publica illi ademptæ per Præfectum S. Veſtræ fuerunt. Nos vicisſim ſubditis S. Veſtræ, ſi quando uſus venerit, jus libenter dicemus, libertatemque commerciorum communium diligenter obſervari jubebimus. Bene valeat S. Veſtra. Datum Grodnæ.

CXIV.

CANONICIS VILNENSIBUS.

Vice-Cancellario hoſpitium aſſignari etiam atque etiam poſtulat.

VEnerabiles, devote nobis dilecti. Scripſimus antea Dominationibus Veſtris Grodna, ut de domo Venerabilis Joannis Wierzbovvski Reverendo Domino Vice-Cancellario Regni D. Veſtræ commodarent. Quod certe hactenus factum non eſſe demiramur. Quamobrem iterum atque iterum a D. Veſtris poſtulamus, easque hortamur, ut quandoquidem Reverendus Dominus Vice-Cancellarius, propter commoditatem noſtrorum & Reipublicæ negotiorum, quæ ſuſtinet, pluribus & proximis hoſpitiis opus habeat, non poſſit autem fere aliunde proximioribus provideri, quam iis, quæ ſunt in poteſtate Collegii D. Veſtrarum, dent operam D. Veſtræ, ut ſine omni excuſatione de ea domo illi decommodent, quæ eſt Venerabilis Wierzbovvski. Nos equidem cum intelliga-

mus, nullum fere esse in D. Vestrarum collegio, qui non id beneficio nostro fuerit consecutus, cumque præterea memoria teneamus, quantis nostris Divorumque majorum nostrorum beneficiis collegium hoc D. Vestrarum auctum ornatumque fuerit, atque etiam augeri præterea a nobis & cumulari possit, existimamus profecto, & ita nobis persvademus, posse nos aliquid D. Vestris imponere, quod nobis ab illis negari non debeat. Quod sane si quid ejusmodi est, id equidem volumus esse hoc istud, quod hoc tempore a D. Vestris de hospitio postulamus. Quod si nobis negatum a D. Vestris fuerit, non possemus profecto facere, quin id acerbum nobis a D. Vestris contigisse, modis omnibus testaremur. Datum &c.

CXV.

JOANNI ALBERTO DUCI MEGAPOLENSI.

Quadringentorum equitum auxilium, quamquam pro rei necessitate perexiguum, non recusat & maturari cupit; Germanum vero militem suo stipendio conduci plane recusat.

ILlustris Princeps, Domine amice & consanguinee noster charissime. Quæ nos esse pro Illustritate Vestra facturos in negotio Archiepiscopatus Rigensis ostendimus, eaq; tum voluntate primum nostra optima in Illustritatem Vestram, tum etiam litteris Illustritatis Vestræ, ac injuriis fratris ipsius provocati fecimus. Si quid etiam deinceps pro-

proficiſci a nobis poterit ad ornandam Illuſtritatem Veſtram, id ſane non minus lubenti animo pro illa ſuſcepturi ſumus. Quod autem auxilium 400 equitum attinet, quod nobis Illuſtritas Veſtra ad defenſionem Livoniæ ſuis ſe ſumptibus alere velle promittit, quamquam & nos, cum ſumtuum noſtrorum hactenus in provinciæ illius defenſionem factorum recordamur, & Illuſtritas ipſa Veſtra, quæ molem illius belli facile poteſt animo concipere, intelligamus auxilium ejusmodi eſſe perpuſillum, tamen earum rerum rationem habentes, quas nobis per litteras Illuſtritas Veſtra proponit, interim in eo acquieſcimus. Det modo Illuſtritas Veſtra operam, ut illud primo quoque tempore a ſe in Livoniam alleget, ne ulla ex parte oportunitati rerum gerendarum defuiſſe videatur. Nos equidem ita rationes ejus belli adminiſtramus, ut præter eos equites, quos Illuſtritas Veſtra nobis offert, & eam turmam, quæ ſtipendiis noſtris per Vejerum conducitur, milite Germanico non amplius indigeamus, prævisa jam per nos ad eum modum neceſsitate ipſa bellica, ut & juſtum exercitum, & longe minore ſtipendio conficere poſſe videamur. Quare etſi nobis quidem Illuſtritatis Veſtræ prompta hæc voluntas ſit quam gratiſſima, quod ad numeroſiorem conducendum exercitum Germanicum noſtro ſtipendio ducem ſe fore profitetur, tamen cum hoc tempore exercitu eo minime opus habeamus, in ipſa interim Illuſtritatis Veſtræ voluntate acquieſcimus, effectum ejus voluntatis ad aliud tempus, ſi forte opus fuerit,

erit, nobis reique noſtræ publicæ reſervamus. Interim autem Illuſtritas Veſtra parcat labori ſuo, nec ſe fruſtra fatiget conducendo exercitum, qui nobis quidem hoc tempore minime eſt neceſſarius. Illuſtris autem quoque ipſius Erici Ducis ſtudium erga nos ſingulare, quod ex litteris Illuſtritatis Veſtræ intelligimus, gratiſſimo animo accipimus, & eum ad confirmandum mutuam noſtram cum Illuſtritate ejus neceſſitudinem aptiſſimum eſſe judicamus, tum absque neceſſitate quidem hoc tempore eo uti minime volumus. Erunt fortaſſis aliis temporibus alia, in quibus & Illuſtritas Veſtra ſtudium erga nos ſuum tam illuſtre, & nos gratiſſimum noſtrum in Illuſtritatem ejus animum poterimus comprobare, vel ſi eadem forte tempora Dominus Deus diutius perſeverare voluerit, tunc nos quidem, ſi res ita tulerit, non dubitabimus uti præclaro hoc Illuſtritatis ipſius erga nos animo & voluntate. Interim Illuſtritatem Veſtram optime valere cupimus. Datum Vilnæ XXIII Maj.

CXVI.

ELECTO HUNGARIÆ REGI.

Wlodimirium exercitus Hungarici ductorem ſibi militare cum bona Regis venia cupit.

SErenisſime Princeps Domine Nepos noſter charisſime. In hoc apparatu noſtro bellico, quem ad defenſionem Livoniæ inſtituimus, decrevimus uti opera nobilis Wlodomiri Aulici Serenitatis Veſtræ. Quamobrem ab illa poſtulamus, ut

ut ipsi interea dum in exercitu nostro fuerit, ab obsequiis Serenitatis Vestræ abesse liceat. Cum bellum per Dei gratiam confecerimus, remittemus eum sine mora ad obsequia Serenitatis Vestræ. Quam bene valere cupimus. Datum XXV Maj.

CXVII.

DUCI PRUSSIÆ.

Cursores publicos in Lithuania institui curat, neque minus vero indignatur Gedanensibus ob Svecicas naves dimissas.

ILlustris Princeps, Domine Amice & Consobrine noster charissime. Quod ad constitutionem cursorum nocturnorum diurnorumque per Ducatum nostrum Lithuaniæ attinet, in eo non mediocriter consilium nobis Illustritatis Vestræ probatur, dabimusque operam, ut ii brevi quam velocissimi instituantur. Miramur vero Gedanenses, Svecicas naves aliquot salvas & incolumes domum se recipere passos fuisse. Videtur hoc fatali quadam horum temporum fieri calamitate, ut, quorum nos subditorum nostrorum curam præcipuam gerimus, hi ipsi vel beneficia nostra parum agnoscant, vel non magnopere de referenda nobis gratia sint soliciti. Dabimus interim mandata ad eos eade re quam antea severiora. Illustri Duci Megapolensi respondemus, & epistolam ipsam cum exemplo ad Illustritatem Vestram mittimus, quam bene feliciterque valere cupimus. Datum Vilnæ XXV Maj.

CXVIII.

CXVIII.

EIDEM.

Ducis causam agit in conventu Brunsvicensi, rogatq; vicissim, ut is Albertum Megapolensem & Albertum Brunsvicensem Duces ad causam suam suscipiendam incendat.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Quod Illustritas Vestra nostro nomine in conventu proximo Brunsvicensi agi ac curari voluit, id ita ut fieret dedimus operam. Scribimusque ad Illustres Principes Albertum Megapolensem, Ericum Brunsvicensem Duces, eo exemplo, quod Illustritati Vestræ mittimus. Quod cum ita sit, ipsa eos quoqve Illustritas Vestra suo nomine ad causam nostram suscipiendam & agendam inflammabit, atque hortabitur, ut in ea re studium nobis & voluntatem suam quam maxime explicent. Erit id nobis a Vestra & eorum Illustritatibus gratissimum. Quam bene valere cupimus. Datum 26 Maj.

CXIX.

ERICO DUCI BRUNSVICENSI.

De propenso ejus in se animo sibi gratulatur, milites tamen Regio stipendio conduci modestere cu sat.

SIgismundus Augustus &c. Illustris Princeps, Domine amice & affinis noster charissime.

Ex

Ex litteris Illuſtrium Principum Dominorum Pruſſiæ & Megapolenſis Ducum ſæpe intelleximus de excellenti erga nos ſtudio & amore Illuſtritatis Veſtræ, quem quidem nobis cum multis indiciis aliis, tum potiſſimum alacritate illa declaravit, quod ſe nobis in ſocietatem belli Moſcovitici ultro obtulerit, copiasque militum non exiguas noſtro ſtipendio conducere promiſerit. Quæ res cum nobis ab Illuſtritate Veſtra gratiſſima acciderit, facere non potuimus, quo minus id Illuſtritáti Veſtræ ſignificaremus, illamque certiorem faceremus, fore nos quoque viciſſim promtos ac paratos, ſi quo unquam ejusmodi caſu & neceſſitate officium noſtrum Illuſtritati veſtræ præſtari poterit. Id eſt enim, quod & mutua noſtra cum familia Illuſtritatis Veſtræ neceſſitudo, & ſtudium hoc ſingulare ipſius erga nos requirere videtur. Cæterum quoniam res ipſa ac neceſſitas bellica ita jam per nos eſt proviſa, ut exercitum juſtum, & ex alio milite, & minore multo ſtipendio conficere poſſe videamur, poterit Illuſtritas Veſtra, ſi quas jam habet contractas militum copias, aut dimittere liberas, aut iis Principi alicui gratificari, qui hoſtis & adverſarius noſter non fuerit. Deinceps ſi ita res tulerit, non recuſabimus in hoc etiam genere uti opera & ſtudio Illuſtritatis veſtræ. Nunc quidem etſi eo uti neceſſe non habeamus, tamen voluntatem profecto Illuſtritatis veſtræ erga nos propenſiſſimam pluris, ut debemus, facimus. Quam ut nobis perpetuo Illuſtritas veſtra conſervet, etiam atque

que etiam petimus. Reliqua ex Illuſtri Domino Joanne Alberto Megapolenſi Illuſtritas Veſtra intelliget, in quibus ut nobis ſolitum ſuum ſtudium & benevolentiam Illuſtritas Veſtra præſtet, ab illa etiam atque etiam petimus. Quæ bene valeat. Datum 28 Maj.

CXX.

JOANNI ALBERTO DUCI MEGAPOLENSI.

In conventu Ordinum inferioris Saxoniæ Brunſvigæ inſtituendo periculum, quod Livoniæ & deinde univerſæ quoque Germaniæ a Svecis immineat, ob oculos poni, & auxilia corrogari cupit.

ILluſtris Princeps-Domine amice & conſangvinee noſter chariſſime. Certiores facti ſumus ab Illuſtri Principe, Domino Alberto, Pruſſiæ Duce, conſobrino noſtro chariſſimo, conventum ordinum & ſtatuum inferioris Saxoniæ Brunſvigæ ad diem Julii tredecimam indictum eſſe. Et quoniam conventus ille frequentia eorum maxime, cum quibus nobis vel ſangvinis neceſſitudō, vel vicinitas denique ipſa intercedit, celebrandus eſſet, ſpes nobis ampliſſima ab eodem Principe facta eſt, ſi quod paulo ante privatim per Internuncium noſtrum cum plerisqve Principum illorum tractavimus, id nunc per Illuſtritatem Veſtram communiter cum omnibus agamus, auxiliaque illorum expetamus, fore ut omnia ab ordinibus illis ex voluntate noſtra conſequamur. Ita-

Itaque cum perſpectum habeamus, Illuſtritatem Veſtram, ob ſummam ipſius familiæque ſuæ dignitatem et merita, eſſe apud ordines illos gratioſiſſimam, perſvaſi autem ſimus vel maxime de ipſius Illuſtritatis Veſtræ erga nos ſingulari ſtudio & benevolentia, magnopere ab Illuſtritate Veſtra petimus, ut ipſa iſtic curam ejus negotii noſtri ſuſcipiat, & poſteaquam Illuſtritatibus eorum noſtro nomine declaraverit, gratiſſimum nobis proxime ab ipſis accidiſſe, quod edictis ſuis, in ſua quisque ditione, tranſitum militum ex Germania ad adverſarios noſtros ſumma cum teſtificatione amoris ſui erga nos prohibuerint, exponat Illuſtritas Veſtra magnitudinem periculi, quod Livoniæ primum, deinde poſt Livoniam finitimis quoque regionibus videtur a Moſcho & quibusdam aliis hoſtibus impendere: exponat magnitudinem virium hoſtilium, quæ indies in perniciem Livoniæ invaleſcunt, quæ omnia Illuſtritati Veſtræ maxime cognita eſſe arbitramur: exponat denique magnitudinem ſumptuum noſtrorum, quos in provinciæ ejus defenſionem, per ſex totos annos fecimus, hisque ita expoſitis, auxilia pro nobis ab Illuſtritatibus eorum expetat, ſive in milite præſtare id nobis maluerint, ſive in pecunia, quibus quidem auxiliis exercitus noſter ad depellendam Livoniæ ſervitutem, & ad evertenda vicinarum aliarum regionum imminentia pericula poſſit confirmari. Sic enim plane ſtatuendum eſt, in ejusmodi diſcrimine Livoniam provinciam hoc tempore verſari, ut ex ipſi-

us ruina, quod abſit, magna ad finitimas alias regiones, atque adeo ad illas etiam inferioris Saxoniæ ditiones, calamitas perventura eſſe videatur. Hos quod attinet, qualecunque nobis auxilium ab Illuſtritatibus eorum miſſum fuerit, eo contentierimus. Sed quoniam Moſcovitici belli ratio expeditum maxime & levis armaturæ militem deſiderat, mallemus ſane, optio nobis ſi daretur, pecunia ad bellum id gerendum quam milite ab Illuſtritatibus eorum adjuvari: quod illis quidem miles ejusmodi non facile ſuppetet, a nobis autem, ſi modo pecunia adfuerit, nullo negotio, et certe minori multo. Illuſtritas Veſtra ad hibeat ad omnia, ſi præſens tunc iſtic fuerit, Venerabilem Alexandrum Milensly Abbatem Tremeſnenſem nuntium noſtrum, qui tamen ſi abfuerit, poterit Illuſtritas Veſtra communi conſilio cum Illuſtri Dn. Erico Duce Brunſvicenſi, ſi ita Illuſtritati Veſtræ videbitur, ea agere quæ nos velle, quæque ad ſalutem Livoniæ & aliarum multarum Chriſtianarum provinciarum pertinere intelligit. Offeret autem viciſſim ordinibus illis ac ſtatibus inferioris Saxoniæ Illuſtritas Veſtra noſtro nomine, omnem noſtram facultatem, ad omnes ejusmodi caſus & neceſſitates Illuſtritatum Suarum, ſi quando evenerit, ut noſtris facultatibus Illuſtritates eorum opus habere videantur. Quæ omnia nec dubitamus Illuſtritatem Veſtram noſtra cauſa libenter ſuſcepturam, eſſe & pollicemur ea nobis fore ab Illuſtritate Veſtra gratiſſima. Quam bene valere cupimus. Datum XXVIII Maj.

CXXI.

CXXI.

ORDINIBUS INFERIORIS SAXONIÆ IN CONVENTU BRUNSVICENSI CONGREGATIS.

Ut suo nomine differentem Johannem Albertum Ducem Megapolensem audiant, rogat.

SIgismundus Augustus &c. Illustrisimis ac Illustribus, Dominis Principibus amicis nostris charisimis, item Magnificis, Generosis, strenuis Equestris ordinis hominibus, Spectabilibus denique ac famatis Civitatum Nuntiis & reliquis omnibus statibus ac ordinibus inferioris Saxoniæ, in conventu Brunsvicensi congregatis vicinis nostris, grate dilectis, salutem & omnis felicitatis incrementum, Illustrisimi ac Illustres Principes, Domini Amici nostri charisimi, & reliqui Vicini grate nobis dilecti. Acturus est nonnulla cum Illustritatibus & Gr. Vestris nostro nomine Ilustris Dominus Joannes Albertus Megapolensis Dux, Consangvineus noster charisimus. Quæ cum non magis ad nos, quam ad Illustritates & Gr. Vestras pertinere videantur, ab Illustritatibus & Gr. Vestris petimus, ut quod alioqui in quocunque negotio differenti Illustritati ejus Illustritates Vestræ tributuræ essent, id in eo quoque tribuant, Illustritatemque ejus benigne audiant, & verbis ipsius fidem adhibeant. Datum Vilnæ XXVIII Maj.

Digitized by Google

CXXII.

ABBATI TREMESNENSI.

Eum ad Conventum Ordinum Inferioris Saxoniæ Brunſvigæ inſtituendum deſtinat.

VEnerabilis, devote nobis dilecte. Certiores facti ſumus ab Illuſtri Domino Pruſſiæ Duce, Conventum ordinum ac ſtatuum inferioris Saxoniæ Brunſvigæ ad diem tredecimam Julii indictum eſſe. Quamobrem ſcribimus ad Illuſtrem Principem Dominum Joannem Albertum Ducem Megapolenſem, ut in eo conventu operam ſuam nobis navet, ſecundum præſcriptum earum litterarum, quarum exemplum D. Tuæ mittimus. Dabit igitur operam D. Tua, ut quantum ſine incommodo negotiorum noſtrorum maxime poterit, ad diem præſtitutam ibi adſit, negotiumque noſtrum de conſilio Illuſtris D. Megapolenſis Ducis ita gerat, uti maxime ex re & dignitate noſtra eſſe videbitur. Quod ſi ab eo Conventu Illuſtritatem ejus abeſſe contigerit, D. Tua negotium omne ſuſtinebit, rebusque noſtris, quantum maxime poterit, invigilabit, in quem eventum litteras fidei ad ordines provinciæ illius D. Tuæ mittimus. Datum XXVIII Maj.

CXXIII.

LITTERÆ FIDEI AD ORDINES SAXONIÆ.

Legatum Alexandrum Mielenski commendat.

Sigis-

Sigismundus Augustus &c. Illustrisimis ac Illustribus; ut supra omnia in Litteris iisdem ordinibus Saxoniæ superius scriptis scribantur, usque & reliqui vicini grate nobis dilecti. Dedimus negotium Venerabili Alexandro Mielenski Abbati Tremesnensi, Secretario & nuntio nostro nonnulla ad Illustritates & Gr. Vestras nomine nostro referre. Quæ cum non magis ad nos quam ad Illustritates & G. Vestras pertinere videantur, ab Illustritatibus & Gr. Vestris petimus, ut Illustritatem ejus benigne audiant, verbisque ejus fidem adhibeant. Quas bene valere cupimus. Datum Vilnæ, ut supra.

CXXIV.

DUCI PRUSSIÆ.

De instituendo congressu aliis rebus consilia init.

Illustris Princeps Domine consobrine noster charissime. Scripsimus proxime ad Megapolensem & Brunsvicensem Duces, de Consilio & sententia Illustritatis Vestræ, quemadmodum ex ipsis litterarum exemplis, quæ ad illam misimus, Illustritas Vestra cognoscere potuit. Restare aliud non arbitramur, quam ut nos ad reliqua accingamus. In quibus quidem quod nobis non solum operam, sed etiam facultates suas defert, Illustritas nihil alienum facit a veteri suo erga nos studio & amore, quem jam pridem cognitum habemus & perspectum. De Congressu nostro cum Illustritate Vestra mutuo ita constituimus, ut Caunam, ad eum diem, quo

illic ad lustrandas Vejeranas copias ipsi quoque aderimus, Illustritas Vestra se conferat, qui quidem dies Illustritatem Vestram latere non poterit. Permittimus autem, ut Illustritas Vestra Magnificum etiam Marieburgensem Palatinum eodem venire faciat: quandoquidem ejus præsentia ad plerasque res videtur Illustritati Vestræ fore necessaria. Quem etiam ipsum ea de causa a legatione Danica liberum facimus, in ejusque locum alium substituturi sumus. Postulamus autem ab Illustritate Vestra, ut quandoquidem constituere tam repente non potuimus, quem in ejus locum suffecturi simus; illud autem tempus, quod quidem conventui communium Commissariorum Sundii præfixeramus, dies videlicet XXVII Junii, in proximo jam adesse videatur, Illustritas Vestra per celerem aliquem tabellarium mittat has nostras ad Serenissimum Daniæ Regem litteras, quibus quidem Serenitatem ejus certiorem facimus, ut ad diem demum XVI Julii, si Serenitati ejus videbitur, suos Sundii adesse jubeat, de communibus rebus & conditionibus propositis cum commissariis nostris consultaturos. Mittimus autem Illustritati Vestræ exemplum conditionum a Serenissimo Daniæ Rege ad nos missarum, de quibus communes Commissarii inter se Sundii disceptaturi ac tractaturi sunt, nostro atque Serenitatis ejus nomine, ad confirmandam societatem, quam Deo propitio instituere cum Serenitate ejus decrevimus. De singulis conditionibus quid nobis videatur, postea ad Illustritatem Vestram perscri-

perſcribemus. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Vilnæ ultima Maj. Anno Domini MDLXIII.

CXXV.

REGI DANIÆ.

Conventum communium commiſſariorum differri poſtulat & in addita ſchedula Polonorum & Pruſſiæ Ducis conatus maritimos Regi commendat.

SIgismundus Auguſtus &c. Sereniſſimo Principi Fratri & Affini noſtro confæderato chariſſimo ſalutem & mutui amoris continuum incrementum. Sereniſſime princeps, Domine Frater & Affinis noſter, confœderate chariſſime. Ad ea capita, quæ per Serenitatem Veſtram in deliberationem communium utriusque noſtrorum Commiſſariorum propoſita ſunt, conſtituéramus Commiſſariis noſtris diem XXVII Junii, ad quam diem Sundii in Pomerania eos adeſſe volueramus. Verum ſignificatum nuper nobis eſt, quosdam ex iis aliis quibusdam negotiis Reipublicæ impediri, quo minus ad diem conſtitutum Sundii adeſſe poſſint. Itaque neceſſario tempus eſſe proferendum arbitrati ad Serenitatem Veſtram eas litteras mittere voluimus, ut, ſi ita illi videretur, conventum hunc communium Commiſſariorum noſtrorum ad diem XII Julii Serenitas Veſtra differat, ad illudque tempus ſuos Commiſſarios venire eo faciat. Nos quoque ad idem tempus, noſtros cum facultate tractandi de omnibus, miſſuri ſumus. Se-

renitatem Veſtram bene valere cupimus. Datum Vilnæ ut ſupra.

EIDEM, SCHEDULA INJECTA IN LITTERAS.

SErenisſime Princeps &c. Affertur ad nos Serenitatem Veſtram claſſem paratam jam ac inſtructam habere, quæ licentiam ac latrocinia in mari prohibeat. Quod propoſitum Serenitatis Veſtræ, cum noſtri quoque quidam homines, præterea que etiam ſubditi Illuſtris Domini Pruſſiæ Ducis, Conſobrini noſtri charisſimi, imitari & pro facultatibus ſuis adjuvare inſtituerint, a Serenitate Veſtra poſtulamus, ut voluntatem hanc & conatus illorum commendatos habeat, ſuæque ipſius claſſis præfectis commendatos inprimis reddat; ut eos non ſolum ſocios & amicos ſuos eſſe intelligant, ſed ut etiam, ſi quibus in rebus præſidio ſuo indiguerint, deferre id ac præſtare illis non dubitent. Erit id nobis a Serenitate Veſtra vehementer gratum, pertinebitque ad auſpicata initia ſocietatis ejus, quam cum Serenitate Veſtra, Deo bene fortunante, propediem inituri ſumus. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum &c.

CXXVI.

FRIDERICO BURGRAVIO A DON.

Conventus dilationem apud Regem Daniæ excuſari poſtulat.

Ge-

GEnerose, Fidelis, Dilecte. Mittimus F. Tuæ litteras fidei ad Serenisſimum Daniæ Regem, Fratrem & Affinem noſtrum charisſimum. Cujus Serenitati cum mandata noſtra F. Tua exponet, ſignificabit illi inter cætera, nos gravisſimis cauſis impeditos, Commiſſarios noſtros Sundium ad diem XXVII, quem olim conſtitueramus, mittere non poſſe, miſſuros autem eſſe, ut ad diem XII Julii Sundii præſentes eſſe poſſint, quemadmodum id quoque Serenitati ejus per litteras noſtras nuper ſignificavimus. Mandata autem noſtra ita Serenitati ejus F. Tua exponet, ut Serenitas ejus charisſimam nobis & eſſe & fore amicitiam ſuam intelligat. Datum I Julii.

CXXVII.

GEDANENSIBUS.

Miratur eos dubitare, quo loco haberi Rex Sveciæ debeat.

SPectabiles & Famati, Fideles dilecti. Etſi tum ex litteris noſtris prioribus, tum ex rebus etiam ipſis ſatis F. Veſtræ intelligere potuerunt, & quo animo erga nos Sveciæ Rex eſſet, & quo loco nos illum hoc tempore haberemus; (Quis eſt enim qui non intelligat, eum, qui Livoniam provinciam in fide & clientela noſtra poſitam ferro atque igne vaſtare non deſiſtit, & cujus nos reprimendi gratia bellum non mediocre apparamus, Veſtrasque F. ad claſſem adverſus illum extruendam adhortamur, & hoſtili adverſus illum animo prorſus

eſſe, & a nobis eodem plane loco haberi oportere?) tamen quoniam F. Veſtræ in his rebus, quæ dubitationem nullam habent, dubitare adhuc ſe ſcribunt, ſcire omnino F. Veſtras volumus, cum eo Rege bello nos plane, quando rationibus aliis non proficimus, injurias noſtras & noſtrorum perſequi ſtatuiſſe. Quod quidem cum ita ſit, intelligere ipſas F. Veſtras arbitramur, quid fides illarum erga nos, quidve officium requirat. Maxime autem requirere videtur, ut ſecundum priora mandata noſtra, portus ſuos F. Veſtræ diligentius obſervent, firmioribusqve præſidiis muniant, ne qua vis militis externi poſſit irrumpere, quæ aliquod Sveco auxilium allatura videatur, præterea autem ut quantum poſſint maxime, in Sveciam aut Moscoviam naves euntes ac redeuntes prohibeant, prædamque omnem earum diripiant, & inter ſe partiantur, decima tantum parte pro nobis reſervata. Ne quid tamen in iis motibus damni alicujus majoris ad privatorum mercatorum res redire poſſit, mature F. Veſtræ obviam eant, ſuosqve, ſi quos forte in Svecia negotiantes habeant, clam admoneant, ut quamprimum mercibus inde elatis commigrent, in domosque ſuas ſe referant. Datum Vilnæ III Junii.

CXXVIII.

THESAURARIO REGNI.

Legato ad Turcas ituro viaticum ſolitum atque inſuper dimidium numerari jubet.

Magni-

Digitized by Google

MAgnifico Valentino Dembimski Thesaurario. In absentia illius notariis Thesauri nostri gratiam nostram Regiam. Magnifice, sincere nobis dilecte. Mittimus Generosum Georgium Jazlovviecki de Buczacz, Castellanum Camenecensem, & Capitaneum nostrum Czyrvonogrodensem ad Imperatorem Turcarum ejusque filium Imperatorem designatum, in nostris & Reipublicæ arduis negotiis, cui S. Tua pro viatico itineris, id quod alioqui solitum est, & præterea ejus dimidium dari & numerari ex thesauro nostro jubebit. Quod nos totum a S. Tua in ratione exigenda suscepturi sumus. Factum pro gratia nostra. Datum Vilnæ ut supra.

CXXIX.

EIDEM.

Jubet Legato ad Turcas ituro veteres fœderum formulas una cum donariis transmitti.

MAgnifice sincere nobis dilecte. Ad legationem Turcarum recte conficiendam opus habere videtur Generosus Georgius Jazlovviecki Castellanus Camenecensis litteris originalibus fœderis inter nos & Imperatorem Turcarum variis temporibus constituti. Eæ litteræ quoniam in Thesauro nostro repositæ esse dicuntur, S. Tuæ mandamus, ut eas diligenter inquiri, inventasque sine mora ad eum mitti jubeat. Sunt autem fere litteræ hæ. Primum quas attulerat Opalinski, deinde quas Joannes Tenczynski Castellanus Lublinensis,

nensis, item quas Thomas Sobotski, postremo quas Stanislaus Tenczynski Castellanus tunc Leopolienſis ex legatione Turcica reversi. Danda autem erit Sinceritati Tuæ opera, ut antequam ex thesauro nostro extradantur, annotari eas diligenter jubeat, sigilloque suo communitas, in manus ipsius Oratoris mittat, eumque admoneat, ut illarum curam ejusmodi habeat, ne qua per negligentiam ulla ratione perire possit, sed ut rursus omnes & integræ in thesaurum Regni referantur. Præterea autem cum his litteris fœderis mittet S. Tua in manus Oratoris ipsius primum pellium Zibellinarum quadragenas, & argenti in scyphos conflati marcas tot, quot alioqui de more ad Imperatorem Turcarum mitti solent: deinde dimidium ejus, tam in pellibus Zibellinis, quam in scyphis pro Sultan Selimo Imperatoris filio, qui proximis diebus Cæsar est designatus: tum Bassæ Imperatoris ipsius primario id quod de more alioqui dari consvevit, Bassæ autem Sultan Selimi primario ejus dimidium; inde Ibraimo Bek Strasch Interpreti Imperatoris retenti ipsius stipendii per sex annos ducatos in auro Hungarico sexcentos, & præterea torquem aureum, ponderis centum Hungaricorum: postremo Hebræo cuidam Josepho Naci, qui dicitur esse primus ex Secretariis vel Consiliariis Sultan Selimi torquem aureum ponderis aureorum Hungaricorum ducentorum. In his autem exequendis moram nullam S. Tua interponat. Factura pro officio suo & gratia nostra. Datum ut supra.

SCHE-

SCHEDULA IN HANC EPISTOLAM INJECTA.

Pactis etiam cum Petro Palatino Valachiæ olim initis si Orator noster opus habuerit, volumus, ut ei per ministros S. Tuæ ex thelauro nostro extradantur.

Subjicimus hic rationes stipendii Ibraimo Bek Strash promissi.

Stipendium centum aureorum Strasszo est a Regia Majestate constitutum anno 1554.

Litteræ confectæ de eo stipendio anno 1556.

Nicolaus Interpres dicitur illi reddidisse primum aureos 100.

Othvvinovvski familiaris Magnifici olim Domini Palatini Cracovienſis aureos 150.

Sorori ipsius D. Kormanka Magnificus Dominus Palatinus præfatus numeravit ipsius mandato aureos 50.

Fratri Nicolao item mandato ejus idem Dominus Palatinus aureos 10.

Presbytero cuidam præceptori ipsius idem Dominus Palatinus aureos 30.

Hæc omnia ipse fatetur litteris propria manu conscriptis ad Dominum Palatinum præfatum, alteris 1557 die 15 Septembris datis, alteris 1558 die 2 Octobris datis & scriptis manu propria.

Summa Stipendii per omnes annos, usque ad annum 1563, facit aureos 1000.

Summa extraditi stipendii facit aureos 400.

Restant igitur solvendi aurei 600.

CXXX.

LITTERÆ PASSUS JAZLOVVIECKI.

Securum transitum & vectigalium remissionem ei permitti & jubet & rogat.

SIgismundus Augustus &c. Universis &c. Proficiscitur Magnificus Georgius Jazlovviecki de Buczacz Castellanus Camenecensis & Capitaneus noster Czyrvónogrodensis, sincere nobis dilectus, ad Serenissimum & Potentissimum Imperatorem Turcarum, in nostris & Reipublicæ arduis negotiis a nobis missus. Eum nos D. Vestris commendamus, postulantes ab eis, subditis vero nostris mandantes, ut illum cum equis totoque suo comitatu, sarcinis robusque suis omnibus tutum atque securum præstent, atque illi tam in eundo, quam in redeundo tutos atque liberos transitus, receptus, commorationes, & quæcunque ad facultatem negotiorum illius pertinent, præbeant, atque a solutione quorumvis vectigalium, aggerum, pontium, itinerum, & quibuscunque nominibus pendi solitorum, invicem faciant, & denique de salvoconductu, si opus fuerit, eidem provideant. Rem nobis gratam D. Vestræ in eo facturæ, & quam illis mutuis studiis officiisque relaturi sumus, subditi vero nostri aliter ne faciant. Pro gratia nostra. Datum ut supra &c.

CXXXI.

CXXXI.

LITTERÆ FIDEI AD CÆSAREM TURCARUM.

Commendat legatum.

SIgismundus Augustus &c. Serenissimo & Potentissimo Principi Domino Sultan Suliman Szach, Dei gratia Imperatori maximo Constantinopolitano, Asiæ & Europæ, Persarum, Arabum, Syrique & Ægypti, nostro Domino Fratri, amico & vicino nostro, charissimo & honorandissimo. Salutem & perpetuam felicitatem.

Serenissime & Potentissime Princeps, Frater amice & vicine noster charissime. Mittimus ad Serenitatem vestram oratorem hunc nostrum Magnificum Georgium Jazlovviecki de Buczacz, Castellanum Camenecensem & Capitaneum Czyrvonogrodensem, cum certis quibusdam mandatis. Postulamns itaque a Serenitate vestra, ut illum & audiat benigne, & verbis ejus fidem habeat indubiam; In quo faciet nobis Serenitas vestra rem gratam, & mutuis officiis referendam. Quæ bene valeat. Datum ut supra.

CXXXII.

AD FILIUM CÆSARIS SELIMUM.

Ejusdem argumenti.

SIgismundus Augustus &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Domino Soltan Selimo Impe-

Imperatori Turcarum designato &c. amico & vicino nostro charissimo. Salutem & perpetuam felicitatem. Serenissime ac Potentissime Princeps, amice & vicine noster charissime. Cum mitteremus ad Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum Sultan Soliman Sach Turcarum Imperatorem, Serenitatis vestræ parentem, in quibusdam negotiis nostris, Oratorem hunc nostrum Magnificum Georgium Jazlovviecki, Castellanum Camenecensem & Capitaneum nostrum Czyrvonogrodensem de Buczacz, mandavimus illi Serenitatem vestram nostro nomine invisere, & cuncta fausta & felicia eidem precari, atque nonnulla nostro nomine referre. Postulamus itaque a Serenitate vestra, ut illum & benigne audiat, & verbis ejus fidem habeat indubiam. In quo faciet nobis rem gratam & paribus officiis compensandam. Quæ bene valeat. Datum.

CXXXIII.

SUPREMO BASSÆ IMPERATORIS TURCARUM.

Ejusdem argumenti.

ILlustrissime Princeps Domine, amice sincere nobis dilecte. Cum mitteremus ad Serenissimum & Potentissimum Dominum Cæsarem Turcarum Oratorem hunc nostrum Magnificum Georgium de Buczacz Jazlovviecki, Castellanum Camenecensem & Capitaneum nostrum Czyrvonogroden-

grodenſem mandavimus illi, de rebus quibusdam noſtro nomine cum S. Tua agere. Hortamur itaque S. Tuam, ut illi verba noſtra referenti fidem habeat indubiam, negotiaque noſtra, quæ ipſæ apud Cæſ. Serenitatem noſtro nomine curaturus eſt, auctoritate ſua adjuvet, atque promoveat. In quo faciet nobis rem gratam. Quæ bene valeat. Datum Vilnæ III Junii.

Similes litteræ miſſæ ſunt ad Ibraimum Bek Straſch, quarum inſcriptio: Generoſe grate nobis dilecte, *nec non ad poſtremum Baſſam Sultan Selimum, ad quem ita:* Illuſtriſſime Princeps, Domine amice ſincere nobis dilecte, *& ad Joſephum Naci Judæum*, ad quem: Egregie grate nobis dilecte, *tum denique ad Baſſos ſupremos Imperatoris Turcarum, qui ita compellantur:* Illuſtres Principes, amici ſincere nobis dilecti.

CXXXIV.

PALATINO VALACHIÆ.

Securum legatis ſuis tranſitum præſtari poſtulat.

MAgnifice Domine, Amice ac Vicine ſincere nobis dilecte. Mittimus ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Turcarum Imperatorem, noſtrum Magnificum Georgium Jazlovviecki de Buczacz, &c. Poſtulamus autem a S. Veſtra, ut ei peditionem ſuam tranſitum, commorationem ac reditum tutum ac liberum præſtari faciat, in rebusque omnibus ita eum a ſuis ſubditis tractari jubeat, uti Orato rem noſtrum tractari ex pactis noſtris & fœderibus communibus convenit. Erit id nobis

a S. Vestra vehementer gratum. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnæ ut supra.

CXXXV.

N. N.

Stannum mercatoribus Turcicis ereptum restitui jubet.

GEneroſe, fidelis nobis Dilecte. Non desistunt nobis queri mercatores Turcici, stannum a parente olim F. Tuæ nulla legitima de causa in oppido nostro Szniatin, uti dicitur, interceptum in hanc usque diem detineri, nec illis ipsis mercatoribus, quibus debetur, extradi. Quod cum videatur esse iniquum, hanc injuriam peregrinos præsertim tantisper præter jus & æquum perferre, mandamus iterum jam serio F. Tuæ, ut nulla interposita mora, curet hoc stannum legitime apud officium Sniatinense civile reponi, ad tollendum illud per commemoratos mercatores, quorum esse dicitur. Ne forte propter stannum negotia quispiam nostra & Reipublicæ apud Imperatorem Turcarum, propter quæ conficienda istuc Oratorem nostrum mittimus, impediat, quominus ex sententia nostra conficiantur. Quod si forte stannum id in manus Fidelitatis Tuæ non pervenit, det operam, ut per eos in quorum potestatem devenit, apud officium civile Sniatinense deponatur. Ipsa autem F. Tua nobis perscribat, quicquid in eo negotio oportunum esse existimaverit. Omnino enim volumus privatorum commodis commoda Reipublicæ evacuari. Datum Vilnæ &c.

CXXXVI.

Digitized by Google

CXXXVI.

PALATINO RHENI.

Tributorum ob expulsos e Polonia boves exactorum restitutionem difficilem futuram significat, & libertatem expellendorum quadringentorum boum ei concedit.

ILlustrissime Princeps Domine Consangvinee & amice charissime. Cupimus sane rebus in omnibus Illustritati Vestræ non parum gratificari; & ob præclarum eum, quo Illustritas Vestra se esse erga nos profitetur, animum, & vero ut, quæ dudum fuit inter nos & familiam Palatinam, in dies magis ac magis confirmetur amicitia. Quod exactam a bobus expulsis in telonio pecuniam attinet, moleste nos quidem tulimus, liberos illinc non fuisse dimissos, sed cum ea telonia locentur, & ad Thesauratium nostrum omnis eorum ratio pertineat, Thesaurarius vero ab expulsis bobus Illustritatis Vestræ, jam sit aliquoties commutatus; non videmus plane, quam nunc in horum officialium absentia de soluta ab Illustritate Vestra pecunia rationem ineamus; meliori tamen occasione, ubi illi, qui hæc tunc temporis tractabant negotia, adfuerint, hac de re statuemus. Interea libertatem expellendorum e Regno nostro quadringentorum boum, Illustritati Vestræ manu nostra subscriptam mittimus, & eam bene feliciterque valere cupimus. Datum Vilnæ VIII Junii Anno Domini 1563.

luntate noſtra eſſe curaturam. Sed tamen quo majorem in iis procurandis celeritatem adhibuerit, hoc nobis erit a F. Tua gratius. Datum Vilnæ XII Junii.

CXXXVIII.

CASTELLANO NAKLENSI.

Ad Conventum Sundenſem eum deſtinat.

GEneroſe Fidelis Dilecte. Ad tractanda nonnulla negotia noſtra cum Sereniſſimo Daniæ Rege, conſtituimus cum Serenitate ejus Nuntios & Commiſſarios noſtros communes ab utraque parte Sundium, quæ civitas eſt Pomeraniæ, mittere, eique rei diem XII Julii edixímus. Cum itaque id tempus in proximo ſit, hortamur F. Tuam, quam iis tractandis negotiis, una cum Generoſo Gabriele Grabovviecki Capitaneo noſtro Mlavenſi deſignandam exiſtimavimus, ut ſe ad hoc iter ita accingat, ut Stetini, quæ eſt item Civitas Pomeraniæ primaria, ad ſeptimum aut ſummum octavum Julii diem eſſe poſſit. Etenim Nobili Michaeli Brunno Secretario noſtro, quem F. Veſtris ad eadem Danica tractanda negotia, quæ ipſe cognita inprimis & perſpecta habet, adjungendum pro Secretario duximus, mandavimus, ut eo tempore Stetini ad F. Veſtras nonnulla nomine noſtro referat, quæ cum Illuſtribus Dominis Pomeraniæ Ducibus ante Sundenſem hunc conventum noſtro nomine agenda erunt. Quamobrem dabit operam F. Tua, ut Stetini quidem pro

officio ſuo ea curet, quæ ex Michaele Brunno intelliget, Sundii autem ea, quæ cognoſcet ex hac inſtructione, quam F. Tuæ mittimus. Quæ tamen omnia F. Tua tecta apud ſe habebit, neque cum ullo prorſus communicabit, quem ad tractationem ejus negotii ex inſtructione aut mandato noſtro non intelliget pertinere. Quod ſi quo forte caſu acciderit, ut Brunno ipſe Stetinium venire non poſſit, tunc F. Veſtræ Illuſtribus Dominis Pomeraniæ Ducibus Conſangvineis noſtris chariſſimis primum gratias agent noſtro nomine, quod Illuſtritates eorum amanter nobis pollicitæ fuerint omnem tranſitum militum in ditione ſua prohibere, qui Regi Sveciæ auxilium ferre videretur. Petent autem ab Illuſtritatibus earum, primum ut ne quid etiam commeatus per ditiones aut ex ditionibus ſuis ferri permittant, ad Svecorum copias ſuſtentandas, in perniciem Livoniæ provinciæ noſtræ fœderatæ, deinde ut bona cum gratia patiantur noſtros & Sereniſſimi Regis Daniæ Commiſſarios ad diem XII Julii Sundium convenire, de rebus communibus, & ad ſalutem Livoniæ pertinentibus rebus tractaturos. Cætera ex ipſo Michaele Brunno F. Veſtræ ibi intelligent. Datum Vilnæ XII Junii.

Similes litteræ ad Grabowiecki ſcriptæ mutatis tantum iis, quæ ad negotia una cum Generoſo Franciſco Ruſſocki Caſtellano Naklenſi tractanda pertinent.

CXXXIX.

CXXXIX.

DUCIBUS POMERANIÆ.

Legatis ſuis fidem haberi poſtulat.

ILluſtres Principes, Domini amici & Conſanguinei noſtri Chariſſimi. Commiſimus quædam ad Illuſtritates Veſtras referre nomine noſtro Generoſis Franciſco Ruſſocki, Caſtellano Naklenſi & Conſiliario noſtro,& Gabrieli Grabovviecki Tribuno Lomzenſi Capitaneo Mlavenſi, atque Nobili Michaeli Brunno Secretario noſtro, quare ab Illuſtritatibus Veſtris poſtulamus, ut eos benigne audiant, verbisque eorum fidem adhibeant. Bene valere Illuſtritates Veſtras cupimus. Datum Vilnæ XII Junii.

CXL.

INSTRUCTIO AD CONVENTUM SUNDENSEM NUNTIIS ET COMMISSARIIS REGIÆ MAJESTATIS DATA.

Quibus conditionibus ſocietas cum Danis conſtitui debeat, prolixe ſignificatur.

CUm Nuntii & Commiſſarii noſtri Sundium cum Commiſſariis & Nuntiis Sereniſſimi Regis Daniæ convenerint, nuntiata illis gratia & benevolentia noſtra dicent, quod etſi a Sveciæ Rege hoc tempore ſollicitemur conditionibus non contemnendis, ad inducias longiores ſecum conſtitu-

endas, quæ res afferre nobis posset aut spem transactionis alicujus honestæ de Livonia, aut certe uberiorem temporis commoditatem, ad bellicum apparatum instituendum, tamen cum earum injuriarum magnitudinem recordamur, quibus per id tempus in Livonia ab ipso affecti sumus, cum denique & officium nostrum erga Livoniam provinciam fœderatam, & studium Sereniſſimi Regis Daniæ intuemur, promptum & paratum ad ejus belli societatem nobiscum quamprimum ineundam, cujus Serenitatem non paulo levioribus ab Rege Sveciæ injuriis affectam esse intelligimus, omnem cum Sveco longiorum induciarum cogitationem facile ex animo deponimus. Cum Sereniſſimo autem Daniæ Rege belli societatem inire constituimus.

Ejus autem constituendæ rationem hanc de sententia nostra proponent Nuntii & Commissarii nostri, ut nos quidem in Livonia, quo & accessus nobis exercituique nostro facilior est, & ubi maxime in illo Rege, tum nostra dignitas, tum fœderatæ provinciæ nostræ incolumitas labefactata est, ipsum aggrediamur: Serenitas autem ejus in eo adoriatur ipsum, quo & aditum sibi facilem potest Serenitas ejus aperire, hac ista classe ornatissima atque instructissima, de qua ad nos non incertis rumoribus est allatum, & dignitati nominis sui non mediocriter potest consulere, si hostem non in aliena terra carpserit, sed in ipsa illius propria atque paterna ditione afflixerit.

Nobis

Nobis enim qui equis solum & viris bellum gerere consvevimus, non admodum facilis in Sveciam, transmarinam provinciam, aditus patere potest cum exercitu; in Livoniam autem tantas utique copias, ad expugnanda Svecica præsidia, posse videmur sine magno negotio adducere, quantis ibi ad rem bene gerendam opus esse arbitramur. Contra autem Serenissimo Daniæ Regi in Sveciam qvidem navigatio perfacilis est, in Livoniam autem hoc quidem tempore, ut nos existimamus, minime necessaria, cum nos illic officio nostro non simus defuturi. Atque ea quidem nobis pulcherrima societatis ejus ratio fore videtur, si animis quidem & consiliis communibus, provinciis autem ad eum modum inter nos partitis, bellum gestum & administratum fuerit. Nam pecuniam quidem ad societatem ejus belli conferre, sicut nobis hoc quidem tempore incommodum esse judicamus, ita a Serenitate ejus quoque nullam desideramus. Nobis enim & exhaustis diuturno jam Livonico bello, quod ad prohibendam per id tempus Moscorum vim a provincia illa, susceperamus, & nunc præterea intentis atque occupatis in magno nostro Lithuaniæ Ducatu bello Moscovitico, a quo hac etiam æstate vacui fore non videmur, difficile præstare fuerit sumptum aliquem pecuniarum, ad belli istius societatem ineundam. Serenitati autem ejus necesse quoque non esse arbitramur aliquid pecuniæ veluti contribuere ad eam constituendam. Satis erit, nostra quidem sententia, si & Serenitas ejus, quantis maxime copiis ex-

istimaverit, Svecum in Svecia adorta fuerit, nobis autem propugnationem & defensionem Livoniæ, quantis nos item maximis copiis existimaverimus, reliquerit. Ut ita Svecus duplici Svecico atque Livonico distentus bello, facilius adduci possit ad transigendum cum utrisque nobis, de illatis damnis atque injuriis, æquis & utroque nostrum dignis conditionibus.

Ubi autem Nuntii & Commissarii nostri ejusmodi pacta societatis nostræ mutuæ Serenissimi Regis Daniæ Nuntiis & Commissariis satis exposuerint, atque adeo persvaserint, addent & illud, quod pactorum ejusmodi rationi consentaneum prorsus & consequens est, ut, quicquid Serenissimus Daniæ Rex belli jure in Svecia acquisierit, id totum per nos libere possideat, & tanquam proprio utatur & fruatur, itemque nos ipsi, quidquid in Livonia cœperimus, vel quamcunque rationem consecuti fuerimus, id per Serenitatem ejus libere possideamus, & tanquam nostro proprio utamur & fruamur. Interim autem promittent & spondebunt nostro nomine Commissarii nostri, primum, hæc, quæ proposita sunt, nos esse omnia bona fide præstaturos, deinde nullam nos privatim rationem transigendi cum Rege Sveciæ inituros, aut a societate belli cum Serenissimo Daniæ Rege inita discessuros esse, nisi eodem tempore nobiscum & cum Serenissimo Daniæ Rege idem Rex Sveciæ transigat. Vicissimque promissum & sponsionem a Commissariis Serenitatis ejus exigent & postulabunt, Serenitatem ejus eadem omnia,

omnia, bona fide esse præstaturam, conditiones autem privatas nullas transactionis a Sveco acceptaturam, quibus transactio, quæ nobiscum quoque fieri deberet, excluſa videretur, eaque transactio ut non alia ratione ineatur, nisi de communi consensu & voluntate, tam nostra, quam Serenissimi Regis Daniæ. Hæc est simplex & aperta sententia nostra de ratione universæ societatis ejus, quam ad commune bellum Sveco inferendum, cum Serenissimo Daniæ Rege inire decrevimus. Sed quoniam a Serenitate ejus capita præterea nonnulla proposita sunt ejus societatis, ad quæ capita volunt fortasis sibi Commissarii Serenitatis ejus sigillatim responderi, ita facient Nuntii nostri. Primum ostendent Commissariis Serenitatis ejus, ampliores societatis conditiones requiri non oportere, quandoquidem hæc, quæ propositæ a nobis sunt, & utroque nostrum dignissimæ existunt, & ad hostem, ad æquas conditiones, ex sententia nostra, adducendum sufficiunt. Quodsi nihilominus a Commissariis Serenitatis ejus postulatum fuerit, ut ad capita proposita aliquid tamen respondeatur, respondebunt Nuntii nostri ad eum modum, quem in alia charta, quæ resolutionis nomine inscripta est, præscribi jussimus, videbunt autem, ut se ad rationem conditionum superius propositarum quam maxime in respondendo accommodent, nec ab ea, quantum maxime fieri poterit, temere discedant.

RESOLUTIO AD CAPITA, SUPER QUIBUS UTRIUSQUE REGIÆ MAJESTATIS DEPUTATI SUNT CONVENTURI.

1. An placeat cum Moſco in reditu ejus Legatorum de induciis agi, qua in re Regia Majeſtas Daniæ, dummodo Regiæ Majeſtatis Poloniæ mandatum de conditionibus mediisque, quibus niti inducia debeant, habeat, fortaſſis idonee ſe interponet.

RESOLUTIO.

Cum ſtudium Sereniſſimi Daniæ Regis in hoc genere gratiſſimo prorſus animo accipiendum eſſe exiſtimamus, tum profecto non abnuimus, quin ſe Serenitas ipſius, quantum videbitur, interponat. Etſi enim alias quoque non deeſſet nobis ratio ad eas inducias conſtituendas, ſi illas magnopere expeteremus; tamen quoniam in ea re nullum alium intervenire mallemus Sereniſſimo ipſo Daniæ Rege, ideo facile patimur inventis, ſi videbitur, honeſtis aliquibus conditionibus de iis induciis per Serenitatem ejus tractari.

2. Induciis iis conſtitutis, an & quando Regia Majeſtas Poloniæ potiſſimis viribus Regni Poloniæ, aliarumque ditionum, in Livoniæ Svecicis præſidiis firmatas munitiones, Sveciæque viciniores progredi, easque oppugnare velit?

RESO-

RESOLUTIO.

Induciæ si constitutæ fuerint, & volemus nos id quidem, & conabimur primo quoque tempore.

3. *Induciis vero præter spem non impetratis, an commodum sit Regiæ Majestati Poloniæ, & simul cum Moscо bellum gerere, atque ex altera parte in Livoniam exercitum mittere, qui cum Svecis spe victoriæ congrediatur?*

RESOLUTIO.

Etsi commodum magnopere esse non potest duplici nos bello operam dare, tamen & antea quidem ita id facere decreveramus nobiscum, & nunc societate ista Serenitatis ejus animati, multo id majore animo sumus per DEI gratiam tentaturi.

4. *An velit Regia Majestas Poloniæ &c. Svecum non solum in Livonia, sed & in Sveciæ Regno aut Finlandia adoriri?*

RESOLUTIO.

Ex instructione. Livoniæ nobis oppugnationem deposcimus, Serenitati ejus Sveciam vexandam & propulsandam relinquimus.

5. *Quando id equitatu peditatuque &c. in hunc vel illum eventum prædictarum induciarum.*

RESOLUTIO.

Magnitudo copiarum ad ejus belli societatem quanta esse aut possit aut debeat, arbitrio utriusque

que nostrum permittatur. Quod quidem arbitrium si bona utriusque nostrum fide, uti debet, susceptum & gubernatum fuerit, non est dubitandum, quin & nos de numero copiarum Serenitatis ejus, & Serenitas ejus de numero copiarum nostrarum contenta sit futura.

6. Velitne Regia Majestas Poloniæ ex suis civitatibus maritimis classem expedire, quæ se classi Regiæ Majestatis Daniæ conjungat?

RESOLUTIO.

Ex Instructione. Classem instruere hic hoc tempore non est commodum propter multas causas. Privatim quidem civitates nonnullas nostras in hisque Gedanensem civitatem, & præterea privatos quosdam ex nostris & Illustrissimi Prussiæ Ducis subditis excivimus, qui naves aliquot instruant, ad impediendam Svecis atque Moscis licentiam per mare ultro citroque commeandi. Eos nautas nuper etiam Serenitati ejus commendavimus per litteras.

7. Si Regia Majestas Daniæ sola suas naves, aut earum majorem partem expediret; anne dimidium impensarum Regia Majestas Poloniæ præstare debeat?

RESOLUTIO.

Ex Instructione. Cum classem instruere neque necessarium nobis hoc tempore, neque multis ex causis commodum esse arbitramur, tum classis facilo

facile loco, exercitum in Livoniam terra ſumus adducturi, eaque ratione impenſas Serenitatis ejus, quas in naves expediendas fecerit, noſ exercitu inſtruendo abunde, ut opinamur, ſumus præſtaturi.

8. Atque ut in victoriæ eventu civitates & arces Revalienſes, Waiſſenſtein, Pactis, Pernavienſis, tum ſi quid præterea Svecus in Eſtonia occupavit, ratione horum ſumptuum & juris, quod antiquitus in illis habet, Regiæ Majeſtati Daniæ jure proprietatis poſſidendæ tradantur.

RESOLUTIO.

Recurratur ad inſtructionem. Nos quidem omnia emolumenta, quæ Serenitas ejus in Svecia adepta fuerit, permittimus Serenitati ejus propria: ſic ut in communionem eorum ullam venire non cupiamus. Cupimus itaque vicisſim quoque, ut emolumenta, quæ in Livonia nobis obtigerint, Serenitas ipſius nobis eſſe propria patiatur. Cæterum de Ducatu Eſtoniæ, quoniam Serenitas ejus jus de illo quoddam antiquitus habere aſſerit, Nos quidem, ſi Deus & fortuna conatibus noſtris in hoc genere adſpiraverit, ex communium arbitrorum ſententia, facile cum Serenitate ejus poterimus convenire.

9. Quantis equitum peditumque copiis, quo item tempore Regia Majeſtas Daniæ ex altera parte impreſſionem facere debeat?

RE S O-

RESOLUTIO.

Ex articulo quinto de magnitudine copiarum. De tempore autem qvando impreſsio fieri ab utroqve noſtrum debeat in Svecum: noſtra qvidem ſententia, qvo maturius id factum fuerit, hoc fuerit melius. Nos jam qvidem bellum id ſummis viribus apparamus, neqve moram ullam, qvamprimum inſtructa omnia fuerint, interpoſituri ſumus. De Serenitate qvoqve illius idem nobis tanto magis perſvademus, qvanto jam hoc tempore paratiorem eſſe ab omnibus rebus intelligimus.

10. Debeatne belli ſocietas ad certum tempus, quo duret, aut in eventum victoriæ vel transactionis dirigi?

RESOLUTIO.

Societatem belli non ad tempus, ſed in eventum aut victoriæ aut transactionis inſtituendam eſſe arbitramur.

11. Ita tamen ne transactio ab alterutro Regum ſeparatim, ſed ab utroque conjunctim, inque communem uſum & utilitatem conſtituatur.

RESOLUTIO.

Ex inſtructione. Non prius ſocietatem diſſolvi volumus, quam utriusque noſtrum ad eam rem voluntas mutua intervenerit.

12. Deliberandum prius, quibus mediis ad extre-

extremum, nomine utriusque confœderati Regis cum Sveco transigi debeat.

RESOLUTIO.

Si eo ventum erit, ut Svecus cum utroque nostrum transigere voluerit, non deerunt rationes, quibus facile tunc temporis alter alterius sententiam de conditionibus transactionis futuræ exquirere poterimus. Nunc quidem primum omnium considerandum esse existimamus, quo tempore is transactionem postulaturus sit: si enim id facere in animum induxerit, antequam exercitus in aciem eductus, & machinæ belli admotæ fuerint, facilioribus conditionibus transigi res poterit; si autem non modo instructo & comparato, sed etiam ardente jam bello, ad transactionem demum descendere voluerit, durioribus utendum erit. Si vero etiam non solum ardente sed confecto prorsus bello paratam ad transigendum voluntatem ostenderit, res ipsa judicat, durissimas illi conditiones ferri oportere. Nos quidem olim has illi conditiones proponebamus:

Primo ut Illustrem Dominum Curlandiæ Ducem, quem clientem & vasallum nostrum esse intelligit, non bello neque armis, sed judicio nostro prosequatur.

Deinde ut in Livonia ea omnia nobis restituenda, quæ ibi occupavit, & præsidia inde sua deducenda, statuat. Postremo, ut damna & injurias tam nobis quam subditis nostris per omne id tempus illatas resarciat.

13. Si civitates Revalienſis aliæve in Livonia Svecicæ munitiones deditionem facere nollent, ut longiore obſidione opus eſſet, an velit Regia Majeſtas Poloniæ ſuis eam præſtare ſumptibus & impenſis?

RESOLUTIO.

Reſponſionis ratio ex inſtructione & articulo quarto petenda. Dicimus enim iterum atque iterum repetentes, nos Livoniæ propugnationem in univerſum nobis depoſcere; Sveciam Serenitati ejus vexandam & populandam relinquere. Quod ſi ita factum erit, fieri vix poteſt, ut præſidia Svecica in Livonia exercitus noſtri obſidionem diu ferre poſſint. Quæ res ſi etiam contra opinionem noſtram diutius aliquando protraheretur, nos tamen tunc etiam ſumptibus noſtris, ſicuti cœpimus, obſidionem continuaturos eſſe profitemur. Niſi forte ratio ipſa belli, per vos ad eum, quem duximus, modum conſtituta, poſtea temporibus ipſis aut aliqua alia neceſſitate commutata fuerit. Tunc enim capto ex re & tempore conſilio neutiquam nos communibus rebus deerimus, nec Serenitatem ejus defuturam arbitramur.

14. Utriusque Regis exercitum nulla ex parte revocandum, ſed potius augendum, bello cum utroque confœderato Rege, vel hac, vel illa ratione, non dirempto.

RESOLUTIO.

Aſſentimur.

15. Si

15. Si alter alterius ope & auxilio indigeret, quomodo id præstari debeat?

RESOLUTIO.

Studio, opera, pecunia, consilio, quæ omnia ad rationem temporum & occasionum & rei ipsius necessitatem accommodabuntur.

16. Ut per Regiam Majestatem Poloniæ &c. in Prussia, Pomerania & Megapoli, Sveco passus & transportandi commeatus facultas intercludatur.

RESOLUTIO.

Id jam per nos summa diligentia curatum & factum est.

17. Ex adversa itidem parte apud Lubecensem reliquasque civitates, item Megapolenses & Holsatos per Regiam Majestatem Daniæ.

RESOLUTIO.

Fiat.

18. Si fortassis Sveco alii Principes adhærerent, quomodo illis obviam eundum?

RESOLUTIO.

Viribus & ingenio & communibus consiliis. Nos quidem quod attinet, dimissis circumquaque legationibus, conati sumus, quantum potuimus, jam pridem his malis obviam ire, apud Principes nobis & affinitate & sangvine, & recentibus denique cum veteribus fœderibus inprimis conjunctos.

19. Dux Joannes Finlandiæ &c. hostisne an amici loco censendus?

RESOLUTIO.

Cum Illustris Princeps Joannes Finlandiæ Dux affinitate nobis sit, & quidem recentissime conjunctus, amici prorsus loco censendum esse arbitramur.

20. Postremo, ut hæc omnia consensu statuum, Regnorum & ditionum ab utraque parte in nomine omnipotentis Dei constituantur.

RESOLUTIO.

Sententiam ordinum Regni nostri de iis capitibus exquirere non potuimus. Reddita enim nobis fuerunt ea capita post nostrum jam ex comitiis Petricovienſibus discessum. Temporis autem quoque angustia prohibebat, quo minus de iis per litteras sententiam ordinum Regni nostri exquirere potuimus. Verum status atque ordines Lithuaniæ, ad quos ea de re retulimus, plane verbo sunt assensi. Cujus rei cum litteræ publicæ requisitæ aut postulatæ fuerint, nos id quidem sine mora sumus præstaturi. De ordinibus etiam Regni dubium non est, quin se voluntati nostræ, atque adeo necessitati & commodo Reipublicæ sint accommodaturi. Interim Serenitas quoque ejus consensum ordinum Regni, ditionumque suarum, si paratum jam & expeditum habet, exhibeat. Sin minus, det operam ut primo quoque tempore possit parare & expedire.

21. In

21. In omnibus autem neutri parti præjudicent.

RESOLUTIO.

Facile subscribimus.

CXLI.

FR. RUSSOCKI, CASTELLANO NAKLENSI, GABR. GRABOVVIECKI, CAPITANEO MLAVENSI, ET MICHAELI BRUNNO SECRETARIO.

Destinat eos ad conventum Sundensem, ut nomine Regis Poloniæ societatem ineant cum Rege Daniæ adversus Svecos.

GEneroſis & Nobili Franciſco Ruſsocki Caſtellano Naklenſi ac Conſiliario noſtro, ac Gabrieli Grabovviecki, Capitaneo noſtro Mlavenſi, & Michaeli Brunno Secretario, Fidelibus dilectis. Fideles nobis dilecti. Cum magnæ admodum cauſæ extent, cur nos unaque nobiscum Sereniſsimus Princeps Dominus Fridericus &c. eadem gratia Daniæ Rex, bellum Sveciæ Regi indicere neceſſe habeamus, conſtituimus, ex utriusque noſtrum ſumma voluntate, ſocietatem belli inter nos inire, eoque modo injurias noſtras perſequi. Ad cujus quidem ſocietatis rationes conſtituendas indiximus, communi Serenitatis ejus ſententia, conventum Nuntiorum & Commiſſariorum communium noſtrorum Sundii in ditione Illuſtriſsimorum

Dominorum Ducum Pomeraniæ, ad diem duodecimam Julii. Itaque ejusmodi negotium conſtituendæ ſocietatis rationumque ipſius F. Veſtris, quarum fidem & in rebus gerendis uſum ac peritiam commendatam habemus, committendum duximus, commiſimusque per præſentes litteras, mandantes F. Veſtris, ut Sundium pro die duodecima Julii ſe conferant, ibique cum Nuntiis & Commiſſariis Serenitatis ejus tractationem, de rationibus ineundæ ſocietatis, pro fide & officio ſuo erga nos inſtituant, eandemque inſtitutam proſequantur, & tandem ex re ac dignitate tum noſtra tum Reipublicæ perficiant, omniaque faciant, quæ ad eam rem quovis modo pertinere videbuntur, unius F. Veſtrarum abſentia non obſtante. Quicquid autem per F. Veſtras inſtitutum, actum, ac determinatum fuerit, id nos ratum & gratum ſumus habituri. Aliter non facturæ F. Veſtræ pro gratia noſtra. Datum Vilnæ XIII Junii 1563.

Item datæ ſunt litteræ ad theſaurarium Pruſſiæ, ut Caſtellano Naklenſi & Grabowiecki 200 thalerorum, Brunnoni autem 100 thalerorum pro viatico numeret.

CXLII.

DUCI PRUSSIÆ.

De pecuniæ penuria quæritur, ideo Vejeri copias Germanicas aliquandiu iter ſuum morari poſtulat.

Illu-

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Rationes itinerum Illustritatis Vestræ cognovimus, quibus se Caunam ad XXII ejus mensis diem venturam esse scribit, simulque de adventu & Magnifici Pomeraniæ Palatini, & copiarum Vejeranarum significat. Quoniam autem nos negotiis comitiorum Lithuanicarum occupatiores, & a pecunia imparatiores sumus, quam ut ad id tempus Caunæ esse possimus, continebit seadhuc Illustritas Vestra domi suæ diutius, iterque suum ita instituet, ut Caunæ ad primam demum diem Julii esse possit, ad quem ipsum diem nos quoque eo venturos esse arbitramur, finitis comitiis Lithuanicis & nacta aliunde pecunia, si forte spes ipsius, quæ ostenditur, exitum suum fuerit consequuta. Interim autem ab Illustritate Vestra postulamus, ut ipsa nobis mutuum det, quo iis saltem necessitatibus prospicere per tempus possimus, quæ pati moram posse non videntur. Feceit nobis Illustritas Vestra rem gratissimam; admonebit autem Vejerum quoque per litteras Illustritas Vestra, ne suum adventum cum copiis præcipitet, sed ita rationes itinerum suorum moderetur, ut ad extremum Junii Caunæ copiis præsto esse possit. Accepimus autem hodie litteras ab Illustri Domino Erico Duce Brunsvicensi, quibus perscribit, se ad nos venire, copiasque militum adducere, stipendium autem poscere, ad se ut mittatur militi distribuendum. Qua de re etsi Illustritati Vestræ multo ante scripseramus, nos in eo quidem opera Ducis Erici hoc tempore

non indigere, ad ipſumque illum etiam litteras noſtras dederamus, quibus illum de eodem animo noſtro certiorem faciebamus, tamen quoniam is exercitum adducit, cui ſtipendium numerari poſtulat, volumus ut Illuſtritas Veſtra ad eum ſcribat primo quoque tempore, eumque certiorem iterum atque iterum faciat, nos interea exercitu eo minime indigere, quem Illuſtritas ejus ſe ad nos ſcribit adducere. Voluntatem hanc quidem certe Illuſtritatis ipſius & ſtudium erga nos non ſolum in optimam partem interpretari, ſed etiam gratiſſimo prorſus animo accipere. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum XII Junii.

SCHEDULA.

Scripſimus Illuſtritati Veſtræ in litteris de Duce Erico Illuſtri, id quod tum nobis ex re noſtra eſſe videbatur. Verum quoniam veremur, ne inde ſecus de noſtro erga ſe animo exiſtimet Illuſtritas ejus, conſilium Illuſtritatis Veſtræ exquirimus, quid nobis in ea re faciendum eſſe exiſtimet. Nos enim ſi a pecunia paratiores eſſemus, non committeremus omnino, quo minus ſtudio hoc Illuſtritatis ejus erga nos uti quamprimum videamur. Itaque quod ſit de eo Illuſtritatis Veſtræ conſilium, nobis celerrime perſcribat. XIV Junii.

CXLIII.

RIGENSIBUS.

Opem adverſus hoſtes pollicetur.

Specta-

SPectabiles & Famati, dilecti Fideles. Recte F. Veſtræ faciunt, quod ad nos de periculis ſuis referunt. Hoſte enim armato, & in omnem occaſionem intento, nulli ne tenuiſſimi quidem rumores periculorum ſunt negligendi. Dabimus itaque operam, ut auxilia, quæ apparamus jampridem ad iſtius provinciæ defenſionem, quam maxime maturemus. Interim F. Veſtræ fortunis officioque ſuo non deerunt, ſi quid ejusmodi acciderit, quod tamen non arbitramur. Nos iſtuc primo quoque tempore miſſuri ſumus, qui omnibus iſtis rebus cum imperio moderetur, ſecuritatemque & pacem iſtius provinciæ nomine noſtro procuret. Datum ut ſupra &c.

CXLIV.

ORDINIBUS PRUSSIÆ ET PRIMO AD OMNES CASTELLANOS PRÆTER GEDANÈNSES: ITEM AD DISTRICTUUM JUDICES IN TERRIS PRUSSIÆ ET ELBINGENSEM CIVITATEM.

Conventicula privata auctoritate indicta prohiberi & impediri jubet.

GEneroſe F. nobis dilecte. Perfertur ad nos in proximis Marieburgenſibus comitiis nonnullos homines contra authoritatem noſtram Regiam, & inſtituta omnium bene ordinatarum Rerumpublicarum privata ſua autoritate conventi-

cula iſtic inuſitata per territoria indixiſſe, quibus conventiculis obducta honeſta Reipublicæ ſpecie, ad privata ſua ſtudia & cupiditates abutantur. Cujus ſane rei etſi conatus etiam ipſe magnopere reprehendendus ſit, cum legibus publicis prohibitus exiſtat, tamen ſi præterea ad effectum deductus fuerit, multa ſecum affert, quæ nobis quidem ac Majeſtate noſtra indigna, ſuis autem auctoribus pernitioſa prorſus viderentur, quæque adeo prætermitti a nobis ſine legitima animadverſione non poſſent. Quare S. Tuam hortamur, ut pro officio ſuo erga nos & Rempublicam, quibus S. Tua fidem jurejurando obligavit, periculoſis iſtorum hominum ſtudiis non modo auxilium ullum ne præſtet, ſed etiam ita ſe opponat, ut iis primo quoque tempore occurri atque obviam iri poſſit, caveat autem & prohibeat inprimis, ne conventicula hæc, ad factionem civium & ſeditionem, ut videtur, comparata, quavis ratione celebrentur, cum ſint non modo præter voluntatem arbitriumque noſtrum, quibus ſolis Respublica indicendorum conventuum permiſit poteſtatem, ſed etiam præter legitimum morem & majorum inſtituta, a privatis hominibus privata autoritate indicta & promulgata. Aliter S. Tua pro fide ſua, qua nobis eſt obſtricta & ſubjecta, & pro gratia noſtra ne faciat. Datum Vilnæ XVII Junii.

AD PALATINUM CULMENSEM ITEM AD CIVITATES GEDANENSEM ET THORUNENSEM ADDATUR INITIO SIC:

Perfer-

Perfertur ad nos in proximis Marieburgenſibus comitiis, nonnullos homines, quorum conſiliis ipſa etiam S. Tua interfuiſſe dicitur, contra autem &c. nonnulli ex F. Veſtris &c.

AD EPISCOPUM CULMENSEM ET PALATINUM POMERANIÆ ET CASTELLANUM GEDANENSEM ADDATUR IN MEDIO SIC:

Quare S. Tuam hortamur, ut pro officio ſuo erga nos & Rempublicam, quibus Sinceritas Tua fidem jurejurando obligavit, periculoſis iſtorum hominum ſtudiis, non modo auxilium ullum ne præſtet, a quo quidem præſtando prorſus abeſſe illam gratiſſimo animo audivimus, ſed etiam ita ſe opponat &c.

SCHEDULA AD PALATINUM.

Mittimus etiam ad Sinceritatem Tuam univerſales litteras propter inhibenda ea conventicula conſcriptas. Mandamus itaque S. Tuæ, ut eas in Palatinatu ſuo per territoria & diſtrictus publicari ac præconis voce publice proclamari jubeat.

AD JUDICES DISTRICTUUM.

Nobilis Fidelis nobis dilecte. Perfertur ad nos &c. ut in ſuperioribus litteris, usque ad abutantur. Quæ res cum & nobis quidem ac Majeſtate noſtra indigna, & ſuis auctoribus pernitio

ſa

sa prorsus existat. F. Tuæ mandamus, ut pro officio suo & fide erga nos, primum a conventiculis istis ipsa abstineat, deinde etiam, quantum maxime potest, prohibeat, ne conventicula hæc ad factionem civium & seditionem, ut videtur, comparata, in districtu istic suo celebrentur: cum sint non modo præter voluntatem &c. usque ad finem sicut in superiori.

SCHEDULA AD JUDICES.

Mittimus etiam ad F. Tuam universales litteras propter inhibenda ea conventicula conscriptas. Mandamus itaque F. Tuæ, ut eas per territorium & districtum suum publicari, ac præconis voce publice proclamari jubeat.

AD CIVITATES MAJORES TRES, EODEM MODO USQUE AD mandamus.

Mandamus itaque F. Vestris, ut eas in civitate sua publicari, ac præconis voce publice proclamari jubeat.

CXLV.

UNIVERSALES LITTERÆ.

Ne conventiculis interſint vel faveant, ſub pœna in læſæ Majeſtatis reos promulgata prohibet.

UNiversis Episcopis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Succamerariis, districtuum Judicibus, & reliquæ Nobilitati, nec non Proconsulibus &

bus & Consulibus, Advocatis & Scabinis omnibusque Communitatibus civitatum nostrarum Prussiæ majorum & minorum, atque omnino omnibus & singulis omnium ordinum hominibus in terris nostris Prussiæ, subditis nostris, S. & Fidelibus dilectis Gratiam nostram. Sincere & fideles dilecti. Perfertur ad nos, nonnullos homines in proximis Marieburgensibus comitiis, cum multa alia non obscura judicia edidissent non optimi sui in Rempublicam animi, illud etiam ad extremum apposuisse, ut privata sua autoritate, conventicula per territoria inusitata indicere ausi fuerint, quibus conventibus, obducta honesta Reipublicæ specie, ad privata sua studia & cupiditates abuterentur, contra non modo auctoritatem nostram Regiam, & instituta omnium bene ordinatarum Rerumpublicarum, sed etiam ipsius Reipublicæ tranquillitatem & salutem. Etsi autem in ipso etiam earum rerum conatu & voluntate nefas & turpitudinem inesse leges publice voluerint, pœnamque iis edicto suo proposuerint, tamen cum earum rerum perfectio multo sit conatu ipso periculosior, ob pœnarum atrocitatem propositam multo acerbior, mandamus severe præcipientes, universis subditis nostris cujuscunque status & conditionis existant, sub pœnis in reos læsæ Majestatis promulgatis, ut a conventiculis istis prorsus abstineant, ne se temere in eas pœnas præcipitent, quæ sunt gravissimæ huic crimini antiquitus legibus publicis constitutæ. His autem qui cum potestate in magistratu sunt, sub eisdem pœnis mandamus,

mus, non solum ut ne ipsi conventiculis ejusmodi interesse ausint, sed ut etiam pro officio suo erga nos & Rempublicam, quibus fidem suam jurejurando adhibito obstrinxerunt, diligenter omni ope & studio suo provideant, ne qua ratione conventicula hæc ad seditionem civium comparata celebrentur, sed potius ut primo quoque tempore dissipentur: cum sint non modo præter voluntatem arbitriumque nostrum, quibus solis Respublica indicendorum conventuum permisit potestatem, sed etiam præter legitimum morem & majorum instituta, a paucis quibusdam hominibus, privata eorum auctoritate, indicta & promulgata: afferant autem secum præsentia pericula tum iis, qui auctores eorum extiterint, tum illis etiam, qui auctoritatem eorum quoquo modo secuti fuerint, neque eam omni studio depellendam esse existimaverint. Secus sub gravissima indignatione nostra, & pœnis superius nominatis, facere nemo ausit. Datum 17 Junii.

CXLVI.

DUCI PRUSSIÆ.

De consilio Caunam proficiscendi refert & unicam ferme colligendæ pecuniæ spem in Borussia sibi positam esse affirmat.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster chariſſime. Quod ad nos scribit Illustritas Vestra, ut Curlandiæ Ducem Caunam accersamus, id ita fecimus, litterasque ad eum dedimus, ut

Caunæ

Caunæ nobiscum conveniat ad Calendas Julii, ad quem nos ibi diem futuri sumus. Magnifici Marieburgensis Palatini diligentia in rebus nostris, de qua ex litteris Illustritatis Vestræ intelleximus, probatur nobis. Qua de re litteras quoque ad illum de sententia Illustritatis Vestræ dari jussimus, quas nunc in Illustritatis Vestræ manus mittimus. Eas autem litteras cum ad illum Illustritas Vestra transmittet, diligenter illum nomine quoque suo hortabitur, ut negotium istic de pecunia magnæ curæ habeat. Nam de reliqua pecunia, quæ nobis aliunde pro certa ostentari videbatur, in dubium pœne venire incipimus, ita ut ad repentinam istam & primam necessitatem maxima spes hoc tempore nobis in Prussia ista sola reposita esse videatur. Cum autem adventus noster Caunam non nisi ad primam Julii esse possit, verendum non est, quin Palatinus ipse Marieburgensis & negotium de pecunia recte atque commode conficere, & Caunæ in tempore adesse possit. De Caunensi commoratione nostra, nos quidem ultra triduum aut quatriduum summum ibi esse posse non videmur. Nam cum & Lithuanica comitia nondum satis ad finem deducta sint, & solutis atque perfectis comitiis instent alia non multo minus necessaria, quæ Vilnæ agere nos ac curare oporteat: necessario nobis quamprimum huc Cauna redeundum erit. Interea tamen ibi de hospitio Palatino providebitur. De Suecica pecunia probatur nobis diligentia Illustritatis Vestræ. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum XX Junii.

CXLVII.

CXLVII.

PALATINO MARIEBURGENSI.

Eum poſt negotia cum Gedanenſibus conſtituta Thoruniam & Elbingam deſtinat.

Magnifice S. nobis dilecte. Intelleximus S. Tuam, cum ſe jam Caunam ad iter cum Illuſtri Domino Pruſſiæ Duce accingeret, litteras noſtras cum inſtructione de pecunia accepiſſe, iterque illud, quod jam pœne ingreſſa erat, dimiſiſſe, ſeque ad curanda negotia noſtra mandato noſtro convertiſſe. Quod ſtudium S. Tuæ non poteſt nobis non magnopere probari. Quoniam autem Illuſtri Domino Pruſſiæ Duci videtur, ut eadem pœne de re agatur per S. Tuam cum Thorunenſibus quoque & Elbingenſibus, ab eisque & pecuniarum & pulverum tormentariorum copia noſtro nomine poſtuletur, hortamur S. Tuam, ut confectis Gedanenſibus mandatis noſtris Thoruniam & Elbingam ſe recipiat, earumque civitatum magiſtratui perſvadeat noſtro nomine, ne ſe ipſi quoque in ratione tuendæ & defendendæ Reipublicæ, atque adeo in demonſtranda erga nos fide, & obſervantia ſua, a cæteris terrarum Pruſſiæ incolis ſejungant, neque committant, ut civitates minores, quæ proxime cenſum ex facultatibus communi decreto conſtituerunt, majore potioreque erga nos fide ac ſtudio fuiſſe videantur civitatibus eorum, quæ cum & majores vocentur, & majora a nobis majoribusque noſtris beneficia recc-

receperint, æquum est, ut illustriora quoque grati sui erga nos animi indicia præstent atque exhibeant. Quod si ab illis obtineri non poterit, ut censum ex facultatibus, secundum rationem civitatum minorum, instituant, saltem honorario nobis aliquo munere ad instantis belli necessitatem subveniant. Præterea autem ut pulveris tormentarii aliquot centenarios nobis suppeditent, Elbingenses præcipue, qui nobis id pridem ultro obtulerunt. Qua de re mittimus in manus S. Tuæ ad utrosque fidei litteras, ut commodius cum iis agere, quæ opus est, ac tractare possit. Nos non nisi ad primam Julii diem Caunæ esse poterimus. Ad quod quidem tempus confidimus S. Tuam mandatis nostris recte atque commode explicatis tempestive Caunam venire posse. Interim de hospitio S. Tuæ ibi provideri diligenter mandabimus. Datum ut supra.

CXLVIII.

DUCI CURLANDIÆ.

Invitat eum ad congressum Caunæ cum Duce Prussiæ celebrandum.

ILlustris Princeps Domine, amice charissime. Scire illustritatem Vestram arbitramur, nos Caunam ad primam fere diem Julii venturos esse, ibique triduum aut summum quatriduum futuros, quo cum Illustris quoque Princeps Dominus Prussiæ Dux venturus sit, poterit & Illustritas Vestra, si quid habet, quod ad nos de rebus necessariis, & ad provinciæ suæ defensionem pertinentibus referat,

eodem venire ac nobiscum coram omnibus de rebus conferre. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum ut ſupra.

CXLIX.

GEDANENSIBUS.

Jacobum Hoppen ad avita bona admitti ſub gravi pœna jubet.

SPectabiles & Famati, Fideles dilecti. Dederamus ad vos & olim aliquando, & nuper Varſaviæ cum eſſemus in itinere mandati noſtri litteras, ut Jacobo Hoppen, qui intra pupillarem ætatem conſiſtens, jus ſuum tueri ac defendere non poteſt, juſtitiam celerem ac debitam adminiſtraretis de Laurentio Bargen & Martino Plunkovv civibus Gedanenſibus, qui ſortem ipſius proavitæ hæreditatis ab aliquot annis penes ſe retinent, & cum portionem ejus hæreditatis cohæredi ipſius, Michaeli Blanek, a multo jam tempore reſtituiſſent, ipſi tamen portionem ſuam extradere nulla ratione voluntes. Quæ ſane litteræ mandatorum noſtrorum, cum eum effectum, quem nos volebamus, quemque res ipſa volebat, ſortitæ hactenus non fuerint, mandamus nunc F. Veſtris ſerio, ita omnino habere volentes, ut cum ea de re F. Veſtræ ab iis, quibus officium id incumbit, requiſitæ fuerint, memorato Jacobo Hoppen minorenni, contra quem nulla currit præſcriptio, quantum juſtitia & æquitas poſtulabit, celerem in ea cauſa, ac debitam juſtitiam adminiſtrent, neque committant, ut amplius eo

nomine

nomine ad nos recurratur. Secus pro gratia nostra, & sub pœna quingentorum aureorum Hungaricorum, partim fisco nostro, partim vero parti ipsi applicandorum, ne fecerint F. Vestræ. Datum Vilnæ XXI Junii.

CL.

DUCI PRUSSIÆ.

Quo tempore Caunæ ad lustrandum exercitum adfuturus sit refert, & de oblata pecunia mutua gratias habet, nec non, in adjecta schedula, Ducis Brunsvicensis consilia cupit diligenter explorari, neque tamen de eo siniſtri quicquam suspicatur.

ILlustris Princeps, Domine Amice & Consobrine noster charissime. Significatur nobis Caunæ exercitum, cujus gratia iter eo constitueramus, brevi spatio temporis recenseri non posse, futurumque hunc in conscribendo milite complurium dierum laborem. Quare cum nos hic assidue multis gravisimisque negotiis distrahamur, neque Ducatus nostri Lithuanici comitia hucusque sint finita, molestum esset tot dierum jacturam in eo subire. Idcirco cupimus Illustritatem Vestram suos Caunam, quod & antea velle nos indicavimus, tempestive ad conscribendos milites ablegare, præcipue vero Andream Parchomer & Wolfium Krencz, ut cum exercitus recenscbitur, adsint, & non nisi idoneos conscribi permittant, ita ut deinde nos ad lustrandum saltem exercitum hinc excurrere, eique videndo non plus quam

biduum possemus impendere. De hospitiis extra urbem equiti distribuendis, & de commeatu ipso diligenter præfectis earum rerum mandabimus, ne quid inde partim subditi nostri, partim miles etiam incommodi patiatur. De oblata mutua pecunia pergratum est nobis studium Illustritatis Vestræ. Qua in re quidem non deerit officium nostrum, ut quam maxime de ea Illustritati Vestræ nostro nomine caveatur. Cupimus Illustritatem vestram bene valere. Datum Vilnæ XXII Junii.

SCHEDULA INJECTA.

Quod ad nos de Duce Brunsvicensi Illustritas Vestra ad XX ejus mensis scribit, id ne nobis quidem ipsis sine magna admiratione accidit, si quidem res ita habet, uti dicitur. Sed quoniam propter familiæ ipsius jam pridem nobiscum constitutam necessitudinem, nil adhuc sinistri possumus suspicari, inducere quoque in animum non possumus, ut ad ea remedia hoc adhuc tempore decurramus, quæ ab Illustritate Vestra in litteris proponuntur, quæ & sine motu copiarum nostrarum esse non possent, & occasionem variarum suspicionum præberent, quas suspiciones sine causa præsertim incurrere consultum esse non arbitramur. Itaque hortamur Illustritatem Vestram, ut diligentius interim in eam rem incumbat, omniaque observet ac observari a suis faciat, quæ aut ad investigandum ejus facti consilium, aut ad exquirenda ea, quæ deinceps fuerint subsecuta, pertinebunt. Quæ ut primum ex Illustritate Vestra cognoverimus, officio nostro defuturi non sumus.

CLI.

CLI.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Andreæ Zebrzydowski Episcopi Cracovienſis teſtamentum ut ita exequi Canonicos ſuos curet, ne ſibi exinde moleſtia exhibeatur, ſerio hortatur.

REverende in Chriſto Pater. Sincere nobis dilecte. Dicitur Reverendus olim in Chriſto Pater, Dominus Andreas Zebrzydovvski, Epiſcopus Cracovienſis, univerſam Adriani Skaſſovvski ſervitoris ſui ſupellectilem, quam a morte ipſius uſurpaverat, teſtamento deinde reſtitui, & Alberto fratri Adriani defuncti reddi mandaviſſe. Cum igitur ejus teſtamenti nonnullos ex Canonicis Serenitatis Veſtræ Curatores deſignatos eſſe conſtet, ac omnis ea ſupellex non ſolum inventario diligenter & fideliter confecto contineatur, ſed etiam pleraque in oculis hominum extare dicantur, quæ manifeſte ex hac ſupellectili decerpta, & ad aliorum uſus devoluta eſſe agnoſcuntur, hortamur S. veſtram, ut pro autoritate ſua cauſam hanc ex æquo & aliquando ſummarie & de plano cognoſcat, negotiumque omne inter partes componat, ne nobis, quibus ejusdem teſtamenti cura ſuprema fuit quoque aſſignata, quicquam amplius hoc nomine moleſtiæ exhibeatur, pro gratia noſtra. Datum Vilnæ XXIII Junii.

CLII.

THESAURARIO REGNI.

Stipendium summa exercitus duci porrigi jubet.

Magnifice, Sincere nobis Dilecte. Ad eam expeditionem bellicam, quam in Livoniam hoc tempore apparamus, designavimus exercitus nostri Imperatorem Magnificum Joannem Christophorum Comitem in Tharnovv Castellanum Voinicensem & Sandomirien sem - - - - - Capitaneum, eique stipendium - - - - - - in equos assignavimus, in commeatum autem trimestrem pro coquina ipsius florenos mille. Quare S. Tuæ mandamus, ut si officium id Imperatoris susceperit, memoratum stipendium in - - - equos, & in commeatum trimestrem pro coquina ejus mille florenos ei istic, ex thesauro nostro numeret, numerarique curet. Quod nos in rationibus a S. Tua suscepturi sumus. In quorum fidem manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro præsentes muniri jussimus. Datum &c.

CLIII.

DUCI FINLANDIÆ.

Dolet de incommodis itineris, sed & de reditu gratulatur, miratur præterea Regem Sveciæ fratrem ejus iram adversus eum concepisse, & arcium in Livonia oppignoratarum administrationem ei permittit liberam, sed ut rationem haberi hujus temporis velit, & de pecunia reddenda spem faciat.

Illu-

ILlustris Princeps, Domine Affinis noster charissime. Non mediocriter conturbati sumus iis incommodis, quæ se in itinere pertulisse cum Illustri sua conjuge, sorore nostra charissima, scribit Illustritas Vestra. Recreamur tamen eo Nuntio, quod Illustritatem Vestram Illustremque conjugem ipsius, devitatis omnibus periculis, sanos ac salvos in ditionem suam perveniſſe, ex iisdem litteris intelligimus. Optamus certe quidem, ut Illustritates Vestræ bona ac firma valetudine, omnique rerum omnium prosperitate quam diutissime perfruantur. Qua in re dolet nobis profecto interpellari prosperitatem hanc Illustritatum Vestrarum significationibus istis offensi & alienati animi Regis Sveciæ, quemadmodum ad nos scribit Illustritas Vestra; Qui quidem Rex quo est Illustritati Vestræ fraterno nomine conjunctior, hoc nobis mirandum magis accidit, plus apud eum suspiciones, ut arbitramur, inanes, ad nocendum Illustritati Vestræ, quam jus sangvinis ad mutuum amorem & benevolentiam conservandam valere. Etsi autem ita nobis persvademus, Regem illum aliquando ad se esse rediturum, & Illustritati Vestræ debitam fratris benevolentiam restituturum, tamen si porro obstinato esse animo ad nocendum Illustritati Vestræ perrexerit, nos quidem Illustritati Vestræ omni honesta ratione defuturi non sumus. Nam milite quidem præsidium aliquod Illustritati Vestræ adferre hoc tempore difficilius est, tum quod classem, sine qua in hoc genere nihil recte geri posset, paratam non habemus, tum quod

in Germania omni delectus fieri prohibitum esse, intelligimus, tum quod nostris hominibus externam militiam legibus publicis vetitam esse videmus. Daturi tamen sumus, ut diximus, operam, ne necessitati Illustritatis Vestræ, quantum maxime poterimus, prorsus defuisse videamur. Arces, quas Illustritati Vestræ in Livonia oppignoravimus, intelligimus ex litteris & Internuntio Illustritatis Vestræ non prorsus Illustritati Vestræ satisfacere. Sed in eo tribuere etiam aliquid Illustritatem Vestram oportet temporibus. Nam ne nobis quidem ipsis omnia illic satisfaciunt, quæ tamen & in motibus illius provinciæ fieri profecto ac concedi oportuit, ut nunc rebus ita stantibus oportet tolerari. Distributa sunt pleraque in privatos, fatemur, sed ita tunc necessario faciendum fuit, postea suo tempore omnibus his remedium adhiberi poterit. Interim quid ad Illustritatem Vestram ex eo damni perveniat, non videmus: quum Illustritas Vestra iisdem omnino conditionibus hoc tempore arces illas possideat, quibus & nos ipsi possedimus, & Illustritas Vestra statim initio cœpit possidere, prorsus quemadmodum a Commissariis Illustritatis Vestræ ab initio lustratæ ac revisæ fuerunt. Postquam enim in possessionem Illustritatis Vestræ data sunt, non arbitramur quicquam de statu ac conditione illarum immutatum esse. Quod quamquam ita se habeat, tamen nos quidem ab eo, quod a nobis Illustritas Vestra per Internuntium suum postulat, alieni futuri non sumus, ut Illustritas Vestra, quod quidem sine præjudicio

dicio cujuscunque fieri volumus, exhiberi ſibi uniuscujusque privilegia jubeat, ut videre poſſit, quo quisque jure id, quod poſſidet, poſſideat. Sed neque id Illuſtritati Veſtræ negaturi ſumus, quo minus equis nobilium ad defenſionem arcium uti poſſit, extra tempus generalis expeditionis. Cum enim a generali expeditione abeſſe unius alicujus territorii nobili non liceat, fieri non poteſt, ut eorum opera per tempus generalis expeditionis Illuſtritas Veſtra uti poſſit. Quod autem ab eodem Internuntio Illuſtritatis Veſtræ poſtulatur, ut donationes a nobis factæ aut confirmatæ non ad librorum antiquorum tenorem, ſed ad rem ipſam præſentem revocentur, id etiam quominus Illuſtritas Veſtra faciat, minime prohibemus. Exiſtimamus enim iniquum non eſſe, ſi quis eo, quod in fraudem noſtram impetraverit, legitime exuatur. Unum illud Illuſtritatem Veſtram admonemus, ut meminerit, in his rebus omnibus rationem adhuc temporum haberi maxime oportere, nec tam cogitari, quid commodi ex ſummo jure poſſit in illis arcibus Illuſtritati Veſtræ accidere, quam quid ſine magna difficultate poſſit, rebus adhuc incompoſitis, ab illis populis obtin[illegible] De pecunia mutua, quam Illuſtritas Veſtra a nobis videtur repetere, verſatur nobis aſſidue ob oculos officium noſtrum, ut ad diem conſtitutam poſſimus Illuſtritati Veſtræ ſatisfacere, ſperamusque magnopere nos id ita omnino eſſe præſtaturos. Quod ſi tamen ſecus, quam volumus, acciderit, ut Illuſtritati Veſtræ, neceſſitate aliqua noſtra impediti, ſa-

tisfacere nequeamus, confidimus plane Illustritatem Vestram, & necessitatis nostræ & initæ affinitatis æquam rationem esse habituram. Ideo enim profecto amicitiæ & affinitates comparantur, ut in rebus adversis & contra voluntatem fluentibus alter alterius præsidio niti possit. Nos quidem certe nunc etiam ab Illustritate Vestra majus mutuum, tot exhausti sumptibus, sumere cuperemus, si id sine incommodo ipsius possemus impetrare. De quo ut Illustritas Vestra secum consideret, & quantum in hoc genere nobis gratificari possit, etiam atque etiam videat, ab ea magnopere postulamus. Quam ipsam bene valere cupimus. Datum Vilnæ XXVI Junii.

CLIV.

DUCI PRUSSIÆ.

Jus dici cupit Barbaræ eamque ad partem hæreditatis maternæ paternæque admitti.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster chariſſime. Sebastianus Marx, civis Regiomontanus, universam hæreditatem Andreæ Raffe & Annæ uxoris ejus, qui ante annos aliquot diem suum obierunt, dicitur ad se advertisse, nomine Gertrudis uxoris suæ, Filiæ autem Andreæ & Annæ demortuorum. Cum autem extet & alia filia eorundem, Barbara, quæ nunc cum Joanne honesto cive nostro Caunensi nupta manet, ad quam non minor hæreditatis pars quam ad ipsam Gertrudem lege pervenire debeat, supplicatum

est

est nobis, ut ei hac in parte gratia & auctoritate nostra adesse apud Illustritatem Vestram dignaremur. Quamobrem postulamus ab Illustritate Vestra, ut de ea causa diligenter cognosci, & quod vel natura vel lege civi huic nostræ deberi ex ea hæreditate intellectum fuerit, id ad eam Illustritas Vestra faciat primo quoque tempore pervenire. Rem nobis Illustritas Vestra factura gratissimam. Quam bene valere cupimus. Datum Caunæ die prima Julii &c.

CLV.

REGI DANIÆ.

Interceptam Sundii navem Clauso Stolts, civi Gedanensi, reddi postulat.

Sigismundus Augustus &c. Serenissimo Principi Domino Friderico &c. Serenissime Princeps, Domine frater & affinis noster charissime. Intercepta est Sundii in ditione Serenitatis Vestræ navis cum frumento nostro, quod a subdito nostro Clauso Stolts, cive Gedanensi, ad mercatum per ditionem Serenitatis Vestræ vehebatur. Quamobrem a Serenitate Vestra pro jure vicinitatis, & mutua benevolentia nostra postulamus, ut illud liberum dimitti, subditoque nostro restitui mandet. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus. Datum V Julii.

CLVI.

aliis remediis locum esse non videt, tanto & tam expedito apparatu bellum instruere, juri & rebus ablatis repetendis, in quo ut Serenitas Vestra persistat, illam etiam atque etiam hortamur. Non possumus autem satis demirari Regis istius animum atque ingenium, qui ita exiguam & suarum & communium rerum ducat rationem, ut in vicinum quemquam Regem incurrere, & omnia cædibus ac sangvine miscere non dubitet. Nam & nos quoque ipsi paulo ante id tempus ita ab eo tractati sumus, ut postposita omni recentis affinitatis memoria, quam ad ipsius postulata cum fratre ipsius Illustri Finlandiæ Duce contraximus, nullo nobis denuntiato ac indicto bello, Livoniam provinciam nostram invaserit, arcesque in ea aliquot ceperit, plures ad defectionem solicitaverit, omnibus pœne excidium minatus fuerit. Quod etsi nos hactenus, tum propter occupationes alias nostras, tum propter pacem ac tranquillitatem publicam, dissimulanter ferre existimaverimus, tamen cum aliis remediis jus nostrum apud eum Regem obtineri non possit, bello tandem res nostras repetere, exercitumque in Livoniam, Deo fortunante, adducere decrevimus. Nuncque adeo, cum litteræ nobis a Serenitate Vestra redderentur, Caunæ Germanicas equestres & pedestres mercede conductas copias recensebamus, cum interim ex nostris hominibus justi exercitus per Poloniam & Lithuaniam aliis in locis conscriberentur. Et quoniam Serenitatem quoque Vestram rebus suis non esse defuturam, & olim per nos ipsi facile providebamus,

mus, & nunc in ea opinione litteris ipsius magnopere confirmamur, quod olim nostræ Gedanensium civitati imperaveramus, ut ad prohibendos Svecorum transitus naves aliquot paratas ac instructas haberet, id nunc iterum libenter facturi, Vestræque Serenitati in eo gratificaturi sumus. Reliqua de voluntate nostra in hoc genere cognoscet Serenitas Vestra ex Commissariis suis, quos Sundium ad communem conventum ad diem XII Julii ablegatura erat: quem quidem conventum, quantum ex his litteris Serenitatis Vestræ suspicamur, arbitramur & ad transigendum de rebus communibus expeditum, & ad reliqua omnia peraccommodatum fore. Interim S. Vestram optime valere cupimus. Datum VI Julii.

CLVII.

THESAURARIO REGNI.

Rationes stipendii olim Comiti a Tharnow summo exercitus imperatori concessi postulat.

MAgnifice, sincere nobis Dilecte. Ad expedienda quædam consilia nostra opus habemus rationibus iis, quibus Magnifico olim Joanni Comiti a Tharnovv, Castellano Cracovienſi, qui exercituum Regni nostri nomen atque munus multos per annos gessit, pecunia ex Thesauro nostro ad varias bellicas expeditiones fuit attributa. Quamobrem hortamur S. Tuam, ut eas omnes rationes de libro descriptas, sigilloque suo obsignatas, ad nos mittat primo quoqve tempore pro &c. &c.

CLVIII

CLVIII.

DUCI PRUSSIÆ.

De pecuniæ penuria conqueritur, usurum tamen se spondet occasione abductorum e Livonia præsidiorum Svecicorum, & ad ordinandas postas majorem diligentiam allaturum.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine, noster charissime. Pecuniam quæ ex Prussia istuc allata est, eam nos Vilnam deferri aliquanto prius jusseramus, quam nobis litteræ Illustritatis Vestræ redderentur, existimamusque eam istinc jam asportatam esse. Itaque si quid forte ad sumptus militares interea desideratum fuerit, ultra eam pecuniam, quam Illustritas Vestra secum attulerat, dabit operam Illustritas Vestra cum Magnifico Marieburgensi Palatino, ut id aliunde sarciatur per Illustritatem Vestram & S. ejus. Nobis enim profecto ad alia item non minus necessaria onera sustinenda, pecunia hæc inprimis accommodata erit, in ista præsertim angustia ærarii nostri, & tot sumptibus, quot nobis propositos esse hoc tempore Illustritas Vestra non ignorat. Quod Campiductorem ipsum attinet, ei curabimus de hac pecunia aliquid numerari, quod interim sine nostro incommodo esse poterit. Svecica præsidia ex Livonia abducta esse, nos quoque ipsi audivimus. Quamobrem daturi operam sumus, ut ne ea occasione rerum quærendarum abutamur. De postis seu podvodis mandaveramus jam pridem diligenter.

genter. Sed quoniam in iis conſtituendis majorem diligentiam ab Illuſtritate Veſtra deſiderari intelligimus, mandabimus iterum diligentius, ut omnia recte prorſus & accurate in hoc genere conſtituantur. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ XI Julii.

CLIX.

DUCI CURLANDIÆ.

Mittit ei litteras ad Ducem Megapolenſem transmittendas.

ILluſtris Princeps Domine amice charisſime. Eas litteras, quas ad Illuſtrem Dominum Chriſtophorum Megapolenſem Ducem ſcribimus, volumus ut Illuſtritas Veſtra ad eum mittat primo quoque tempore. Mittimus autem exemplum illarum Illuſtritati Veſtræ, quod quo argumento perſcriptæ eſſent, id intelligere exiſtimabamus, ad Illuſtritatem Veſtram pertinere. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Vilnæ ut ſupra.

CLX.

CHRISTOPHORO DUCI MEGAPOLENSI.

Exprobrat ei ingratum animum atque inimicum, quem niſi deponat, hoſtis loco ſe eum habiturum minatur.

ILluſtris Princeps Domine Affinis noſter charisſime. Etſi pro ſummis noſtris erga Illuſtritatem Ve-

Vestram officiis & beneficiis, non modo non satis gratum, sed etiam plerisque in rebus inimicum prorsus animum Illustritatis Vestræ experti sumus proxime superioribus temporibus: ita ut nisi benignitate naturæ nostræ in diversum vocaremur, non possemus jam pridem eam rem dissimulanter ferre; tamen quoniam nihil nobis esse potest acerbius, quam bello eum persequi, quem antea singularibus beneficiis nostris prosecuti sumus, quod quidem his litteris facimus, hortamur, ut inimicum hunc adversum nos, & adversum provinciam nostram animum deponat, ad officiumque tandem rediens nobis nostrisq; de omnibus illatis injuriis satisfaciat. Quod quidem si Illustritas Vestra ita faciendum sibi existimaverit, nos ea quæ per Illustritatem Vestram hactenus adversum nos gesta esse videntur, mitiorem in partem interpretabimur. Sin secus, quod quidem minime omnium vellemus, tum Illustritatem quidem Vestram his jam litteris certiorem facimus, nos amplius ea dissimulare non posse, dissimulaturosque non esse. Illustritatemque Vestram, quæ nobis hactenus non alias quam adversarii & inimici animi significationes dedit, non alio quam adversarii & inimici atque adeo hostis loco esse habituros. Valeat Illustritas Vestra. Datum XI Julii.

CLXI.

CASTELLANO SANDOMIRIENSI.

Capitaneatum Cracoviensem ei tradit, Marieburgensi, quem hactenus obtinuit, Nicolao Lasky demandato;

dato; hortatur autem ut religionis Catholicæ curam habeat, & cum propter militiam abſens fuerit, Vice-Capitaneum, hominem vigilantem & induſtrium, conſtituat.

Magnifice ſincere nobis dilecte. Mittimus S. Tuæ litteras Capitaneatus Cracovienſis, quem hoc tempore in S. Tuam ex gratia & liberalitate noſtra contulimus. Perſvademus autem nobis ita S. Tuam Magiſtratum hunc geſturam & adminiſtraturam eſſe, ut præſtanda nobis ac Reipublicæ fide & ſtudio ſuo, aſſidue memoriam ejus beneficii noſtri conſervare videatur. Inprimis autem, ne quid in nobis a Catholicis hominibus in hoc genere deſiderari poſſit, providebit S. Tua diligenter, ut in præfectura iſta ubique veteres & catholicæ religionis ritus accurate retineantur & conſerventur, nec ulla in arcibus prædiisque & poſſeſſionibus noſtris innovatio eorum fiat, fierive permittatur. Cum enim Catholicam religionem nos ipſi & propter ipſius præſtantiam curæ inprimis habeamus, & maximum ad retinendam civium concordiam momentum habere intelligamus, volumus ut S. Tua quoque in conſervanda ea, tum voluntatis noſtræ, tum etiam tranquillitatis ipſius & quietis Reipublicæ, cujus gratia potiſſimum Capitanei poſiti ſunt & conſtituti, rationem habeat. Quod ita fore quantum S. Tuæ ſtudium erga nos & obſervantiam novimus, tantum nobis perſvademus. Deinde autem cum ſe ad nos propter bellicam iſtam expeditionem, S. Tua recipiet, volumus ut arcem præfecturamque Cracovienſem ita

ita interea relinquat, ut & Vice-Capitaneo, homine vigilante atque induſtrio, ac in omnes partes ſui muneris intento, & reliquis ſociis atque adminiſtris fidelibus, commode & ex uſu præſentium temporum proviſa eſſe videatur. Perflare enim urbem illam rumores dicuntur non ſatis commodi: quos negligere præfectum civitatis illius minime oportet. Sicuti ſane S. Tuam neglecturam non eſſe, magnopere nobis pollicemur. Quod ſupereſt, quoniam Capitaneatus iſtius Cracovienſis, qvem recens S. Tuæ contulimus, ejusmodi eſſe ſcimus prærogativas ac reditus, ut illo interea S. Tua contenta eſſe poſſit, contulimus Marieburgenſem, quem hactenus S. Tua obtinuit, Generoſo Nicolao Laski inciſori noſtro, cui ut S. Tua poſſeſſionem ipſius dimittat, illam magnopere hortamur. Datum &c.

CLXII.

REGI DANIÆ.

Naves Gedanenſium & amicorum Sundii detentas liberas & ab omni bellici apparatus neceſſitate ſolutas dimitti poſtulat.

SIgismundus Auguſtus &c. Sereniſſimo Principi Domino Friderico, eadem gratia Daniæ &c. Regi Fratri & Affini noſtro chariſſimo ſalutem & omnium bonorum continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Domine Affinis noſter chariſſime. Magno ſe incommodo affici queritur civitas noſtra Gedanenſis, quod naves omnes. quæ hoc tempore Gedanum ultro citroque ex Regio-

nibus ſociorum & amicorum cum mercibus commeare ſolent, a Præfectis Serenitatis Veſtræ detineantur, Sundiiſque, loco neque legitimo & minime omnium oportuno, mercibo depoſitis, ad bellicum ſumptum & apparatum ſuſcipiendum rogentur; qua ex re cives noſtri Gedanenſes, præterquam quod impenſis maximis gravantur, etiam mercium ſuarum jacturam incredibilem faciunt, quod ipſum ad univerſi Regni noſtri non mediocre detrimentum pertinet. Hos etſi id quidem aut aliter omnino ſe habere, aut inſcia certe Serenitate Veſtra committi magnopere nobis perſvademus, nec dubitamus, a Serenitate Veſtra dignam rationem haberi cum veterum privilegiorum & pactorum de libertate ejus navigationis, tam belli quam pacis tempore per Divos majores Serenitatis Veſtræ cum civitate noſtra Gedanenſi initorum, tum recentis etiam amicitiæ & benevolentiæ noſtræ, tamen poſtulanti Magiſtratui civitatis ipſius non potuimus litteras noſtras ad Serenitatem Veſtram denegare; poſtulantes ut Serenitas Veſtra naves ſociorum & amicorum, quæ detentæ ſunt, liberas & omni bellici apparatus neceſſitate ſolutas dimitti, aliisque deinceps, quæ nullam hoſtilitatis ſpeciem præ ſe ferent, priſtinam navigandi libertatem reſtitui jubeat. Nos enim adjuvandi navalis belli gratia, aliis navibus ex eadem civitate Serenitati Veſtræ præſto eſſe juſſimus: ſic ut non arbitremur Serenitatem veſtram officium ejus civitatis in hoc genere deſideraturam eſſe. Rem faciet Serenitas Veſtra tum nobis gratiſſimam,

tum

tum etiam quæ ad conservandam communium pactorum rationem vehementer pertinebit. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus. Datum Vilnæ XIV Julii.

CLXIII.

DUCI PRUSSIÆ.

De rebus variis, inprimis de Svecicis ablatis navibus neutiquam restituendis.

ILlustris Princeps Domine Consobrine noster charissime. Quod nobis Illustritas Vestra Henricum Wolkersan commendat, ut illi ad redimendos a Moschis duos patrueles duobus item captivis Moschis dimittendis gratificaremur, id ad postulata Illustritatis Vestræ facturi sumus perlibenter: quod genus gratiæ & clementiæ nostræ, ne cæteris quidem illis valde negaturi sumus, quos nobis Illustritas Vestra in hoc genere nominat. Quod autem prædium attinet in Livonia Henrico ipsi concedendum, intelligit ipsa Illustritas Vestra, ne nobis quidem adhuc ipsis tantum esse prædiorum in Livonia, ut ea ad arces tantum ipsas sustentandas sufficere posse videantur. Sed tamen si quid etiam in hoc genere Illustritati Vestræ pro Henrico laboranti gratificari poterimus, postea videbimus. Pacta conventa tum Alexandro Ruszkovvski de stipendio confirmari jussimus, eaque Illustritati Vestræ missuri sumus. De Gaspare Aldenbogio vellemus etiam id quod Illustritas Vestra postulat, ut opera ipsius in hoc bello, præsertim

tim cum, ut scribit Illustritas Vestra, exercitatam equitum turmam, & regionem illarum peritam habeat, uti possimus. Sed intelligit nimirum Illustritas Vestra, attenuatum esse hoc tempore fiscum nostrum, nec facile accessiones ullas sumptuum & impensarum novarum pati potest. Adhuc tamen de eo quoque videbimus. Quæ ad nos Vestra Illustritas de Erici Ducis proposito, deque Daniæ & Sveciæ Regum consiliis ex rumore hominum perscribit, cognovimus. Postulamus autem ab Illustritate Vestra, ut porro ad ejusmodi rumores diligenter attendat, & nos per omnem occasionem de omnibus certiores faciat. Interim autem det operam, ne ipsa ad subitos aliquos motus aut impetus excipiendos prorsus imparata esse videatur. De navibus Svecicis quid consilii nostri sit, jam pridem arbitramur Illustritatem Vestram cognovisse. Cum enim ex sententia etiam Illustritatis Vestræ ad impediendam libertatem Svecicæ Navigationis, provisa a nobis sint omnia & constituta, mandata etiam in hoc genere ad plerosque ex subditis nostris data, non videmus sane, quemadmodum ea, quæ Svecis hoc tempore intercepta sunt, dimitti ac restitui possint. An vero cum Sveci nobis Livonicas arces per summam licentiam intercipere non dubitent, nos naviculas illorum retinere in portubus nostris verebimur? Nam quod eæ, quæ proxime interceptæ sunt, Nuncii naves esse, ad nos a Sveciæ Rege missi, dicuntur, id aliter ad nos allatum est, neque enim litteris aut impedimentis ullis naves ipsæ onustæ esse dicun-

dicuntur, ſed mercibus & omnino rebus ad negociationem pertinentibus. Itaque rebus ad eum modum ſe habentibus non exiſtimamus nobis hoc tempore ab iis, quæ pridem ex Illuſtritatis Veſtræ ſententia, per nos de impedienda Svecica navigatione conſtituta ſunt, eſſe diſcedendum. Fridevaldus hic fuiſſe dicitur in negotiis quibusdam ſuis. Fieri etiam poteſt, ut contra Magiſtratum Elbingenſem aliquid agere voluerit, ſed cum nobis privatorum querelis exaudiendis vacare non licuerit, cum omnes ad noſtrum in Poloniam reditum prolatas fuiſſe audiviſſet, fertur huc diſceſsiſſe. Illuſtritas Veſtra quod nos monet, ut in delectu & luſtratione Germanicarum copiarum diligentiam Ducis Curlandiæ per litteras noſtras excitemus, ita plane facturi ſumus, quemadmodum velle Illuſtritatem Veſtram intelligimus. Quæ bene valeat. Datum Vilnæ XXIII Julii.

CLXIV.

CASTELLANO NAKLENSI.

Exquirit rationem conventus Sundenſis.

GEneroſe Fidelis dilecte. Cum eſſemus in expectatione earum rerum, quæ in conventu Sundenſi cum Serenisſimi Regis Daniæ Commiſſariis, per F. Tuam ad diem XII Julii conſtitui debebant, ablegavimus hunc cubicularium ad F. Tuam, per quem ad nos F. Tua de univerſa ratione ejus conventus faciat certiores, quod magnopere volumus & jubemus. Datum Vilnæ IV Auguſti &c.

Eodem modo ad Gabrielem Grabowiecki.

CLXV.

BELSZCZYNSKI.

Hospitium sibi Parczoviæ parari jubet.

GEneroſe Fidelis dilecte. Etſi memoria tenemus locum futuro conventui Lomzam eſſe deſignatum decreto Comitiorum ſuperiorum Petricovienſium, tamen propter varios rerum eventus & neceſſitates noſtras, volumus ut F. Tua primo quoque tempore Parczoviam proficiſcatur, ibique ædificationem cubiculorum noſtrorum ita inſtituat atque curet, ut ſi aliquando uſus venerit, commode eo divertere ibique manſionem noſtram inſtituere poſſimus. Datum &c.

CLXVI.

DUCI CURLANDIÆ.

Ducem Chriſtophorum transmitti ſibi poſtulat & de conditionibus deditionis illius perquirit.

ILluſtris Princeps, Domine amice ſincere nobis dilecte. Ducem Chriſtophorum, quem ſe Illuſtritas Veſtra per ditionem ſcribit accepiſſe, ad vosque poſt biduum aut triduum mittere voluiſſe, nondum hic habemus. Quamobrem hortamur Illuſtritatem Veſtram, ut eum ad nos mittere maturet, ſimul autem de conditionibus omnibus copioſe ad nos perſcribat, quæ in illa deditione inter Illuſtritatem Veſtram & ipſum interceſſerunt,

Illu-

Illustritatem Vestram bene valere cupimus. Datum Vilnæ die IX Augusti 1563.

CLXVII.

ERNESTO VEIER.

Pecunia Svecicæ in arce Dallen, ut creditur, inventa eam rationem haberi a Veiero vult, quæ conditionibus antea propositis & constitutis consentanea esset.

GEneroſe Fidelis dilecte, Memoria tenemus F. Tuam, antequam adhuc stipendia nostra mereret cœpisset, ad nos perscripsisse de centum millibus thaserorum, quæ in arce Dallen ab Rege Sveciæ depositæ esse dicerentur, a nobisque petiisse, ut si ea præda potiri F. Tuam contigisset, ejus partem aliquam ipsi F. Tuæ concederemus. Quod nos quidem fecimus, ad ejusque pecuniæ quartam partem, si quo modo illam F. Tua adipisci potuisset, non gravatim admisimus. Quamobrem cum ea arx, in qua pecunia ejusmodi depositæ ferebatur, in potestatem redacta sit, hortamur F. Tuam, ut memor earum conditionum, quæ de ea pecunia inter nos & F. Tuam extiterunt, pecuniam ipsam ita tractet, ut juris quoque nostri in illam non fuisse oblita videatur. Nobis enim plane verisimile fit, nisi pecunia ejusmodi depositæ istic fuisset, Ducem ipsum Christophorum cum tam exiguo comitatu suorum ingressum in arcem illarum non fuisse, præsertim cum prope adesse exercitum nostrum intelligeret, quem vitare egre-

gie potuiſſet, ſi non ſibi in illa arce aut cuſtodiendum, aut depromendum eximium aliquid & ſingulare exiſtimaſſet. Datum &c.

CLXVIII.

DUCI CURLANDIÆ.

Pro redacto in poteſtatem ſuam Duce Chriſtophoro gratias primum Dee, deinde Duci atque univerſo exercitui refert.

ILluſtris Princeps, Domine Conſobrine, amice ſincere nobis Dilecte. Ex litteris Illuſtritatis Veſtræ cognovimus, Ducem Chriſtophorum, ingrati ſui erga nos animi, & ejus ſocietatis, quam cum hoſtibus noſtris inierat, pœnas dare incepiſſe, in poteſtatemque noſtram per Illuſtritatem Veſtram redactum eſſe. Qua de re primum Deo optimo maximo, cujus ſingulari providentia & victoriæ omnes conſtant, & de ingratis hominibus pœnæ ſumuntur, gratias, ut debemus, agimus, deinde autem Illuſtritatis Veſtræ exercitusque noſtri fidem & vigilantiam gratiſſimo animo accipimus, parati id tum Illuſtritati Veſtræ, tum exercitui noſtro univerſo, per omnem occaſionem gratia & beneficentia noſtra declarare. Exercitum noſtrum de gratia noſtra etiam atque etiam Illuſtritas Veſtra confirmet, cui nos de ſtipendio ad tempus numerando ſoliciti ſumus, in quo ſi ad ſummum biduī aut tridui mora facta fuerit, excuſabit nos quam facillime poterit Illuſtritas. Amplius ne quid moræ intercedat, diligenter providebimus. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum &c.

CLXIX.

CLXIX.

THOMÆ AB EMDON.

Ut de commeatu exercitui ſuppeditando provideat hortatur.

[illegible]ate Fidelis dilecte. Cum officium tuum poſcat, ut exercitui noſtro, qui iſtic eſt, commeatu ſufficiente provideatur, eoque nomine conſtitutum jam a nobis ſtipendium habeas, mandamus tibi, ut in eam curam diligenter incumbas, ne exercitus noſter de commeatus inopia conqueratur. Miſſuri autem iſtuc brevi ſumus Generoſum Chriſtophorum Konarski, Aulicum & Secretarium noſtrum, cui ut F. Tua in omnibus rebus, quas ex eo cognoverit, opera ſua & diligentia adſit, volumus & mandamus. Datum &c. &c.

CLXX.

DUCI CURLANDIÆ.

Milites quosdam in ſubſidium Ducis Finlandiæ profecturos, propoſito jurejurando, ſalvos transmitti cupit.

ILluſtris Princeps Domine amice ſincere nobis dilecte. Retulit nobis ſpectabilis Joannes Comes de Arcz Orator ab Illuſtri Domino Joanne Principe hæreditario Regni Sveciæ, Duce Finlandiæ, Affine noſtro chariſſimo ad nos miſſus, Regem Sveciæ, hoſtilia contra Illuſtrem Fratrem, memoratum affinem noſtrum, moliri, eumque jam obſidione in arce Abbo cinxiſſe. Quare ut fortiori-

bus

bus præſidiis munitus eſſe poſſit, prædictus comes de Arcz de voluntate noſtra ſeptuaginta milites coegit, quos ad Illuſtritatem ſuam quamprimum ablegare in animum induxit. Volumus igitur, ut eosdem milites Illuſtritas Veſtra recepto prius ab eis jurejurando, ſe Regi Sveciæ ſtipendia meritos non eſſe, in Finlandiam libere tranſire permittat, eisque ſecurum & tutum iter per Livoniam, qua ituri ſunt, concedat & permitti ac concedi faciat. Bene valere Illuſtritatem veſtram cupimus. Datum Vilnæ XI Auguſti.

CLXXI.

CARDINALIBUS HÆRETICÆ PRAVITATIS IN UNIVERSA CHRISTIANA REPUBLICA INQVISITORIBUS.

In Gaſparem Jeſck Abbatem Olivenſem ob hæreſin & pravam adminiſtrationem monaſterio motum graviter invehit & Cardinalibus ejus in locum commendat Nicolaum Loccam.

SIgismundus Auguſtus &c. Præſentatus eſt ſuperioribus annis a nobis ad Abbatiam Olivenſem in terris noſtris Pruſſiæ conſiſtentem, venerabilis Nicolaus Locca, vir pius & Catholicus, ac Nobili in illis terris loco natus, deque nobis & Republica noſtra optime meritus, cum Gaſparus Jeſck, qui eam Abbatiam ante obtinebat, propter hæreſim & malam monaſterii illius adminiſtrationem officio illo amotus eſſet. Qua in re etſi nihil ſine ſummo judicio actum ſit, tamen non deſiſte-

ſiſtebat hactenus is idem, qui loco motus eſt, omnia tentare, quibus præſentatum noſtrum poſſit poſſeſſione deturbare. Sed cum iſtuc ad ſedem iſtam applicatam magnorum virorum teſtimoniis perlatum eſſet, ipſum alienis quibusdam ab Eccleſia Catholica opinionibus imbutum eſſe, Serenitas ſua illum ad ſanctæ inquiſitionis officium, Reverendiſſimarum Paternitatum Veſtrarum judicium remiſiſſe dicitur, quod nobis quidem accidit gratiſſimum. Sed quoniam is elabi ex hoc judicio, ſubtili quacunque adinventa ratione, indeque præſentato noſtro ad Abbatiam Olivenſem, moleſtiam exhibere nititur, a Reverendiſſimis P. Veſtris etiam atque etiam petimus, ut id judicium ſeverius inſtituant, diligenterque provideant, ut ne hic homo legum ipſarum vim ac robur temere perfregiſſe, & tandem in Regnum noſtrum immiſſus eſſe videatur, ad turbas & ſeditiones ſive in religione ſive in Republica excitandas. Inprimis autem quantum maxime poſſunt efficiant, ne quid iſtinc manare poſſit, quod præſentato noſtro poſſeſſionem Abbatiæ ipſius quacunque ratione impedire videatur. Vobis enim plane ſtat ſententia, præſentato noſtro gratia quam maxime & auctoritate noſtra ad tuendum jus ſuum adeſſe, neque permittere, ut Gaſpar ipſe, qui bonis ejus Monaſterii usque adeo non pepercit, ut ne a vaſis quidem ſacris aſportandis abſtinuerit, Monaſteriumque ipſum exinanitum omni genere moleſtiarum divexaverit, poſſeſſionem unquam ejusdem Monaſterii poſſit adipiſci. Sed de his & aliis rebus, quæ in ipſo mona-

monaſterio per eum Gaſparum perpetratæ ſunt, tunc Reverendiſſimæ Paternitates Veſtræ rectius intelligent, cum brevi ad illas ea documenta mittentur, quæ ad convincendum eum privatarum quarundam & a communi Eccleſiæ ſenſu abhorrentium opinionum pertinebunt. Quæ, quantum maxime per eos tumultus bellicos fieri poterit, primo quoque tempore ad Reverendiſſimas Paternitates Veſtras mittentur. Interim ut Reverendiſſimæ P. Veſtræ præſentato noſtro adverſus Gaſparum hunc favere, eaque documenta aliquantiſper expectare velint, ab illis etiam atque etiam poſtulamus. Quas bene valere cupimus. Datum Vilnæ XIII Auguſti.

CLXXII.

PAPÆ.

Ejusdem argumenti.

BEatiſſime Pater &c. Conquieviſſe hactenus arbitrabar conatus Gaſparis Jeſck adverſus Venerabilem & Religioſum Nicolaum Loccam Abbatem Olivenſem, ipſumque Monaſterium Olivenſe, inſtitutos. Eo factum fuit, ut litteras quasdam menſibus ſuperioribus ad S. Veſtram pro illo dederim, ut cum ille omnem turbarum ac motuum in ditionibus meis excitandorum cogitationem depoſuiſſe diceretur, in gratiam quoque S. Veſtræ, unde propter inquieta ſua conſilia excidiſſe dicebatur, poſſet pervenire. Nunc adfertur ad me veterem illum tragœdiam renovare, idque agere ut

ut depulſis in judicio ſanctæ inquiſitionis iis criminibus, de quibus iſtic capitaliter dicitur eſſe accuſatus, iterum ad turbandam Abbatis Olivenſis poſſeſſionem redeat, eumque de ea Abbatia, ſi fieri poſſet, detrudat. Ego autem etſi nihil ejusmodi judicio Curiæ Sanctitatis Veſtræ profectum iri arbitror, quod poſſeſſioni Venerabilis Nicolai Loccæ, quem ego ut virum Catholicum, & domus ſuæ nobilitatem tuendam ac defendendam jam pridem ſuſcepi, adverſum eſſe videatur, tamen illud S. Veſtram etiam atque etiam admonendam eſſe putavi, ut in ea quoque actione, quæ iſtic de hæreſi Gaſparo ipſi eſt intentata, eam diligentiam S. Veſtra adhiberi jubeat, ut ne temere hic homo legum ipſarum vim ac robur perfregiſſe, & in Regnum meum miſſus eſſe videatur, ad turbas & ſeditiones ſive in religione, ſive in Republica excitandas. Quorum utrumque cum mihi grave ſit futurum, tum illud plane prætermittere non poſſem, quo minus Venerabilis Nicolaus Locca in poſſeſſione ejus Abbatiæ, quam legitime me volente eſt conſecutus, meo quoque præſidio tectus ac munitus fuiſſe videatur. Quod cum ita ſit, a S. Veſtra majorem in modum peto & quæſo, ne quid iſtinc emanare patiatur, quod ipſi poſſeſſionem ejus Abbatiæ, quam me volente ac libente obtinet, quacunque ratione impedire poſſit. Bene valere Sanctitatem Veſtram cupio, eique me & dominia mea in gratiam & patrocinium commendo. Datum Vilnæ XIII Auguſti.

LXXIII.

CLXXIII.

TICINIO.

Priores duas litteras ei mittit Pontifici & Cardinalium Collegio exhibendas.

VEnerabilis devote nobis dilecte. Dederamus superioribus mensibus ad nonnullorum hominum oportunitatem ad sanctissimum D. N. litteras pro Gaspare Jesck, qui Abbatia Olivensi legitime amotus fuit, quas adhuc litteras D. Tuam non reddidisse S. ejus intelleximus. Quamobrem si ita est, volumus, ut eas amplius D. Tua ne reddat, sed illas supprimat, nobisque quamprimum remittat. Quod si forte jam redditæ eæ sunt S. ejus, scribimus hoc tempore ad S. ejus alias litteras, quarum exemplum D. Tuæ mittimus, volumusque ut eas quamprimum reddat, & earum sermonem diligenter apud S. ejus oratione sua subsequatur, provideatque quantum potest, ut præsentatus noster Venerabilis Nicolaus Locca, Abbas Olivensis, possessione Abbatiæ suæ ne amplius perturbetur. Cujus rei gratia has quoque alteras ad Reverendissimos Dominos Cardinales inquisitioni hæreticorum præfectos scribimus, quarum item exemplum D. Tuæ mittimus, mandantes D. Tuæ, ut sive nostras illas pro Gaspare Jesck olim ad Sanctissimum D. N. datas litteras Sanctitati ejus D. Tua reddiderit, sive minus, has ad Reverendissimos Dominos Inquisitores nunc scriptas reddat primo quoque tempore, & ea quæ nos velle intellexerit, diligenter procuret. Has autem quas ad ipsum

ipſum Sanctiſſimum D. N. nunc ſcribimus litteras, non aliter reddat D. Tua, quam ſi illas forte jam reddiderit Sanctitati ejus, quas pridem pro Gaſparo ipſo Jeſck ad S. ejus dederamus. Quas ſi non reddidit, ſed apud ſe, ut dicitur, retinuit, has quoque retinebit, unaque cum illis, quas pro Jeſco ſcripſeramus, ad nos remittet. In quo D. Tua quantum ſe iſtic ad hanc cauſam propugnandam accommodaverit, tantum nobis rem gratam fecerit. Datum ut ſupra.

CLXXIV.

DUCI MEGAPOLENSI.

Nuntiat ei, fratrem ejus Chriſtophorum ab utriusque hactenus & Ducis & Regis conſiliis alienum in ſuam poteſtatem perveniſſe.

ILluſtris Princeps, Domine Conſangvinee noſter charisſime. Memoria tenemus, quid ad nos per ſuum noſtrumque Internuntios, quid item ſed per litteras Illuſtritas Veſtra retulerit de Ducis Chriſtophori fratris ſui adverſus nos ſuſceptis conſiliis atque inſtitutis, qui cum ſingularibus noſtris beneficiis ornatus, & ad extremum Coadjutor Rigenſis Archidiœceſis, per ſummam noſtram gratiam & benevolentiam, deſignatus eſſet, arma tamen adverſus nos ſumere, conſiliaque cum hoſte noſtro Sveciæ Rege conferre ac communicare non dubitavit. Quod ipſius conſilium ſemper ab Illuſtritate Veſtra reprehenſum eſſe meminimus, & rationes præterea vindicandæ ejus

audaciæ ingratique animi per Illuſtritatem Veſtram nobis ſuppeditatas eſſe meminimus. Quod cum ita ſit, faciendum nobis exiſtimavimus, ut quæ his temporibus illi ab exercitu noſtro evenerint, ad Illuſtritatem Veſtram perſcriberemus. Cum enim paulo ante partem aliquam copiarum noſtrarum in Livoniam miſiſſemus, ad tentandam præſidiorum quorundam Suecicorum oppugnationem, cumque is in illa provincia incautius verſaretur, quam ei conveniret, qui ſe hoſtem atque inimicum noſtrum ex profeſſo perhibebat, Deo omnis ingratitudinis vindice nobis aſpirante, in poteſtatem noſtram per deditionem venire ab exercitu noſtro coactus eſt; Ex quo ſane illius caſu ac eventu, etſi illam moleſtiam caperemus, quod eum Principem, quem omni genere benevolentiæ noſtræ, propter eam quæ nobis cum ipſius familia jampridem intercedit neceſſitudinem proſecuti ſumus, quemque etiam in eo gradu honoris, ſingulari noſtro beneficio locaveramus, ut ex ipſius dignitate voluptatem lætitiamque caperemus, in cuſtodia hoc tempore tenere neceſſe habeamus, tamen cum obſtinatis illius conſiliis nullo alio remedio obſiſti poſſet, id quod neceſſitatem ipſam officii noſtri pro ſalute Livoniæ fœderatæ provinciæ noſtræ ſuſcepti, conſecutum eſt, in eo neceſſario acquieſcendum eſſe nobis intelligimus. Nos quidem qui in eo facto ſingularem Dei providentiam agnoſcimus, ita nos adverſus Ducem ipſum Chriſtophorum geremus, ut & communis humanitatis & religionis Chriſtianæ, & noſtræ perſonæ fami-

familiæque ipſius rationem ſummam habuiſſe videamur. Speramusque eam rem ita eſſe Illuſtritatem Veſtram accepturam, uti ad egregiam illius prudentiam & veterem erga nos benevolentiam pertinet. Illuſtritas Veſtra ſi quid habet præterea, quod a nobis in hoc genere fieri voluerit, ſi ad nos perſcripſerit, dabimus operam, ut ad ea quæ ſuperius propoſuimus, ſuæ quoque a nobis voluntatis habitam eſſe rationem, quatenus integra noſtra dignitate ac exiſtimatione poterimus, Illuſtritas Veſtra perſpiciat & cognoſcat. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnæ XV Auguſti.

CLXXV.

MARCHIONIBUS BRANDEBURGENSIBUS.

Ejusdem ferme argumenti.

ILluſtris Princeps, Domine Affinis noſter chariſſime. Non arbitramur Illuſtritati Veſtræ ignotum eſſe, Ducem Chriſtophorum Mepapolenſem, cum a nobis & aliis beneficiis ſingularibus ornatus & poſtremo Coadjutor Archidiœceſis Rigenſis per ſummam noſtram gratiam & benevolentiam deſignatus eſſet, arma his temporibus adverſum nos in Livonia ſumere, conſiliaque ſua cum hoſte noſtro, Sveciæ Rege, conferre ac communicare, ordinesque in exercitu ejus contra nos ducere non dubitaſſe. Quod ipſius factum, cum ſemper a ſanis omnibus & ingenuis hominibus reprehenſum eſſet, tum nunc ſane etiam a Deo optimo maxi-

mo ſingulari exemplo eſt vindicatum. Nam cum paucis ante diebus nonnullam copiarum noſtrarum partem in Livoniam miſiſſemus, ad tentandam præſidiorum quorundam Svecicorum oppugnationem, cumque is in illa provincia incautius verſaretur, quam ei conveniret, qui ſe hoſtem atque inimicum noſtrum jactare ex profeſſo ſolebat, Deo omnis ingratitudinis vindice nobis aſpirante in poteſtatem noſtram per deditionem venire ab exercitu noſtro coactus eſt. *Cætera conveniunt cum iis, quæ in antecedenti epiſtola relata ſunt, excepta concluſione, quæ ita ſe habet:* Quod totum pro mutua noſtra & veteri cum Illuſtritate Veſtra familiaque ipſius conjunctione ac neceſſitudine ſignificandum eſſe Illuſtritati Veſtræ exiſtimavimus, ut ſi quis ſit, qui id iſtic aliter interpretetur, eum Illuſtritas Veſtra commode per occaſionem poſſit refutare. Quod ſi quid autem eſt, quod a nobis fieri præterea Illuſtritas Veſtra voluerit, de eo nos faciat certiores. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ ut ſupra.

CLXXVI.

DUCI BRUNSVICENSI.

Ejusdem argumenti.

ILluſtris Princeps, Domine Affinis noſter chariſſime. Non arbitramur Illuſtritati Veſtræ ignotum eſſe, Ducem Chriſtophorum Megapolenſem, cum a nobis & aliis beneficiis ſingularibus ornatus, & po-

& poſtremo Coadjutor Archidiœceſis Rigenſis per ſummam noſtram gratiam & benevolentiam deſignatus eſſet, arma his temporibus adverſum nos in Livonia ſumere conſiliaque ſua cum hoſte noſtro Sveciæ Rege conferre ac communicare, ordinesque in exercitu ejus contra nos ducere non dubitaſſe. Quod ipſius factum cum ſemper a ſanis omnibus & ingenuis hominibus reprehenſum eſſet, tunc nunc ſane etiam a Deo optimo maximo ſingulari exemplo eſt vindicatum. Nam cum paucis ante diebus, nonnullam copiarum noſtrarum partem in Livoniam miſiſſemus, ad tentandam præſidiorum quorundam Svecicorum oppugnationem. Cumque is in illa provincia incautius verſaretur, quam ei conveniret qui ſe hoſtem atque inimicum noſtrum ex profeſſo jactare ſolebat. Deo omnis ingratitudinis vindice nobis aſpirante in poteſtatem noſtram per deditionem venire ab exercitu noſtro coactus eſt, ex quo ſane & *eodem modo ut ad Marchiones usque ad bene valere.* Interim illud Illuſtritatem Veſtram celare non potuimus, adferri ad nos Sveciæ Regem niti potiſſimum conſiliis Illuſtritatis Veſtræ, nec fere quicquam publicum in conſulta Illuſtritate Veſtra, ſuſcipere ſolere. Cum autem conatus omnes hujus Regis in nos & in ditiones noſtras intentos eſſe animadvertimus, non poſſumus ſane nobis perſvadere, ea fieri conſcia Illuſtritate Veſtra, de cujus erga nos ſtudio ac amore, & polliceri nobis omnia prolixe debemus, propter mutuam conjunctionem, & vero etiam pollicemur, propter

ſingularem noſtram erga illam benevolentiam & charitatem. Sed tamen quicquid id eſſet, voluimus ad Illuſtritatem Veſtram referre, ab eaque petere, ut malevolis hominibus ſuſpiciones etiam ipſas præſcindat, aliquid ejusmodi de Illuſtritate Veſtra ſuſpicandi. Quo enim magis Illuſtritatem Veſtram amamus, quoque magis illi confidimus, hoc graviores ſunt nobis rumores ejusmodi, qui ut nos quidem opinamur ex nulla veritate orti, ex ſolisque malevolorum ſermonibus hauſti ad nos perferuntur. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum ut ſupra &c.

CLXXVII.

REGI DANIÆ.

Ne cum Svecis ſeorſim in gratiam redeat hortatur & progreſſuum ſuorum in Livonia eum certiorem facit.

SErenisſime Princeps, Domine Frater & Affinis noſter charisſime. Exiſtimamus memoria tenere Serenitatem Veſtram, quemadmodum paucis ante menſibus, cum non magis nos ipſi, quam Serenitas quoque Veſtra injuriis a Sveciæ Rege afficeremur, neque viam aut rationem inveniremus ullam, modum aliquem his injuriis cum bona ipſius gratia imponendi, ſocietatem inire inter nos decreverimus perſequendi adverſus eum Regem juris noſtri. Cujus etiam ſocietatis non vulgaria hactenus eſſe jacta fundamenta, Serenitas Veſtra non ignorat. Nunc adfertur ad nos exorta

exorta esse quorundam hominum atque excitata studia ad constituendam scilicet inter Serenitatem Vestram & Sveciæ Regem pacificationem, & ad inhibendos eos progressus belli, quibus Serenitas Vestra injurias suas persequi, dudum in animo constitutum habebat. Quod nobis quidem etsi ipsum per se injucundum non esset, propterea quod nos quoque & pacem ipsi cum omnibus hominibus libenter colamus, & vigere eam inter Principes & Reges Christianos inprimis cupiamus, tamen quoniam inter capita societatis istius nostræ illud quoque propositum esse ab ipsa Serenitate Vestra meminimus, ut neuter nostrum de pace aut danda aut accipienda posset quicquam sine alterius ad eam rem voluntate & consensu cum Sveciæ Rege statuere, existimavimus esse nobis faciendum, ut per hunc nostrum Nuntium, quicquid id esset quod ad nos rumoribus hominum perferretur, Serenitati Vestræ significaremus. Etsi enim ita nobis persvademus de Serenitate Vestra, nihil illam adversus ea commissuram esse, quæ inter nos semel conventa sunt, tamen rumores quoque ipsos, qui apud nos in eo genere exaudirentur, putavimus ad Serenitatem Vestram perferri oportere, vel ob id maxime, ut simul etiam de successu belli nostri, quod in Livonia gerendum suscepimus, Serenitatem Vestram certiorem faceremus, ad quam intelligimus omnis in hoc genere fortunæ conditionisque nostræ participationem, ex inita societate communi pertinere. Nam cum paulo ante partem copiarum nostrarum in Livoniam

miſiſſemus, ad tentandam præſidiorum quorundam Svecicorum oppugnationem, Marte nobis belli adſpirante, vel potius Deo nobis faventeOptimo & maximo, Chriſtophorum Megapolenſem Ducem Svecici exercitus in illa provincia præfectum in poteſtatem noſtram venire per deditionem coegimus. Qui etſi beneficiis aliquot inſignibus a nobis ornatus, Coadjutor etiam Rigenſis Archidiœceſis per ſummam gratiam & benevolentiam noſtram deſignatus eſſet, tamen Sveco ſe hoſti noſtro conjungere, ordinesque adverſus nos ducere non dubitavit. Quamobrem tenetur quidem ille a nobis in cuſtodia ejusmodi, ut & nos eſſe Regem Chriſtianum, & ipſum illum ex Principibus Chriſtianis meminerimus, ſed tamen ad ingratum ipſius animum erga nos aliquando retundendum, nihil præcipitanter agere decrevimus, priusquam de eo tum ad alios Chriſtianos Principes ac Reges ſocios & amicos, tum etiam ad Serenitatem Veſtram referremus. Exiſtimamus enim non defuturos eſſe ex neceſſariis ac propinquis ipſius, qui factum noſtrum fortaſſis aliter apud Serenitatem Veſtram interpretari, & in invidiam adducere conabuntur. Cujus facti rationem cum ex nobis Serenitas Veſtra jam cognoverit, & ipſis quidem illis, quatenus opus eſſe exiſtimaverit, reſpondebit, & nos denique de ſententia ſua faciet primo quoque tempore certiores. Nos adhuc cum hæc ſcribebamus, de ratione conventus communium Commiſſariorum noſtrorum Sundii ad diem conſtitutam celebrati nihil prorſus cogni-

cognitum habebamus. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum ut ſupra &c.

SCHEDULA.

Si eo forte ventum erit, ut Serenitati Veſtræ ab armis deſcendendum ſit, poſtulamus a Serenitate Veſtra inter cætera, ut in dimiſſione militum jusjurandum ab omnibus Serenitas Veſtra exigi jubeat, ipſos neque adverſum nos, neque adverſum fœderatos noſtros ſtipendia uspiam merituros eſſe. Cæterum nos quoque pro Serenitate Veſtra ipſiusque fœderatis aliis, præter populos qui antiquitus ditione noſtra continentur, hos interea Principes nominatim Illuſtritati Veſtræ edere viſum eſt: Albertum Seniorem, Marchionem Brandeburgenſem, in Pruſſia Ducem, Duces omnes Pomeraniæ, Joannem Ducem Finlandiæ, & Gothardum Ducem Curlandiæ, noſtrum in Livonia Gubernatorem. Cupimus autem a Serenitate quoque Veſtra certiores viciſſim fieri de nominibus fœderatorum Serenitatis Veſtræ.

CLXXVIII.

PALATINO BELZENSI.

Eum a legatione Svecica, quam ſuſcepturus erat, revocat.

MAgnifice S. nobis Dilecte. Quandoquidem multa ad nos quotidie perferuntur, ex quibus conatus Regis Sveciæ non ſolum etga nos & dominia noſtra, ſed etiam adverſus fratrem ipſum ſuum Finlandiæ Ducem Affinem noſtrum & Illu-

ſtrem conjugem ipſius noſtram ſororem apparent inimici prorſus atque hoſtiles, volumus plane, ut l:gationem, quam pridem S. Tuæ aſſignaveramus, S. Tua intermittat, ſeque prorſus ab ea profectione contineat. Neque enim hoc tempore, aut cum dignitate noſtra, aut cum ſecuritate etiam S. Tuæ iter illud inſtitui poſſe videmus. Datum Vilnæ XVI Auguſti.

CLXXIX.

MAGNO PROCURATORI CRACOVIENSI.

Cracovienſi arci adverſus omnes impetus probe tormentis & pulvere pyrio provideri jubet.

GEneroſe Fidelis nobis dilecte. Cum ea ſit difficillimorum iſtorum temporum ratio, ut quemque in tuendis rebus ſuis oporteat vigilantiſſimum, non alienum ſane ab officio noſtro hoc tempore putamus arcem noſtram Cracovienſem, quæ facile totius Regni noſtri caput eſt, munitione & tormentis per loca oportuna diſpoſitis, nec non pulvere bombardico inſtructam habere. Quare volumus & mandamus F. Tuæ, ut communicato ea de re cum Magnifico capitaneo noſtro Cracovienſi conſilio, ſine quo F. Tuam nolumus quicquam hac in parte agere, eandem arcem noſtram tam tormentis bellicis & bombardis, quam ſulphureo pulvere, & neceſſariis munitionibus quibusque, ſine quavis mora muniri

ac

ac provideri curet, deque ejusmodi rebus omnibus conſilia cum Magnifico Capitaneo conferat. Pro gratia noſtra ſecus non factura. Datum Vilnæ XX Auguſti.

CLXXX.

MAGISTRATUI CRACOVIENSI.

Ejusdem ferme argumenti.

FAmati Fideles Dilecti. Imminentibus Regno dominiisque noſtris his temporibus undique graviſſimis periculis officii noſtri Regii eſſe exiſtimavimus, F. Veſtras admonere, ac eisdem ſerio præcipere, ut communicato conſilio cum Magnifico Stanislao Myzkovvski de Mirovv Caſtellano Sandomirienſi, ac Generali Cracovienſi Capitaneo eos modos ac rationes perveſtigent, quibus commodiſſime urbs Cracovienſis muniri, & ordo aliquis in ea, tum ad domeſticos & interiores motus comprimendos, tum ad eos quoque, qui foris incumbere poſſent, impetus propulſandos inſtitui poſſit. Quæ ſane rationes cum communi noſtro & Magnifici Capitanei conſilio adinventæ fuerint, volumus ac mandamus, ut ſecundum eas ſeſe gerant, eosque omnes, qui jurisdictioni eorum ſubſunt, gerere ſe faciant: ne urbs primaria Regni noſtri & pœne finitima, oportunis præſidiis nudata, & ſine cura ac providentia Veſtra relicta, ac impreſſionibus omnibus expoſita eſſe videatur. Qvin & in poſterum, quod quidem eam rem attinet, volumus, ut ſem-

per

per F. Veſtræ in hoc genere Capitanei noſtri præfati dicto audientes ſint, ejusque conſilio acquieſcant. Pro gratia noſtra & officio ſuo F. Veſtræ aliter ne faciant. Datum ut ſupra.

CLXXXI.

BURGRABIIS ARCIS CRACOVIENSIS.

Arcis Cracovienſis curam iis ſingularem demandat.

UNiverſis & ſingulis Burgrabiis arcis noſtræ Cracovienſis præſentibus litteris noſtris denuntiamus, quod cum in Comitiis Generalibus Regni Petricoviæ proxime habitis illud etiam inter cætera eſſet conſtitutum, ut omnes & ſinguli arcis noſtræ Cracovienſis Burgrabii in eadem arce ratione officii reſideant, nos ei conſtitutioni quemlibet Veſtrum pro debito ſuo ſatisfacere volentes, mandamus vobis, ut omnes & ſinguli Veſtrum in arcem noſtram Cracovienſem primo quoque tempore conveniant, ibique ad omnes neceſſitates dictæ arcis pro officio ſuo præſto adſint. De qua re etiam ut plenius F. Veſtris voluntatem noſtram exponeret, commiſimus per litteras Magnifico Stanislao Myszkovvski Caſtellano Sandomirienſi & Cracovienſi Ratinenſique Capitaneo noſtro. Quem ut F. Veſtræ audiant, ejusque dicto in hoc genere obediant, magnopere volumus & jubemus. Alioqui ſi qui ſecus fecerint,

rint, eos quidem ut ad nos deferret, illi mandavimus, nos autem cum Conſiliariis noſtris rationem inibimus, quid de iis fieri ac ſtatui oporteat. Aliter pro gratia noſtra omnino ne faciant. Datum ut ſupra &c.

CLXXXII.

CASTELLANO SANDOMIRIENSI STANISLAO MTSZKOVVSKI.

Ejusdem fermè argumenti.

MAgnifice ſincere nobis dilecte. Non ignorat procul dubio S. Tua motus vicinarum provinciarum, qui iſtic variis ex cauſis excitari hoc tempore dicuntur. Quamobrem ne quid ex vicinia ditionibus noſtris periculi adferri poſſit, mandamus S. Tuæ, ut pro officio ſuo arci Cracovienſi quam maxime poteſt proſpiciat, eamque tutam prorſus ac ſecuram præſtet. Inprimis autem ne quid ex domeſticis tumultibus periculi oriatur, volumus & mandamus S. Tuæ, ut iſtic non ſolum turbas & ſeditiones omnes prohibeat, ſed etiam armatos homines in publico verſari ne patiatur, iis exceptis quibus arcis cuſtodia commiſſa eſt ac demandata. Et quicquid præterea ad proſpiciendum publicæ tranquillitati pertinere exiſtimaverit, id pro officio ſuo agat atque curet. Quod ſi quis autem ordinationi huic repugnare, & aut ſeditiones ac tumultus intra arcem excitare, aut armatus in publico verſari auſus fuerit, in eum

S. Tua

S. Tua ſevere pro officio ſuo animadvertat, jurisdictioneque capitali prorſus in eum utatur, ut & ipſius iſtius audacia puniatur, & cæteris exemplum publicæ conſervandæ pacis ac tranquillitatis proponatur: ubi autem domeſticis & internis periculis ſatis eſſe proſpectum S. Tua exiſtimaverit, ad externa quoque arcenda & prohibenda ſe convertet, munitionesque arcis diligenter luſtrabit, ac armis, bombardis, & pulvere ſulphureo, quatenus opus eſſe judicaverit, providebit. Qua de re etiam ad generoſum arcis ejusdem Procuratorem noſtrum litteras dari juſſimus. Inter cætera autem, quoniam conſtitutione proximi conventus Petricovienſis cautum eſſe novit F. Tua, ut Burggrabii arcis illius aſſidue iſtic præſentes adſint, mittimus in manus S. Tuæ patentes ac apertas litteras, quibus Burgrabios omnes & ſingulos ad ſtationem illorum revocamus, ut ad repentinas aliqvas hoſtiles incurſiones ab arce repellendas S. Tuæ pro officio ſuo præſto eſſe poſſint. Committimus autem S. Tuæ, ut communicato cum ipſis conſilio, modum aliquem & rationem iuveſtiget, qua ad ſatisfaciendum officio ſuo adducantur, ſi non omni prorſus ex parte, at interea ſaltem ex aliqua, dum nos cum Conſiliariis noſtris, quid porro in hoc genere faciendum ſit, conſtituamus. Quod ſi quis ex his admonitioni noſtræ ex officio ſuo ſatisfacere nequaquam voluerit, eum volumus ut S. Tua ad nos deferat. In quibus rebus omnibus, non dubitamus S. Tuam voluntati noſtræ ſe eſſe quam maxime accommodaturam. Datum Vilnæ ut ſupra.

CLXXXIII.

CLXXXIII.

REGI DANIÆ,

Subditorum ſuorum naves quasdam adverſus Svecos graſſantes Regi commendat, & quæ ſua ſit in Gedanenſes poteſtas, refert.

SEreniſſime Princeps, Domine Frater & Affinis noſter chariſſime. Dederamus antea ad Serenitatem Veſtram litteras, quibus illam certiorem faciebamus, nos maritimis omnibus civitatibus noſtris facultatem conceſſiſſe, ut ſi quis aut privatim ex his aut publice eam in ſe provinciam ultro vellet recipere, ut naves Svecorum graſſantes ac commeantes pro virili parte ſua inhibeat, huic per nos quidem ita id licitum ſit facere, ut prædam etiam omnem, quæ his navibus Svecicis contineretur, ſuam propriam fore intelligat; ſi qui autem ejusmodi reperirentur, ſive ex noſtris ſive ex Illuſtris Domini Pruſſiæ Ducis Conſobrini noſtri chariſſimi ſubditis, eos omnes Serenitati Veſtræ commendabamus, quam intelligebamus juſta claſſe bellum hoc anno adverſus Sveciæ Regem mari geſturam eſſe. Et quoniam edocti ſumus, cum plerosque alios tum etiam Wqſſovicz & Scherpringum quendam, ſubditos noſtros, eam provinciam libenter deſumpſiſſe, duasque jam Svecicas naves intercepiſſe, commendamus etiam nunc hos duos, & reliquos ejusmodi Serenitati Veſtræ, ab eaque petimus, ut claſſis ſuæ præfectis præcipiat, ut has ejusmodi naves noſtrorum hominum benevolen-

ati

tia & ſtudio ſuo proſequantur. Cæterum quoniam Magiſtratus civitatis noſtræ Gedanenſis nobis ſignificavit, interpellari ſe a Serenitate Veſtra ad navium quarundam præſtationem, quæ ad bellum armis atque militibus inſtructæ eſſent, quaſi id mandato noſtro facere teneantur, ſcire volumus Serenitatem Veſtram, nos id civitati illi neque imperaviſſe, neque adeo imperare poſſe, invitis ipſis atque nolentibus. Neque enim ex voluntate & arbitrio, ſed ex legum præſcriptô & Majorum inſtitutis populis noſtris omnibus imperamus, neque eos ſane ad alia onera adigere aut poſſumus aut ſolemus, quam quæ aut leges & majorum inſtituta ipſis imponunt, aut ipſi ultro ex ſingulari ſua erga nos fide atque obſervantia, in ſe recipiunt. Quod ſupereſt, Serenitatem Veſtram optime valere cupimus. Datum Vilnæ XXIII Auguſti.

CLXXXIV.

DUCI CURLANDIÆ.

Poſtulat eum a bonis Curiæ Novæ ad Capitulum Rigenſe pertinentibus abſtinere.

ILluſtris Princeps, Domine amice ſincere nobis dilecte. Expoſitum eſt nobis, Curiam Novam, de qua non pridem ita litteras ad Illuſtritatem Veſtram dederamus, antiquitus ad Eccleſiam & Capitulum Rigenſe pertinere, ademptam autem Capitulo poſſeſſionem ejus fuiſſe recentiſſimo tempore per Ducem Chriſtophorum Megapolenſem, ut iis, quam maxime poſſit, ægre faceret, qui ad ſe a no-

a nobis deſciſcere noluiſſent. Quamobrem ſi id quoq; Illuſtritati Veſtræ perſpectum eſt, bona Curiæ hujus Novæ ad Capitulum Rigenſe pertinere, volumus, ut Illuſtritas Veſtra poſſeſſionem ipſius liberam cum omnibus, quæ ad eam antiquitus pertinuerunt, & quemadmodum ab ipſo antea poſſeſſa fuit, dimittat, & Venerabili Joanni - - - - - - - qui eam donatione Capituli conſecutus eſt, concedat atque reſtituat. Nollemus enim, ut aut Capitulum ipſum ſine cauſa re ſua privetur, aut is qui fidem nobis, inclinatis illius provinciæ temporibus, integram conſervavit, ullo detrimento hoc nomine adficiatur. Quod ſi Illuſtritati Veſtræ cognitum non eſt, bona Curiæ iſtius ad Capitulum pertinere, tum poſſeſſionem quidem ipſius Illuſtritas Veſtra retineat, & nos de re tota certiores primo quoque tempore faciat. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Vilnæ XXVIII Auguſti.

CLXXXV.

EIDEM.

De rebus Rigenſibus, conventibus item & comitiis inſtituendis deq; inſolentia Polubinski & ipſorum Rigenſium.

ILluſtris Princeps, Domine amice ſincere nobis dilecte. Controverſiam, quæ Illuſtritati Veſtræ cum Rigenſibus intercedit, cuperemus ſane quamprimum tolli ac ſopiri, cum communium ipſarum Livonicarum rerum, tum etiam Illuſtri-

tatis ipſius Veſtræ cauſa, ſed de Marieburgenſi Palatino, quomodo Illuſtritati Veſtræ gratificari poſſimus, non videmus. Inſtante enim conventu terrarum Pruſſiæ generali, qui ad diem Divi Michaelis indictus eſt, facile intelligimus eum a provincia hoc tempore abeſſe non poſſe, præſertim cum particulares etiam territoriorum conventus præceſſuri ſunt Generalem illum, quos conventus non ſolum celebrare, ſed etiam in Palatinatu Marieburgenſi indicere, ad officium ipſius pertinet. Statim autem quoque poſt Pruſſiæ conventus, ipſa univerſalia Regni noſtri Comitia in Polonia ſubſequentur. Quod cum ita ſit, aut rem ipſam ſane in aliud tempus differri, aut Illuſtritatem Veſtram alium Commiſſarium in locum Palatini Marieburgenſis nominare oportet. Quod ab Illuſtritate Veſtra cum factum fuerit, videbimus quantum maxime poterimus, ut Illuſtritati Veſtræ gratificemur. Licentiam & inſolentiam Polubinski acerbiſſime, ut debemus, ferimus. Quamobrem mandata quoque noſtra ad illum damus, ex quibus intelligat, hæc ſua facinora vehementer nobis diſplicere. Quod ſi non abunde damna illata repoſuerit, ſecundum rationem mandatorum noſtrorum, dabimus operam, ut ſeveriora animadverſionis noſtræ in illum judicia conſtituantur. De Commeatu curæ erit nobis. Interim autem Illuſtritas quoque Veſtra aliunde iſtic commeatui proſpiciat. Nam etſi nos quidem in hoc genere nullam partem ſtudii noſtri prætermiſſuri ſumus, tamen ex Lithuania nobis exigua ſane

ſpes

ſpes oſtenditur poſſe inde tantum proſici, quantum cuperemus. Scribitur ad nos, Archiepiſcopalem curiam, ſtatim ut exequiæ Archiepiſcopales finitæ eſſent, a Magiſtratu civitatis Rigenſis occupatam eſſe. Quod cum nos quidem indigniſſime feramus, tantam eorum audaciam extitiſſe, tum ad eos ſane litteras damus, ut eam ſtatim viſis litteris, libere dimittant, & Illuſtritati Veſtræ nomine noſtro tradant. Quare volumus, ut Illuſtritas Veſtra in eam rem incumbat, atque perficiat, ut curia illa de Rigenſium manibus confeſtim in poteſtatem noſtram perveniſſe videatur. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Vilnæ XXIV Auguſti.

CLXXXVI.

RIGENSIBUS.

Curiam Archiepiſcopalem confeſtim liberam dimittendam & Duci Curlandiæ tradendam eſſe jubet.

SPectabiles & Famati Fideles. Nobis dilecti. Eſt quidem quaſi incredibile, quod ad nos de F. Veſtris adfertur; ſed quicquid illud tamen eſt, voluimus de eo F. Veſtras certiores facere. Scribitur ad nos F. Veſtras ſtatim exequiis Archiepiſcopalibus finitis, Archiepiſcopalem curiam in poteſtatem ſuam accepiſſe, reclamante ac renitente venerabili Oratore noſtro. Quod quidem ſi ita eſſet, cum extra ſubditorum Officium factum eſſe à

F. Vestris videretur, tum nobis sane magnam causam præberet admirationis, in tantam audaciam F. Vestras venire unquam potuisse. Etsi autem his ejusmodi rebus fidem omnino adhuc non habemus, tamen F. Vestras etiam atque etiam hortamur, & mandamus, ut possessionem ejus curiæ, visis statim his nostris litteris, Illustri Domino Duci Curlandiæ nomine nostro tradant, liberamque dimittant. Datum ut supra.

CLXXXVII.

DUCI PRUSSIÆ.

De controversiis finium tollendis, de captivitate Ducis Christophori, & de ferro Svecis erepto.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Quod negotium limitum attinet, cum videamus Illustritatem Vestram tantopere de eo sollicitam esse, cuperemus sane ei negotio finem quamprimum imponere, ut aliquando tandem solicitudinem hanc Illustritati Vestræ ex animo eximamus. Cæterum quoniam edere Commissarios ad regendos eos fines, nostrum non est, sed Illustritatis Vestræ deligere arbitrio suo ex his potissimum, qui sunt in magistratu aliquo constituti, idcirco deliget primum Illustritas Vestra quos voluerit Commissarios, deinde nos certiores faciet, ut litteras commissionis scribi deinde jubeamus. Nos Comitia Regni nostri ad diem festum Divi Martini indiximus, cum videremus maximam partem Senatus nostri tempus a nobis ad Divi Michae-

chaelis ferias, in deliberationem eorum propositum, quodammodo recusare, & ad ferias Martini inclinare. Itaque necessario nobis ad Regnum nostrum ea de causa erit redeundum, ut autem admonitioni præterea Illustritatis Vestræ aliquid tribuisse videamur, dabimus operam, ut nos inde quamprimum explicemus, & constitutis ac provisis ejus Ducatus rebus atque negotiis, in Poloniam, etiam ante comitiorum tempus, discedamus. De Duce Christophoro jam pridem Illustritati Vestræ scripsimus, eum honestissima custodia contineri, speramus autem eum hic esse apud nos propediem affuturum. Illustritas Vestra interea nobis perscribat, de quo etiam antea illi significavimus, quibus conditionibus negotium hoc totum inter nos & illum putet esse conficiendum, & ad finem deducendum, pecuniam & commeatum & cætera exercitui nostro in Livonia suppeditari jubebimus, de quo etiam ad ipsum Curlandiæ Ducem sententiam nostram perscribi jussimus. De ferro Svecico intercepto, quod Illustritas Vestra ad Illustrem Palatinum Rheni scribit pertinere, quodque Illustritas Vestra pro comperto scribit, volumus ut omne id ferrum, quod ad Illustritatem ejus vere atque legitime pertinet, sine mora restituatur Illustritati ejus, quam quidem meminimus sub salvo conductu nostro huc appulisse. Præterea autem si qua sunt Gedanensium subditorum nostrorum in solutum a Svecis acceptá, cum ex hostili atque inimici terra litteris nostris evocati properare cogerentur, id quoque restitui singulis

non abnuimus, dummodo de eo quid cujusque ſit, aut qua ratione inde exportatum, diligenter aliqua inquiſitio prius habeatur. Novit enim Illuſtritas Veſtra mercatorum ac præſertim illius civitatis diverticula, qui ſæpe ut privatis rebus ac mercimoniis ſuis conſulant, & interdicta noſtra ſolent eludere, & Rempublicam poſſunt in diſcrimen adducere. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum XXVIII Auguſti.

Gedanenſes, quemadmodum ad nos Illuſtritas Veſtra ſcribit, monebimus, ut in contributione ſolvenda a minoribus civitatibus ne ſe ſegregent, ſed ad exemplum earum, a centenis marcis octo groſſos nobis contribuant.

CLXXXVIII.

GEDANENSIBUS.

Eos officii ſui admonet, & ingratitudinem iis graviter exprobrat.

SPectabiles & Famati Fideles Dilecti. Excuſationes quibus apud nos F. Veſtræ per litteras utuntur, quod in decernenda contributione proxima Marieburgenſi a civitatibus minoribus ſe ſegregarint, nec ad contributionem bonorum ac facultatum mobilium, uti illæ fecerunt, conſenſerint, ita accipimus, ut miremur in iis excuſationibus ſtudium F. Veſtrarum conſumptum eſſe: cum F. Veſtræ illud omnino officio ſuo convenientius facturæ fuerant, ſi nullam facto ſuo inanem ſpeciem obtendentes, aut ultro ſe ipſæ ad poſtulata noſtra

ſtra accommodaviſſent, aut exemplum in ea re minorum civitatum imitatæ fuiſſent, quarum ſtudium in decernenda contributione ejusmodi extat in Republica perilluſtre. Ut interim de noſtra Divorumque majorum noſtrorum ſingulari in civitatem hanc gratia atque benevolentia dicere omittamus, qua facile effectum eſt, ut hæc civitas ex parvis initiis ad has tantas pervenerit opes ac facultates, quibus non ſolum minores civitates ſuperat, a quibus eſt ipſa hoc tempore ſtudio in Rempublicam ſuperata, ſed etiam reliquos omnes ordines in his terris & civitates facile antecellit. Quæ una res tanti eſſe apud F. Veſtras deberet, ut non alios expectare, ſed primas ſibi ſemper & potiſſimas partes in Republica tuenda & defendenda præ cæteris aſſumere F. Veſtræ debere videantur. Quod nunc contra fit a F. Veſtris, quæ ſtudio aliorum ordinum in hoc genere non modo non adæquant, ſed etiam plane retardant. Quamobrem pluribus verbis hoc tempore non utemur. F. tantum Veſtras hortabimur, ut memores & officii ſui, & ſingularis iſtius noſtræ, majorumque noſtrorum in civitatem iſtam beneficentiæ, contributionem hanc omnium etiam mobilium facultatum ne recuſent, ſed eam inſtar minorum civitatum ſuſcipiant, nec in eo a ſe removendo allegationibus utantur minus neceſſariis, in quo ſuſcipiendo & laus prompti erga Rempublicam ſtudii, & ſalus ac incolumitas provinciæ iſtius, & præſens ad uberiorem iſtam noſtram gratiam demerendam occaſio magnopere eſt conſtituta. Quod ſi porro

pertinaces eſſe F. Veſtræ in ſuo propoſito perrexerint, nec æqualitatem cum ſuis æqualibus tenere in eo voluerint, ſcire illas volumus, nos quidem in æqualitatem hanc inter æquales iniquiſſimo prorſus animo laturos eſſe, præterea autem quoque rationes omnes inveſtigaturos, ut in ea contributione æqualitas inter F. Veſtras, & minorum civitatum incolas plane conſervetur. Datum ut ſupra.

CLXXXIX.

IISDEM.

Jubet portum diligenter muniri.

FAmati Fideles Dilecti. Qui motus & quanti extent vicinarum iſtic pœne omnium civitatum ac nationum, non arbitramur F. Veſtras ignorare. Quamobrem cum in vicino iſto motu atque incendio rem noſtram agi exiſtimemus, mandamus F. Veſtris ſerio, ut quod antea quoque F. Veſtris mandavimus, in munitionem portus ſui diligenter incumbant, eumque ita firmari curent, ut ſi non maximas, at mediocres ſaltim, ſi quæ forte ſuborirentur, impreſſiones poſſit repellere. De ſalvo conducto, qui ex cancellaria noſtra famato Ambroſio - - - - - - - - - datus eſt, Secretario F. Veſtrarum, qui ad nos de ea re retulit, ex ſententia noſtra provideri juſſimus. Datum Vilnæ

&c.

CXC.

CXC.

EPISCOPO PLOCENSI.

Curiæ Episcopalis potestatem sibi fieri postulat.

REverende in Christo Pater sincere nobis dilecte. Magnopere opus habemus domo atque curia S. Vestræ Episcopali, quæ est in Plocko. Quamobrem a S. Vestra postulamus, ut nobis de ea ad aliquod tempus non admodum diuturnum commodet, nec in eo excusationes ullas adhibeat. Nos autem omnia præstabimus S. Vestræ, quæ ad conservandam eam sartam atque tectam pertinebunt. Confidimus Sinceritatem Vestram aliter facturam non esse. Datum Vilnæ XXX. Augusti.

CXCI.

DUCI CURLANDIÆ.

Ad Comitia legatos ejus mitti cupit.

ILlustris Princeps, Domine amice sincere nobis dilecte. Meminimus Legatos Illustritatis Vestræ e Comitiis proximis Petricovienſibus ita a nobis ad Illustritatem Vestram dimissos, ut quæ illo tempore propter absentiam a comitiis ipsis ordinum Magni Ducatus Lithuaniæ confici non poterant in negotio Illustritatis Vestræ & provinciæ ipsius, ea ad futura comitia rejicerentur. Cum itaque hoc tempore comitia Regni nostri generalia Varsaviæ ad diem proximum Divo Martino sa-

crum indixerimus, ſignificare id Illuſtritati Veſtræ voluimus, ut per tempus Nuntios eligat, & deſignet, qui nomine Illuſtritatis Veſtræ ac Curlandiæ & Semi-Gallicæ nobilitatis, gerendis ipſius ac provinciæ totius negotiis intereſſe in comitiis ipſis poſſint, quique plenam ab Illuſtritate Veſtra & nobilitate ipſius facultatem habeant de omnibus rebus tractandi, agendi, conſtituendi, quæ ipſis ex publico Illuſtritatis Veſtræ & provinciæ commodo fore videbuntur. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus: Datum Vilnæ die XXX Auguſti.

CXCII.

CAPITULO RIGENSI.

Invitatio ad Comitia.

VEnerabiles, devoti nobis Dilecti. Etſi Nuntiis D. Veſtrarum, qui ad nos ad proxima Petricovienſia comitia miſſi ab illis fuerant, & ablegati, ita a nobis reſponſum fuerit, ut facile D. Veſtræ poſſent intelligere, nos negotiis illarum, quæ tunc propter abſentiam ordinum Lithuaniæ abſolvi non poterant, in comitiis Lomzenſibus ad diem Divo Martino ſacrum, finem eſſe impoſituros. Tamen ne quid forte in hoc genere per oblivionem D. Veſtrarum neglectam eſſe videatur, ſcire Dominationes Veſtras volumus, nos comitia Regni noſtri generalia - - - - - - ad diem - - - - - indixiſſe, ad quem locum & tempus ut D. Veſtræ Nuntios ſuos mittant, qui negotiis illarum plena ab ipſis ad omnia, quæ in deliberationem proponen-

nen-

nentur, accepta facultate moderentur, volumus & hortamur. Datum ut ſupra.

IN SIMILI FORMA.

Conſiliariis Archidiœceſis Rigenſis.

Generoſi F. dilecti. Etſi &c.

Nobilitati Archidiœceſis Rigenſis.

Nobiles fideles Dilecti. Etſi &c.

Magiſtratui Civitatis Rigenſis.

Spectabiles & famati F. Dilecti. Etſi &c.

CXCIII.

CIVITATI VENDENSI ET CIVITATI VOLMARIÆ.

Invitatio ad Comitia.

FAmati F. Dilecti. Indiximus comitia Regni noſtri generalia - - - - - ad diem - - - - Quare mandamus F. Veſtris, ut communicato cum aliis civitatibus conſilio, Nuntios eo mittant, qui negotiis illarum omnibus, quæ hactenus indeciſa & indeterminata manent, finem imponant, accepta a F. Veſtris plena facultate ad omnia conſentiendi, quæ ex commodo publico fore videbuntur. Datum ut ſupra.

DISTRICTUI.

Vendenſi	Segevaltenſi
Volmarienſi	Dugenſi
Duneburgenſi	Burtnicenſi
Roſilenſi	Helmetenſi
Lucenſi	Jernenſi
Kircholmienſi	Tricalenſi
	Carcuſienſi

IN

IN SIMILI FORMA: TANTUM A PRINCIPIO SIC:

Nobiles F. dilecti. Indiximus &c. ut communicato cum aliis territoriis consilio &c. Datum ut supra &c.

CXCIV.

DUCI PRUSSIÆ.

Varia de rebus suis scribit, & ut Saxoniæ Elector in partes vocetur, inprimis cupit.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster chariſſime. Quod nos Illustritas Vestra de rumoribus iis certiores facit, qui de consiliis Erici Ducis circumferuntur, pergratum est nobis. Equidem non arbitramur quidquam nobis aut ditionibus nostris ab exercitu ejus metuendum esse, quod hostilitatem aliquam præ se ferre videatur, præsertim cum nihil nobis hactenus ejusmodi denuntiatum ab eo sit aut indictum. Sed tamen in hoc tanto vicinarum civitatum & nationum motu atque incendio rebus nostris deesse non debemus. Quamobrem id quod nos Illustritas Vestra recte admonuit, litteras ad Gedanenses dari iterum jussimus, ut portum suum studiose communiant, eumque adversus fortuitas impressiones, si quæ ingruerent, diligenter obsirment. De conventu ob Danicam & Svecicam pacificationem instituto ex litteris alteris Illustritatis Vestræ intellexi-mus. Ac nobis quidem pace & tranquillitate Christiana nihil propemodum optatius potest contingere-

tingere, verum illud modis omnibus & nobis & Illustritati Vestræ curandum esse existimamus, ut ne ea pax in nonnullam ditionum nostrarum perturbationem se convertat, neve ditionibus nostris damnum aliquod afferat; quod sane magnopere verendum esset, si conditionibus pacificationis istius excluſi fuerimus. In quo probatur sane nobis studium Illustritatis Vestræ, quæ Illustrissimo Saxoniæ Electori negotium nostrum tam diligenter commendavit, quod ut etiam atque etiam Illustritas Vestra faciat, ab illa magnopere petimus. Nos etiam diebus proximis misimus ad Serenissimum Daniæ Regem nostrum Internuntium, & nobis ipsi non defuimus, Serenitatemque ejus ad communium pactorum recordationem litteris nostris revocavimus, ab eaque petiimus, ut si forte eo ventum foret, ut pax inter Serenitatem ejus & Sveciæ Regem constituenda sit, nostri quoque ac fœderatorum nostrorum digna ratio habeatur. Inter fœderatos autem nostros hos nominatim edidimus: Illustritatem primum vestram, tum Illustres Duces Pomeraniæ, deinde Ducem ipsum Finlandiæ, postremo etiam Curlandiæ. Pergratum autem nobis Illustritas Vestra fecerit, si porro apud Illustrissimum Saxoniæ Electorem & cæteros, tum per se, tum per communes amicos sæpe idem negotium gesserit, sæpeque repetierit. Nos si requisiti de pacificatione ea fuerimus, consilia nostra Illustritatis Vestræ quam maxime accommodabimus, Nuntiumque ejusmodi ad conventum illum, si postulati fuerimus, designabimus, quem huic rei

quam

quam maxime accommodatum eſſe judicabimus. Quod ſi comitia Regni noſtri non impedierint, non ſane facile intelligimus, quis in hoc genere Magnifico Marieburgenſi Palatino debeat anteponi. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ, die quo ſupra &c.

CXCV.

ERICO DUCI BRUNSVICENSI.

Quo animo in ſe feratur, ſcire cupit.

ILluſtris Princeps, Domine amice & Affinis noſter chariſſime. Cum ad nos indies afferrentur rumores, Illuſtritatem Veſtram cum exercitu in vicinia verſari, etſi certum habere non poteramus, quo potiſſimum cum illo eſſet proceſſura, tamen cum memoria repeteremus, & veterem familiæ noſtræ cum familia Illuſtritatis Veſtræ conjunctionem ac neceſſitudinem, & recentia quoque erga nos ipſius Illuſtritatis Veſtræ ſtudia, quæ nobis tam ſui ipſius, quam cópiarum iſtarum ſuarum, ad omnem noſtrum uſum ac neceſſitatem, per Illuſtres Principes Pruſiæ ac Megapoliæ Duces, amicos noſtros chariſſimos, deferebat, nihil ejusmodi poteramus de Illuſtritate Veſtra ſuſpicari, quòd nobis hoſtilitatis alicujus opinionem creare poſſ[illegible]deretur. Quo etiam nunc animo de Illuſtritate Veſtra profecto ſumus, præſertim cum neque nos cauſam Illuſtritati Veſtræ dederimus, quo minus in cœpta erga nos & optima voluntate

ſua

ſua perſeveret; neque Illuſtritas Veſtra quicquam ejusmodi nobis denunciavit, quod legitime a generoſis animis ſolet fieri, unde nobis cum Illuſtritate Veſtra aliquid controverſiarum intercedere poſſumus ſuſpicari. Nunc cum rumores de adventante propius ad ditiones noſtras exercitu Illuſtritatis Veſtræ ad nos quotidie adferrentur, etſi ut diximus perſvadere nobis de Illuſtritate Veſtra nihil poſſumus alienum a conjunctione & neceſſitudine, quæ nobis cum Illuſtritate Veſtra intercedit, alienum etiam a benevolentia noſtra in Illuſtritatem Veſtram, & recentibus vicisſim ipſius erga nos ſtudiis & officiis, & quod ſummum eſt, alienum ab ea ratione, quæ eſt ingenuorum hominum & inprimis Chriſtianorum Principum inter ipſos propria, qui controverſias omnes ſuas non barbarico more, ſed legitime perſequi conſveverunt, tamen hoc totum quidquid ad nos in hoc genere adferebatur, ſignificandum eſſe Illuſtritati Veſtræ putavimus, poſtulantes ab ea, pro more neceſsitudinis mutuæ noſtræ, & ejus benevolentiæ, quam ſemper exhibere Illuſtritati Veſtræ parati ſumus, ut exercitum hunc ne propius ditionibus noſtris admoneat, populosque noſtros non modo incommodis & periculis, quæ ex licentia militum evenire poſſent, ſed omnino omni metu & formidine vacuos faciat. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ 1 Septembris.

CXCVI.

CXCVI.

DUCI PRUSSIÆ.

Quid de Erico Duce Brunsvicensi statuat, refert.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Hodie eadem hora binæ ad nos litteræ Illustritatis Vestræ de iisdem rebus adferuntur Sperlingi datæ, ex quibus de Erico Duce, quæ istic nuntiarentur, cognovimus. De qvo etsi alias qvoqve ad nos litteris Illustritatis Vestræ significatum esse meminimus, tamen qvod tunc respondimus Illustritati Vestræ, nunc ei qvoqve respondere non dubitamus. Nos videlicet persvadere nobis nequaquam posse, Ducem Ericum, nulla a nobis lacessitum injuria, nullis etiam denuntiatis nobis & indictis inimicitiis hostile aliqvid adversum nos ditionesqve nostras esse tentaturum, præsertim cum paulo ante studium nobis officiumqve suum ultro deferre soleret ad vexandos ac persequendos nostros inimicos, qvemadmodum novit Illustritas Vestra. Post qvod sane tempus, nihil a nobis in illum profectum esse scimus, qvod illi causam aliqvam mutati erga nos animi dare posset. Non arbitramur autem qvoqve Illustritatem ejus ita apud se dulce bellum existimare, aut ita pugnæ vel prædæ studiosam esse, ut præ his & veterem nostram cum familia sua conjunctionem & suam constantiam, & inprimis existimationem, qvæ non indicto gerendo bello in non optimam adduci opinionem videretur, posthaberet. Sed

tamen

tamen ne prorsus hæc otioso ac negligenti animo audire videamur, scribimus ad ipsos terrarum nostrarum Prussiæ Ordines omnes, ut parati & erecti sint, lustrationesque militum per territoria ut instituant, portus denique & propugnacula muniant, cæteraque faciant omnia, quæ nos rebus nostris non deesse testari possint. Quod si propius ditiones nostras accedere cum exercitu Ericus Dux perrexerit, mittimus jam nunc litteras in manus Consiliariorum nostrorum Prussiæ, quæ adventanti illi nomine nostro reddi debeant. Eorum exemplum Illustritati quoque Vestræ mittimus. Et quoniam si quid periculi inde imminet, id omne commune est nobis cum Illustritate Vestra, ab illa etiam atque etiam petimus, ut ipsa quoque pro virili parte in eam curam incumbat, ut hic exercitus omni ratione a ditionibus nostris communibus possit amoveri. Inprimis autem si quis subitus casus ingruerit, aut etiam, antequam ingruerit, cum Consiliariis & Civitatibus nostris Prussiæ Majoribus communi consilio Illustritas Vestra, quid fieri oporteat, statuat atque provideat, & nos omnibus de rebus citissimis itineribus certiores faciat, quidve consilii habeat, diligenter aperiat. Nos ne senatui quidem Regni nostri de eo latere voluimus, ut ex sententia ipsius, si eo ventum erit, remedium huic malo possimus adhibere. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Vilnæ XI Septembris.

SCHEDULA.

De milite hoc Germanico, quem in Livonia habemus, quid cum eo deinceps faciamus, ubi assignati trimestris spatii stipendia exierint, existimamus rem deliberatione indigere. Etsi enim ad plerasque res usui eum fore nobis videamus, tamen commovemur magnopere magnitudine stipendiorum, quibus ærarium nostrum vehementer exhauritur. Quamobrem ab Illustritate Vestra postulamus, primum ut, quid nobis cum eo faciendum existimet, sententiam nobis suam perscribat. Deinde si forte retinendum porro esse in Livonia censuerit, unde pecunia desumenda sit, aperiat.

Litteras eas ad Illustres Dominos Pomeraniæ Duces transmittet Illustritas Vestra, si id opus esse judicaverit. Quapropter exemplum quoque illarum Illustritati mittimus, ut facilius de eo, ut & quando mittendæ sint, Illustritas Vestra statuere possit.

CXCVII.

DUCIBUS POMERANIÆ.

Ut Ericum Brunsvicensem transitu prohibeant, si Poloniam ingredi cum exercitu velit, etiam atque etiam hortatur.

Illustres Principes Domini Amici & Consanguinei nostri charissimi. Adfertur ad nos quotidie Illustrem Dominum Ericum Ducem Brunsvicensem cum exercitu intra fines propemodum

dum Illustritatum Vestrarum ingressam esse, rationemque itinerum suorum ita instituere, ut etsi, quo deinceps sit progressurus, certum esse non possit, tamen non defuerint plures, qui ipsum in Prussiam velle irrumpere asseverent. Quod etsi plane nobis non sit vero simile, Illustritatem ejus, quæ & nuper admodum studia sua exercitusque sui nobis ultro deferebat, & antea vetere adhuc nobis sanguinis necessitudine conjuncta sit, nec a nobis unquam læsa existat, nec hostile hactenus nobis quicquam denuncit, tam repente eorum omnium posse oblivisci, nec ullius ex iis rationem ducere. Tamen cum nostra ejusmodi diligentia reprehendi debeat, nos quidem per litteras nostras, Prussiam provinciam nostram, quam maxime potuimus, excitavimus, ut in omnem occasionem intenta rebus suis invigilet, & se ad removendas has copias, si forte eo adducantur, ostendat non esse imparatam. A Vestris autem quoque Illustritatibus, pro mutua necessitudine nostra, & eo jure, quo nobis Illustritates Vestræ obstrictæ sunt, petimus, ut hunc exercitum transitu ditionum suarum quam maxime prohibeant. & si quid difficilius ingruerit, de eo, communicato cum Illustri Principe Prussiæ, Consiliariisque & Ordinibus illarum terrarum nostris, consilio diligenter prospiciant, nosque adeo de omnibus rebus certiores faciant. Bene valere Illustritates Vestras cupimus. Datum ut supra.

CXCVIII.

GEDANENSIBUS.

Eos paratos eſſe jubet ad præcludendos Erico aditus omnes & opponendam vim.

SPectabiles & Famati Fideles nobis dilecti. Quæ ad nos F. Veſtræ de Erico Duce Brunſvicenſi perſcribunt, ea & olim & nunc etiam ex aliis quoque intelleximus. Itaque etſi perſuadere nobis non poſſumus Illuſtritatem ejus, oblitam & veteris neceſſitudinis noſtræ mutuæ, quæ nobis cum Illuſtritatis ipſius familia intercedit, & recentium ſtudiorum ſuorum, quæ nobis tam ex perſona ſua, quam ex parte earum copiarum, quas adducit, nuper admodum adverſus hoſtes noſtros deferebat, aliquid adverſus nos, ditionesque noſtras tentaturam eſſe, cum neque a nobis lacesſita ſit injuria, neque quicquam denunciarit nobis hoſtile aut inimicum, tamen quoniam nulla in rebus propriis diligentia reprehendi ſolet, F. Veſtris omnino mandamus, ut omni ope ac conatu ſuo in id incumbant, ut portum ſuum urbisque ſuæ propugnacula omnia diligenter & quamprimum communiant, aditumque omnem per Iſtulam, quacunque poſſent, adventanti forte exercitui præcludant, & denique ita ſe gerant, ut paratiſſimi ad excipiendam omnem impreſſionem, ſi qua ex inſperato ingruerit, reperiantur. De omnibus autem rebus & nos & Illuſtrem Dominum Pruſſiæ Ducem, & Conſiliarios illarum terrarum certiores faciant,

faciant, quibus nos, quid porro agendum sit, primo quoque tempore copiose perscribemus. Datum ut supra.

CXCIX.

MAJORIBUS CONSILIARIIS PRUSSIÆ.

Ejusdem argumenti.

MAgnifice sincere nobis dilecte. Sæpe antea monebamus, ut imminentia terris istis pericula providerentur, utque & apparatus aliquis institueretur ad demonstrandam terrarum istarum vigilantiam, & pecuniæ conferrentur, ad omnes repentinos casus & eventus, quæ omnia negligentius istic hactenus curata esse, vehementer dolemus. Nunc sane afferri cœperunt ad nos novi belli rumores, Ducem Ericum Brunsvicensem cum exercitu in vicinia versari, nec certi quicquam præ se ferre, quo sit cum eo progressurus: itinerum tamen suorum rationem ita instituere, ut credibilius sit ipsum in Prussiam, quam quoquam alio, accessurum. Quod & si adhuc aliter habere se potest, & nos neque videamus, quid alioqui in Prussia acturus sit, neque existimemus, ipsum nulla a nobis lacessitum injuria, & nullo nobis antea denunciato bello, hostile aliquid in ditiones nostras esse moliturum, tamen quod prudentes homines facere solent, ut in vicinorum motu, atque concussione qualibet, rebus suis invigilent, seque ad omnem conversionem rerum

paratos & erectos esse demonstrent, ne qua ex vicino periculo mala contagio ad ipsos possit penetrare, idem nobis existimamus esse hoc tempore faciendum. Quamobrem S. Tuam hortamur, ut communi cum aliis Consiliariis & Ordinibus consilio, eam istic ad omnia providentiam curet adhiberi, ut ne quid nostris terris Prussiæ incommodi ex insperato adferatur, inprimis autem det operam S. Tua, ut præsidia militum, quæ transitu hostem prohibeant, ad Istulam collocentur, portus Gedanenses & reliqua omnia terrarum illarum propugnacula muniantur, & denique, quod olim etiam hortati sumus, lustrationes militares, per territoria & districtus instituantur, cæteraque provideantur, quæ nos non esse imparatos possint demonstrare: Etsi enim, ut diximus, ab ejus Ducis exercitu nihil ejusmodi adhuc metuimus, tamen quia plurimum interest in hoc genere, parati semper animi in omnes partes significationem dare volumus plane & mandamus, ut ejusmodi apparatus istic ubiq; instituatur, qui nos rebus nostris non deesse testari possit. Quamobrem in hunc etiam eventum, si quid postea de adventante istic propius ad terras nostras eo Duce omni exercitu, auditum fuerit, mittimus nostras ad eum litteras, in manus Generosi Joannes Ilostka Castellani Gedanensis, & terrarum nostrarum Prussiæ Thesaurarii, quarum litterarum exemplum ipsi quoque S. Tuæ mittimus, ut de communi S. Tuæ cum aliis Consiliariis consilio, ad eum, cum opus

fuerit,

fuerit, mitti possint. Quicquid deinde secutum fuerit, volumus ut S. Vestræ communi consilio, cum Illustribus Dominis Prussiæ & Pomeraniæ Ducibus ei provideant, & nos de omnibus rebus certiores faciant. Datum Vilnæ XI Septembris.

Eodem exemplo ad cæteros Consiliarios & Civitates Prussiæ.

SCHEDULA AD EASDEM LITTERAS ADDITA.

Post scriptas has litteras, afferuntur ad nos rumores alii super alios de Ducis ejus adventu cum exercitu ad proximas ditionum nostrarum terras & regiones. Itaque quod superioribus temporibus omnibus ordines omnes terrarum illarum monebamus, ut rebus suis diligenter invigilent, nequa in illas terras ex insperato irruptio fieret, idem nunc jam S. Vestras magis serio admonemus, cum videlicet motus periculi non longe abesse videatur. Et quoniam non latet S. Vestras, nihil nobis pœne & possessionum & redituum in Prussia reliqui esse, omnibus rebus inter S. Vestras divisis ac distributis, dent operam S. Vestræ, volumus & mandamus, ut viris, equis, armis denique jam nunc instructi, hostem imminentem summoveant, Istulæ aditus omnes intercludant, propugnacula omnia terrarum illarum, muris, milite, commeatu firment atque muniant, provideantque omnino, ne quid detrimenti Respublica accipiat. Nos

etiam, quantum maxime in hac fiſci noſtri anguſtia poterimus, Regni Noſtri ſenatum celeriter ſcriptas dedimus, ut ex ejus conſilio, quid faciendum nobis ſit, videamus.

CC.

DUCI CURLANDIÆ.

Rerum in Livonia expediendarum rationem ei proponit.

ILluſtris Princeps Domine amice ſincere nobis dilecte. Quod arces & curias omnes, quas in Archidiœceſi Rigenſi Dux Chriſtophorus poſſederat, in poteſtatem ſuam Illuſtritas Veſtra noſtro nomine receperit, valde nobis hæc diligentia Illuſtritatis Veſtræ probata & grata eſt. Non dubitamus etiam Illuſtritatem V. ea, quæ accepit, ita providiſſe, ut ne quid in fide & diligentia eorum, quibus commiſſa ſunt, a nobis deſideretur. Quod quidem nunc etiam Illuſtritati Veſtræ inprimis curæ eſſe volumus. In reliquo quod ad nos Illuſtritas Veſtra de Pernovia obſidenda, & de paucitate militum perſcribit, dabimus operam, ut militem Polonicum Illuſtritati Veſtræ, quamprimum fieri poterit, ſubmittamus copiasque ipſius auxilio Polonico recreemus. Interim eos milites, qui nobis operam ſuam deferebant, & nunc Svecica merere ſtipendia dicuntur, tentandos eſſe exiſtimaremus, ſi forte propoſitis aliquibus conditionibus, vellent nobis arcibus, quibus impoſiti ſunt, concedere, quam

rem,

rem, ſi modo caute geſta fuerit, non exiſtimamus obſuturam. De commeatu exercitui ſupportando iterum atque iterum Conſiliarios noſtros magni Ducatus Lithuaniæ admonemus, facturos quidem jam eſſe nobis perſvademus; Gedanenſibus, Elbingenſibus, & cæteris jam dudum idem imperavimus, ſed exiſtimamus obſeſſo & occupato mari a Danicis & Suecicis navibus deterreri, quominus ſeſe iis periculis committere audeant. De milite noſtro Germanico, cujus ſtipendiis trimeſtre aſſignaveramus, videmus id tempus propemodum jam elabi. Curabimus tamen, ut ſententiam noſtram, retinerine an dimitti debeat, Illuſtritati Veſtræ tempeſtive ſignificemus. Interea Illuſtritas Veſtra cum Vejero & reliquis omnibus agat, ab eisque perquirat, num ob inſtantis jam hyemis tempora, in quibus militis uſus tantus eſſe non poteſt, velint aliquid de condicto, & conſtituto ſtipendio remittere, leviorique ſtipendio contenti eſſe. De quo nos quidem Illuſtritas Veſtra primo quoque tempore certiores faciet. Quod ad tormenta majora & reliqua id genus pertinet, ea commodius hoc jam tempore a Rigenſibus peti poſſunt, cum quibus etiam de navibus ad portum Pernovienſem occupandis agendum erit. Navium enim ſpes a nobis hoc tempore nulla eſſe poteſt, tormenta autem nequaquam huc adduci poſſent, occaſio & tempus pœne omne elaberetur. Litteras mandatorum noſtrorum ad Nobilitatem Derptenſem & Harrienſem & Vicornicam dari

juſſimus, quas mittimus in manus Illuſtritatis Veſtræ. Bene valere & bene rem gerere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ die quo ſupra, &c.

Controverſiæ S. Veſtræ cum Rigenſibus cognoſcendæ deſignavimus Generoſum Chriſtophorum Konarski, Aulicum noſtrum. Quod ſi tamen aliquem præterea addendum eſſe S. Veſtram exiſtimet, de eo nos quamprimum certiores faciat.

CCI.

NOBILITATI EPISCOPATUS DERPTENSIS.

Ut revertatur ad obſequium, hortatur.

UNiverſis quorum intereſt, nominatim autem Nobilitati Epiſcopatus Derptenſis, fidelibus dilectis. Significamus per præſentes litteras, expoſitum nobis jam pridem eſſe, F. Veſtras a nobis defeciſſe, Svecorumque Regi fidem ſuam obſtrinxiſſe. Quod etſi nos F. Veſtras nulla mutabilitate fidei, ſed temporibus tantum adductos feciſſe nobis perſvadebamus, hactenusque, ut ſponte ſua ad officium ſuum F. Veſtræ redirent, expectabamus, tamen cum patientia & benignitate noſtra nihil eſſe profectum videamus, commonendas jam nunc eſſe F. Veſtras per has litteras duximus, quibus litteris F. Veſtris ſerio mandamus, ut memores datæ nobis ſemel fidei, ejusque profeſſionis, qua ſe ſub impe-

imperium nostrum præstito jurejurando contulerunt, ad officium suum jam tandem redeant, & rejecta omni alienorum dominorum subjectione & obedientia ad autoritatem & jurisdictionem nostram revertantur, nobis prorsus subsint & pareant, uti Regi & domino legitimo, ac summa animorum Vestrorum voluntate adscito & suscepto, sub pœna confiscationis omnium bonorum Vestrorum mobilium & immobilium, sub aliisque pœnis, quæ in ejusmodi homines legibus publicis sunt constitutæ. Datum Vilnæ die XI Septembris.

Eodem modo Nobilitati Episcopatus Harrienſis & Vicormienſis.

CCII.

DUCI CURLANDIÆ.

Litteræ fidei.

Illustris Princeps Domine amice sincere nobis dilecte. Commisimus huic Generoso Christophoro Konarski Aulico nostro, quem ad Illustritatem Vestram misimus, ut cum Illustritate Vestra nonnullis de rebus nomine nostro ageret. Quamobrem Illustritatem Vestram hortamur, ut ejus verbis fidem habeat, & quæ ex eo intellexerit, ad ea studium & voluntatem suam adjungat. Datum ut supra.

Eodem modo Rigensibus. Spectabiles & Famati fideles nobis dilecti, &c.

CCIII.

CCIII.

DUCI CHRISTOPHORO.

Poſt propenſi in eum animi ſignificationem eum Vilnam invitat & optima quæque de ſe ſperare jubet.

ILluſtris Princeps, Domine Affinis noſter chariſſime. Pro ea, quæ nobis antiquitus cum familia Illuſtritatis Veſtræ intercedit, neceſſitudine, magnopere & antea dolebamus præberi nobis cauſam, aliis potius rationibus, quam ea, qua cœperamus benevolentia & officio cum Illuſtritate Veſtra decertandi, & nunc ſane dolemus multo magis redactam eſſe ex iis cauſis Illuſtritatem Veſtram ad hanc ejusmodi, nolumus dicere quemadmodum Illuſtritas Veſtra nominat, captivitatem, (aliena eſt enim prorſus ejus nominis invidia ab inſtituto noſtro Chriſtiano, & cum veteris ac mutuæ neceſſitudinis noſtræ, tum communis etiam humanitatis bene memori animo,) ſed tamen ad conditionem hanc, quam ſibi ſcribit Illuſtritas Veſtra, videri triſtem & perturbationis plenam. In quo tamen ipſo & nos ipſos reficit ac recreat, & reficere ac recreare Illuſtritatem Veſtram debet illud, quod ejus conditionis acerbitas nobis potiſſimum ad mitigandum divinitus tradita eſt, quibus cum Illuſtritate Veſtra tot cauſæ amoris & benevolentiæ intercedunt. Quamobrem bono plane & erecto animo Illuſtritatem Veſtram eſſe volumus, omniaque a nobis ſperare

rare

rare & expectare, quæ non modo a Chriſtiano & neceſſario Rege, ſed etiam ab amico indulgentiſſimo expectari poſſunt. Vilnam modo ad nos venire quamprimum Illuſtritas Veſtrane dubitet. Id enim maxime ea re agimus, ut & Illuſtritas Veſtra ex conſpectu ac ſermone noſtro levamen horum temporum ſuorum capiat, & nos quæ Illuſtritati Veſtræ præſtare in hoc ipſius ſtatu ac conditione decrevimus, præſenti potius quam abſenti præſtemus. Ita enim Illuſtritas Veſtra ſibi perſvadeat, ſi ulla unquam aut noſtra ipſorum in Illuſtritatem Veſtram & ipſius familiam, aut Divorum Majorum noſtrorum officia extiterunt, ea nos prorſus omnia vincere hoc tempore officio noſtro ac ſuperare conſtituiſſe. Modo ſe Illuſtritas Veſtra & in hoc, & in reliquum omne tempus ita componat, ut & nunc noſtri beneficii ejus gratiam cogitare, & in poſterum jucundam ejus memoriam conſervare videatur. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ III Septembris.

CCIV.

DUCI CURLANDIÆ.

Pecuniam ad perſolvenda militum ſtipendia transmitti nuntiat.

ILluſtris Princeps, Domine Amice ſincere nobis dilecte. Pecunia in perſolvenda militum ſtipendia jam parata eſt cum eaque nobilem Chriſtophorum Konarski, Aulicum & Secretarium noſtrum

ſtrum, Rigam mittimus, cui etiam negotium de controverſiis Illuſtritatis Veſtræ cum Rigenſibus cognoſcendis dedimus, Illuſtritas Veſtra per litteras eum certiorem faciet, num Rigæ expectare, an ad Illuſtritatem Veſtram proficiſci debeat: Et omnino Illuſtritas Veſtra providebit, ut pecunia, quæ mittitur, tuto & ſecure ad Illuſtritatem Veſtram poſſit pervenire. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum ut ſupra. &c.

CCV.

DUCI PRUSSIÆ.

Plane ei confidit, vel ideo quod ſolus ſibi de Erici Ducis molitionibus aperuiſſet, & multa cum illo de bono publico conſultat.

ILluſtris Princeps, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Pergratum eſt nobis ſtudium Illuſtritatis Veſtræ, in denunciandis his conatibus, quos videtur Ericus Dux adverſum ditiones noſtras ſuscepiſſe. Nos ſane quæ ſit in hoc genere opinio noſtra, ante diem fere tertium Illuſtritati Veſtræ perſcripſimus, perſvaderi videlicet nobis adhuc non poſſe, ipſum nulla a nobis laceſſitum injuria hoſtile aliquid adverſum nos præ ſe ferre. Sed tamen ne hæc, quæ nunciantur, pro nihilo habuiſſe videamur, ſcripſimus propere ad omnes terrarum noſtrarum Pruſſiæ ordines, ut proviſis maxime Iſtulæ omnibus aditibus, & portubus ac propugnaculis munitis, ipſi maxime res ſuas curent. Dedimus & ad ſenatum Regnino-

ſtri

stri litteras, per celeres tabellarios dimissas, eorumque sententias de adhibendo huic malo remedio quæsivimus. Inprimis autem an litteras, quibus universa Regni ditionumque nostrarum militia indicitur, scribi & per territoria omnia dimitti ac publicari oporteat. Quod nos sane remedium præsentissimum, ad propulsandos hostes, traditum| a majoribus nostris accepimus. Nam mercenarium militem, quem stipendiis hactenus nostris conduximus, multis de causis Moscho opponere necesse habemus. Qua de re tota, etiam sententiam Illustritatis Vestræ cognoscere avemus, inprimis autem si litteræ illæ decretæ per senatum fuerint, putetne Illustritas Vestra nos ipsos bello interesse, sic enim solitum est, oportere. Nobis quidem ipsis id videtur maxime fore necessarium. Interea quicquid istic emerserit, ad nos Illustritas Vestra diligenter, ut facit, & copiose perscribat. Nos plane cum eam rem attentius cogitavimus, demirari satis non possumus, quî factum sit, ut cum tot per Germaniam & paternis atque avitis necessitudinibus, & recentibus etiam amicitiis atque clientelis abundemus, a nemine tamen ante id tempus, de his consiliis atque conatibus certiores facti simus. Eam vero admirationem nostram illa etiam altera admiratio superat, quod ne ipsi quicquam Illustritati Vestræ ante id tempus significatum sit his de rebus, cum tamen Illustritas Vestra necessitudinibus, amicitiis, clientelis universam prope Germaniam compleviſſe videatur.

Utut

Utut eſt, Illuſtritatem Veſtram neceſſitati ipſi, ſi qua incuberit, magnopere nobis perſvademus, pro ſua parte non eſſe defuturam. Quam optime valere cupimus. Datum Vilnæ die quo ſupra, &c.

CCVI.

PALATINO BELZENSI.

Severe interdicit, ne iter in Sueciam, quod ſuſceperat, proſequatur.

MAgnifice ſincere nobis dilecte. Scripſimus antea S. Tuæ, quod etiam iterum atque iterum repetimus, mandantes illi ſerio modis omnibus, ut ne ſe ullo pacto in Sveciam hoc tempore conferat, quod bellum inter nos & Regem illum incrudeſcit tale atque tantum, ut neque nobis neque Reipublicæ expediat S. Tuam illuc interea proficiſci. Confidimus S. Tuam examinatis ſecum & perpenſis his rebus omnibus ad eum modum, quem oportet, ſe eſſe ab ea profectione, quam propemodum inſtituiſſe jam dicitur, cohibituram, domumque redituram. Quod ne aliter S. Tua faciat, mandamus pro gratia noſtra. Datum die quo ſupra.

* * *

Expe-

Expeditio litteratum Conventus Prussici in Septembri data Cubiculario Lanezki die IV Septembris.

CCVI.

EPISCOPO CULMENSI.

Ad conventus Prussicos eum vocat.

SIgismundus Augustus &c. Reverende in Christo Pater sincere Dilecte. Quantæ nunc nobis difficultates eodem tempore propositæ sint, in tuenda ditionum nostrarum salute & tranquillitate non arbitramur S. Tuam ignorare. Quacunque enim circumtulerit oculos, nullam partem Regni nostri periculo vacare animadvertet. Itaque cum officio nostro ad providendum omnibus his adigamur, tum Prussiæ sane incommodis tanto magis permovemur, quanto eam viciniorem esse malo arbitramur. Ad veteres enim metus a Livonia impendentes, videtur illi hoc tempore recens quidam terror objectus ac propositus esse & duorum potentum & vicinorum Regum sive dissidio inter se, sive fœdere & pactione, quorum alterum manifesto periculo, alterum autem suspicione ut minimum gravissimi periculi carere non potest. Quamobrem mittimus cum mandatis nostris internuntium nostrum ad hunc conventum proximum pro Festo divi Michaelis, qui conventus secundum postulata anni superioris omnium Ordinum ex his ter-

ris Thoruniam a nobis translatus est, ut de his & aliis rebus ad consiliarios & reliquos ordines nomine nostro referat. Hortamur autem S. Tuam, ut primo ad conventum territorii sui particularem, quem quidem Palatinus loci indicturus est, deinde autem ad ipsum Thorunensium terrarum illarum Generalem S. Tua profecta det operam, ut nuntii tam ad hunc istum terrarum Prussiæ Generalem Conventum, quam ad ipsa Regni nostri Universalia Comitia, quæ Varsaviæ ad diem Divo Martino sacrum indiximus, eligantur viri boni, & cum ad Reipublicæ dignitatem tuendam, tum ad amovenda ingruentia pericula instructi & animati, qui plenam de omnibus rebus statuendi, tam in Provinciali, quam in Generali Regni Conventu habeant potestatem, quæcunque sibi ex usu & dignitate Reipublicæ fore videbuntur. Ipsa autem quoque S. Tua ita se istic præsens gerat, ut maximam una cum aliis omnibus ordinibus necessitatis Reipublicæ, ac voluntatis nostræ, quam ex internuntio nostro cognoscet, rationem habuisse videatur. Pro officio suo & gratia nostra. Datum Vilnæ. &c.

Eodem exemplo Palatinis tribus. Tantum mutandum: Hortamur autem S. Tuam, ut particularem Conventum antea in suo Palatinatu secundum consvetudinem edicat, ad eumque primo, deinde vero ad ipsum Thorunensem terrarum illarum Generalem, S. Tua pro Palatini & Capitanei officio suo profecta, det operam &c.

CCVII.

CCVII.

ADMINISTRATORI VARMIENSI.

Ut Cardinalis Varmiensis partes in proximo Conventu Generali in se suscipiat, hortatur.

VEnerabilis devote nobis dilecte. Cum absit hoc tempore a provincia Reverendissimus in Christo Pater Dominus Cardinalis Varmiensis, D. autem Tua locum atque munus ejus per id tempus sustineat, volumus, ut quæ ad celebrationem Conventus Prussiæ Generalis, quem proxime ad diem Divi Michaelis Toruniam indiximus, D. Tuæ ex officio administratoris facienda incumbunt, ea suscipiat & sedulo ac diligenter perficiat. Inprimis autem ut ad præstitutum diem Toruniam se conferat, ibique ad voluntatem nostram, quam ex Internuntio nostro cognoscet, & ad horum temporum, ac Reipublicæ necessitatem se accommodet, accommodarique faciat, pro gratia nostra. Datum. &c.

LITTERÆ FIDEI.

Reverendi Magnifici Generosi nobiles & famati sinceri ac fideles dilecti. Mittimus ad S. & F. Vestras internuntium nostrum. Cui de rebus ad universam hanc provinciam pertinentibus, mandata ad S. & F. Vestras dedimus, volumus itaque ut ea cum exponet, & attente ab eis audiantur, & fides ei adhibeatur, & res ipsa, quæ in deliberationem S. & F. Vestrarum proposita fue-

rit, ſumma S. & F. Veſtrarum voluntate & conſenſu effectum ſuum conſequatur. Factura pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum. &c.

CCIIX.

CASTELLANO GEDANENSI.

Legato in Pruſſiam ituro quinquaginta marcas numerari jubet.

SIgismundus Auguſtus &c. Generoſo Joanni Koſtka Caſtellano Gedanenſi & terrarum noſtrarum Pruſſiæ Theſaurario &c. Fidelis nobis Dilecte. Mittimus venerabilem Andream Przerzbski, Canonicum Cracovienſem, Secretarium & Oratorem noſtrum, ad Conventum terrarum iſtarum Pruſſiæ Torunii ad diem Divo Michaeli ſacrum proxime celebrandum. Cui pro viatico deſtinavimus a F. Tua quinquaginta marcas monetæ & numeri Regni noſtri ex Theſauro terrarum Pruſſiæ recipiendas. Quamobrem F. Tuæ mandamus, ut eidem venerabili Andreæ Przerzbski, Oratori noſtro, quinquaginta marcas ſupra ſcriptas viſis hiſce litteris e terrarum Pruſſiæ theſauro numeret & tradat, pro gratia noſtra. Nos vero id ad rationem ſuſcepturi ſumus.

In cujus rei fidem
&c. &c.

CCIX.

INSTRUCTIO AD CONVENTUM TERRARUM PRUSSIÆ.

Quantum Prussiæ periculum ab hoste immineat demonstrat, & pecuniæ conferendæ necessitatem, & exigendæ rationem proponit.

REnunciata ordinibus omnibus terrarum Prussiæ gratia S. R. M. & salute dicta, nuntius ipse Majestatis ejus in eam sententiam verba faciet:

Cum Sacra Regia Majestas, Dominus noster Clementissimus, proxime superioribus Comitiis Marieburgensibus ad D. Vestras per Internuntium suum, de difficillimis Reipublicæ & provinciæ huic ingruentibus temporibus, quæ animo jam pridem providebat, deque aliis præterea rebus, quæ ad animi sui promptitudinem, & ad ærarii sui angustiam declarandam pertinebant, abunde & copiose referebat, existimabat fore, ut D. Vestræ aliquod tunc temporis illustre & singulare documentum statuerent, tum grati sui animi erga Majestatem ejus, tum etiam anxii & solliciti de communi sua salute & incolumitate.

Quo enim periculosioribus in malis versabatur Regnum & dominia Majestatis ejus, quo item propius ea terris præcipue D. Vestrarum imminere videbantur, hoc magis sibi Majestas ipsius persuadebat D. Vestras ordinia facturas fuisse, quibus & Reipublicæ huic in aperto discrimine constitutæ

inprimis consuleretur, & consilia Majestatis suæ, quæ sola rei nummariæ angustia debilitari videbantur, quamprimum corroborarentur.

Nunc etsi non omnes e D. Vestris eadem culpa obstrictos esse Majestas ipsius intelligit, (in multorum autem quoque studio erga se & Rempublicam acquiescit,) tamen hoc loco silentio prætermittere non potest, ingentem se nuper dolorem accepisse, ex majorum præcipue Civitatum angustis & nimium coarctatis erga se ac Rempublicam studiis. Quæ quidem Civitates cum & opibus maxime præ cæteris Ordinibus in his terris pollere videantur, & uberiorem omnibus in rebus tum Majestatis suæ tum Divorum Majorum Majestatis ejus gratiam expertæ fuerint, tamen in decernendo tributo conventus proximi Marieburgensis, quod ab eis vel summa Reipublicæ necessitas, videlicet Majestatis ipsius gravissima postulata, amplissimum impetrare debuerint, ita se parcos ac restrictos exhibuerunt, ut non modo Majestatis ipsius opinioni non responderint, sed etiam aliorum Ordinum studia in hoc genere prorsus retardarint. In quo ipso ita quidam ex illis obstinati extiterunt, ut ab eo proposito neque litteris Majestatis ejus privatim ad se scriptis, neque auctoritate Magnifici Palatini Marieburgensis atque Generosi Castellani Gedanensis, qui ad eos a Majestate Regia mittebantur, ulla ratione potuerint dimoveri.

Ac ostensa quidem antea Majestati Regiæ spes fuit sermonibus hominum, primo quoque tempore

pore justæ alicujus pecuniæ ex eo tributo, quod per D. Vestras imperatum esse in omnes ordines dicebatur. Verum cum responsum ipsum Comitiale ad Majestatem ejus missum esset, primum tanta varietas de sententia ejus responsi extitit, ut Majestas ejus, quid expectare inde debeat, plane intelligere non posset, deinde autem res quoque ipsa ostendit, omnia inferiora fuisse, quam scriptum ipsum prima fronte polliceri videbatur, cum quidem ex eo tributo parum adhuc admodum in ærarium Majestatis illius illatum sit, & Festum Pentecostes præterierit, ad quod universa ejus tributi summa Majestati illius, secundum instructionis postulata repræsentari debuit.

Itaque ergo factum est, ut Majestas Regia, quæ ejus maxime pecuniæ spe bellum Moscho non solum indicere, sed etiam facere decreverat, cujus belli exitus, propter multas rerum oportunitates, & propter attritas inprimis per Tartaros & afflictas hostis opes, Majestas ejus felices ac fortunatos providebat, ad prorogandas cum hoste inducias oportunissimo suo, hostis autem iniquissimo ad bellum gerendum tempore invita descendere necesse habuerit. Qua ex re dici non potest, quantum dolorem Majestas illius capiat, quantoque ob ereptam sibi hanc belli gerendi commoditatem in mœrore versetur.

Conduplicatur autem quoque hic dolor Majestati ejus his rebus, quæ nuper in hac D. Vestrarum provincia acciderunt. Cum enim principio quidem unum illud his terris periculum ex

Moscico videlicet & Svecico minus prospere, quod absit, gesto bello impendere videretur, deinde autem illo quoque novo proposito & objecto terrore non nihil augeretur, quod universa ejus belli moles, quam Daniæ & Sveciæ Reges summis opibus inter se apparant, sive in prælium & pugnam exisset, sive pactione ac fœdere cohibita ac compressa fuisset, magni alicujus metu periculi vacare non poterat, quod is qui se pro Magnifico Prussiæ gerit, nullam occasionem prætermittere diceretur, vigilando, agendo, solicitando, quacunque tandem ratione in Prussiæ dominationem, quam sibi vendicat, posset involare. Tamen hoc tempore videntur hæc omnia quæ metuebantur citius opinione in hanc provinciam irrepsisse, & nullo aut Moscici aut Svecici & Danici belli eventu expectato irruisse.

Externi enim exercitus copiæ versantur jam in provincia D. Vestrarum, quæ etsi hactenus in apertum adhuc bellum non eruperunt, tamen huic provinciæ incommodo non esse non possunt. Quamobrem illa D. Vestrarum excusatio, qua se ad Livoniæ aut Lithuaniæ defensionem nulla ratione teneri in responso proximiorum Mariemburgensium Comitiorum asserebant, etsi semper Regiæ Majestati imbellis videbatur, tamen hoc quidem tempore locum jam amplius nullum habet, cum D. Vestras non tam de Lithuaniæ aut Livoniæ propugnatione, quam de sua ipsorum vita & salute consulere oportet, neque magis cogitare, quomodo Livonia hostem, quem intra viscera jam pridem

pridem recepisse videtur, ejiciat, quam quomodo Prussia ipsa cervicibus jam suis impendentem removeat. Itaque Sacra Regia Majestas etiam atque etiam providendum esse D. Vestris existimat, ne quid amplius per desidiam, ut hactenus solitum fuit, ab illis agatur, sed ut omnia ad præsentis necessitatis rationem & suscipiantur a D. Vestris, & perficiantur, primum quidem obstructis omnibus in interiorem Provinciam aditibus terra, mari, flumine, munitis portubus, mœnibus, arcibus, propugnaculis, conscripto ex provincialibus hominibus & cum Ducalibus copiis conjuncto, ac ad Culmenses & Marieburgenses Palatinos, gubernatores designatos, deducto exercitu. Deinde autem quod caput est, publico aliquo ejusmodi in omnes ordines imperato, ac ad Regiam Majestatem ejus delato tributo, ex quo per Majestatem ejus provinciæ huic pro necessitate quamprimum subveniatur.

In quo quidem tributo decernendo illud inprimis a D. Vestris spectandum esse videtur, ut quemadmodum periculum ipsum nova quadem ratione provinciam hanc D. Vestrarum cæpit attingere, ex eo quod malum ipsum, quod longius adhuc aberat, pro foribus jam adstare, atque ex propiore loco urgere D. Vestras videatur, ita D. Vestras novam aliquam rationem tributi inveniant, quæ potentius quam hactenus urgens hoc malum, & in perniciem D. Vestrarum propemodum jam incumbens possit dimovere.

Quod quidem ad hunc modum Regiæ Majestati

ſtati recte conſtitui poſſe videtur. Primum ut duplicatum illud accilæ tributum, unum quod anno ſuperiore in Septembri, ad Novembrem anni præſentis duraturum, ab omnibus Ordinibus æqualiter approbatum, alterum huic æquale, quod hoc anno in Majo, ad Novembrem item & ad divi Martini feſtum pxoximum duraturum, per Majeſtatem ejus a D. Veſtris poſtulatum fuit, quæ utraque tributa ſimul & ſemel ad Feſtum Pentecoſtes præteritum repræſentari ſibi Majeſtas illius in proximo Conventu Marieburgenſi poſtulaverat, ut inquam duplicatum iſtud tributum, quicquid adhuc de illo ſuper eſt, ſimul & ſemel ad feſtum Divi Martini proximum, Majeſtati ejus ab omnibus Ordinibus repræſentetur, & in ærarium Majeſtatis ejus inferatur.

Alterum caput, ut ultra duplicatum id tributum Dominationes Veſtræ omnes communi conſilio, majoribus civitatibus, quæ proximis Comitiis Marieburgenſibus videntur hoc caput leviter fuiſſe prætervectæ, penſionem quoque imponant, ſecundum poſſeſſionum ac facultatum cujusque non ſolum immobilium, ſed etiam mobilium, & non tantum terreſtrium, ſed etiam civilium, & earum quæ mercibus continentur, modum atque rationem, prout videlicet equeſtris ordinis & minorum civitatum nuntii, proximo in Marieburgenſi conventu, ſibi ſuique ordinis hominibus omnibus impoſuerunt, atque in ærarium Majeſtatis ejus ad feſtum Divi Martini inferre promiſerunt. Neque enim æquum eſt, ut

ultra

ultra equestris ordinis libertatem major cuique libertas in his terris concedatur, vel ut onera & sumptus pro Republica majorum civitatum infra sumptum & onera minorum civitatum positi ac collocati esse videantur.

Tertium caput, ut accisæ tributum illud, quod nonnulli ex D. Vestris in proximo conventu Marieburgensi in annum sequentem prorogando æque duplicatum indixerunt, & ad festum instans divi Martini in fiscum inferre promiserunt, omnes ordines prorogent & indicant, atque simul & semel in Majestatis Regiæ ærarium ad festum Natalis Domini proximum inferant, sibi autem ipsis paulatim exigant. Ad eundemque hunc modum, ipsam quoque pensionem secundum rationem facultatum mobilium & immobilium, terrestrium ac civilium cujusque, in futurum annum jam nunc D. Vestræ in omnes ex æquo ordines decernant, & eam primo quoque sibi commodo tempore in ærarium Majestatis ipsius inferant.

Parva sunt, pro magnitudine belli gerendi & eorum periculorum, quæ terris istis imminere videntur, ea quæ Majestas ipsius a D. Vestris postulat, nihilque propemodum in iis continetur, quod non jam aut ante ab omnibus, aut proxime in conventu Marieburgensi a nonnullis ex D. ipsis Vestris susceptum ac Regiæ Majestati promissum sit. Et tamen Regiæ Majestati fidem D. Vestrarum erga Rempublicam & studium erga se intuenti gratissima prorsus sunt futura. Majestatemque ipsius ad omnia excitatura, quæcunque unquam

ad

ad salutem & ornamentum harum terrarum pertinere videbuntur.

Atque hoc quidem primum est, quod me D. Vestras Majestas ejus suo nomine hortari voluit.

Alterum est, quoniam ex decreto superioris conventus generalis Petricovienſis, alia Regni Comitia generalia instent celebranda, quibus & Magni Lithuaniæ Ducatus, & Osſviezimenſis & Zatorienſis & quarumcunque Prusiæ terrarum nuntios, unionis & executionis perficiendæ causa, adesse oportet, eaque comitia per Regiam Majestatem Varsaviæ ad diem Divo Martino sacrum indicta sunt, ut D. Vestræ nunc jam in eo conventu ejusmodi nuntios ex omnibus ordinibus designent, qui in illis Comitiis dignitatem harum terrarum sustinere, & cum unionis ac executionis negotia cum auctoritate tractare, tum etiam ex ordine suo reviſores omnium bonorum Regiæ mensæ in terris istis Prussiæ consistentium possint decidere, secundum constitutionem conventus proximi Petricovienſis. Quique præterea & de munienda ac firmanda adversus hostes hac provincia, communi cum aliis consilio agere, & cætera omnia, quæ ab aliis proposita ad Rempublicam pertinere existimaverint, cum plena facultate possint stabilire.

Instruent igitur eos, & armabunt D. Vestræ omnibus iis rebus, quas ad negotia ejusmodi necessarias esse judicabunt, maxime vero jura & privilegia omnia iis tradent, quæ ad recte instituendam executionem legum publicarum, in repetendis

endis possessionibus a mensa Regia illegitime alienatis, pertinere videntur, secundum rationem constitutionum in proximo conventu Petricoviensi editarum, & recessuum in aliquot Comitiis perscriptorum, quæ Comitia postremum Petricoviensem conventum antecesserunt. Decrevit enim prorsus Regia Majestas, ea quæ in hoc genere per Majestatem ejus cæpta sunt, ad exitum jam tandem perducere, & studiis omnium Regni sui ordinum in eo satisfacere. In quo tamen ipso habebit Regia ejus Majestas rationem summam, tum totius publicæ libertatis terrarum istarum, tum etiam privatorum privilegiorum, quæ legibus communibus non adversantur, quemadmodum id sæpissime apud D. Vestras fuit contestata.

Interea tamen dum Comitia Regni celebrantur, providebunt D. Vestræ, ne quid ea provincia alicunde detrimenti accipiat, firmabuntque & munient omnia muris, bombardis, copiis militaribus, ut ne hostis quispiam, maxime autem si quis adhuc intra fines ditionis istius existeret, oportunitate ista & absentia D. Vestrarum abusus aliquid interea damni dare possit.

CCX.

INSTRUCTIO DATA NUNTIIS REGIÆ MAJESTATIS AD ILLUSTREM PRINCIPEM DOMINUM ERICUM DUCEM BRUNSVICENSEM DIE V SEPTEMBRIS ANNO DNI. MDLXIII.

Ut

Ut copias ſuas a finibus Polonicis amoveat, multis eum rationibus hortatur.

NUnciata benevolentia Regiæ Majeſtatis & ſalute dicta Illuſtritati ejus in hunc modum verba facient Nuntii Majeſtatis ejus:

Meminit Sacra Regia Majeſtas, Dominus noſter Clementiſſimus, Illuſtritatem Veſtram, tum per litteras, tum per internuntium ſuum operam ſuam Majeſtati ipſius detuliſſe, ſe Majeſtati ipſius, cum aliquot equitum & peditum millibus ſadfuturam fuiſſe ad perſequendos Majeſtatis ipſius hoſtes atque inimicos, ſi Majeſtas ipſius ad tractandum de iis rebus cum Illuſtritate Veſtra nuntios & commiſſarios ſuos miſiſſet, pecuniamque in ſtipendium numerari juſſiſſet. Verum cum Regia ipſius Majeſtas aliunde jam rei ſuæ bellicæ proſpectum eſſe intelligeret, ſtudium quidem Illuſtritatis Veſtræ gratiſſimo prorſus animo accepit, re autem ipſa & copiis ab Illuſtritate Veſtra oblatis, opus ſe non habere reſpondit.

Quæ cum ita peracta eſſent, exiſtimabat Regia ipſius Majeſtas, & ſe humaniſſimi Principis officio erga Illuſtritatem Veſtram perfunctam eſſe, & Illuſtritatem Veſtram ſtudium ſuum in Majeſtatem illius aut alio tempore, aut in alio genere, declaraturam fuiſſe.

Nunc præter omnem expectationem, poſteaquam allatum eſt ad Majeſtatem ejus Illuſtritatem Veſtram contractis undequaque copiis adventare, & quaqua verſum ſtipendiarium ſe

Prin-

Principem Majestatis ejus profiteri, & jam jamque dominiis Majestatis ejus cum universo exercitu appropinquare, venit etiam Internuntius Illustritatis Vestræ ad Majestatem ejus, qui eadem Majestati suæ nunciavit Illustritatem Vestram cum copiis Majestati suæ auxiliaribus adventare, petens obnixe, ut Majestas ejus hoc Illustritatis ejus studium grato animo accipere, illamque cum suis copiis stipendiis Majestatis suæ contra Moschum militare patiatur.

Quod quidem Illustritatis Vestræ erga Majestatem ejus studium, etsi sit gratum Majestati suæ, præsertim si vere & ex animo fiat, quemadmodum Majestas sua sibi persvadet, & non aliquo simulato officio, ut nonnulli suspicantur, tamen quoniam Majestas sua hoc tempore nullis amplius externis copiis egeat, atque etiamsi maxime egeret, tamen nunc & hybernum tempus immineat ad bellum gerendum ineptum, & præterea induciæ sint Majestati suæ cum Moschorum Principe, miratur Majestas sua, quo consilio Illustritas Vestra hanc expeditionem minime necessariam alienissimo tempore susceperit, sibique hoc negotium facessierit, præsertim cum Majestas sua non modo non accersierit unquam Illustritatem Vestram, verum etiam cum Illustritas Vestra per litteras & internuntium suum operam suam Majestati suæ detulisset, Majestas sua responderit se opera Illustritatis Vestræ hoc tempore non egere, hortataque esset Illustritatem Vestram, ne hunc inanem laborem susciperet, & sumptum pariter atq; operam perderet. Qua

Qua etiam de cauſa Majeſtas ſua hoc tempore miſit nos ad Illuſtritatem Veſtram, primum ut illi nomine Majeſtatis ejus gratias ageremus, quod ſe tam promptam & paratam ad obſequia Majeſtatis ejus præſtiterit. Deinde ut hortaremur Illuſtritatem Veſtram, illique denunciaremus, quoniam Majeſtati ſuæ hoc tempore hæc obſequia Illuſtritatis Veſtræ non modo nullum commodum adferant, verum etiam maximo detrimento ditionibus Majeſtatis ſuæ futura videantur, ut ſe Illuſtritas Veſtra melioribus temporibus reſervet, quibus obſervantiam ſuam erga Majeſtatem ejus commodius declarare poſſit. Nunc autem quoniam & per anni tempus & per inducias res geri non poteſt, hunc exercitum, quocum Illuſtritas Veſtra venit, procul a finibus Majeſtatis Regiæ propere amoveat, ſubditosque Majeſtatis ejus omni periculo & formidine liberet, & ſibi denique aliunde quam ex his rem famam & nomen quærat.

Quod autem Illuſtritas Veſtra a Majeſtate Regia poſtulavit, ut ſibi ad Majeſtatem ejus cum levi aliquo comitatu venire ſaltem liceret, etſi Majeſtati ipſius Regiæ quolibet tempore conſpectus Illuſtritatis Veſtræ eſſet multo jucundiſſimus, cum propter cæteras dotes Illuſtritatis Veſtræ, tum etiam propter nomen familiæ Brunſvicenſis Majeſtati ejus conjunctiſſimæ, tamen cum nunc quidem Majeſtas ſua iter perneceſſarium propoſitum habeat ad Comitia Regni ſui Varſaviam proficiſcendi, quod quidem iter & primo quo-

que

que tempore ingreſſura eſt Majeſtas ejus, & rationem ipſius ita inſtitutura, ut nusquam niſi in loco ipſo comitiis deſignato posſit ſubſiſtere, non videt Majeſtas ejus quanam ratione hoc tempore Illuſtritas Veſtra ad Majeſtatem ſuam venire debeat. Niſi forte Varſaviam ad comitia ipſa venire velit, quadraginta ut plurimum equitibus comitata, propter loci illius anguſtiam & comitiorum frequentiam. Quod tamen ſi facere Illuſtritas Veſtra in animum induxerit; Majeſtati quidem ipſius primo quoque tempore ſignificabit, ab eaque reſponſum de eo expectabit, & ante omnia copias iſtas, quas ſecum adduxit, ex ditione Majeſtatis ipſius amovebit.

Ut autem interea intelligat Illuſtritas Veſtra re ipſa, eam ſignificationem ſtudii & obſervantiæ ſuæ, quam hoc adventu ſuo voluit Illuſtritas Veſtra Majeſtati ſuæ declarare, pergratam Majeſtati ejus eſſe, conſtituit Majeſtas ejus animo duorum millium talerorum ſtipendio Illuſtritatem Veſtram afficere, ſic ut id ſtipendium a Majeſtate ejus Illuſtritas Veſtra, dum vixerit, ſingulis annis percipiat, ea quidem conditione, ut Illuſtritas Veſtra promittat atque ſpondeat ſe adverſus Majeſtatem ejus nulli unquam nec conſilio nec facto interfuturam, nullique prorſus hominum contra Majeſtatem ejus ſtipendia eſſe merituram.

Quod cum Illuſtritati ejus nuntii Majeſtatis Regiæ retulerint, tum ſi quid etiam a Gedanenſibus aut ab aliis Ordinibus Pruſſiæ obtentum fuerit ad honorandam Illuſtritatem ejus, copiasque ipſius

aliquo honorario munere, id se illi quoque tradere declarabunt, ad majorem erga Illustritatem ejus copiasque ipsius gratiam & benevolentiam Regiæ Majestatis declarandam.

Quodsi Illustritas ejus post hæc omnia ad exercitum tamen ex ditionibus nostris deducendum non satis prompta fuerit, causasve ejus retinendi diutius nectere perrexerit, his eam verbis adhuc dehortari Nuntii nostri conabuntur:

Cum Regia illius Majestas necessitudinis ejus recordatur, quæ sibi cum Illustri familia Illustritatis Vestræ vetus intercedit, cum etiam recordatur se eam necessitudinem non modo nullo suo aut facto aut verbo violasse, sed etiam insigni illo suo officio confirmasse atque adauxisse, quod Illustrissimam sororem suam Illustrissimo Principi Domino Henrico Seniori Patruo Illustritatis Vestræ in matrimonium tradiderit; nollet sane præberi sibi causam ab Illustritate Vestra, alia ratione, quam quæ necessitudine ejusmodi & conjunctione mutua digna videatur, cum Illustritate Vestra decertandi. Vicissim autem quoque ex iisdem causis persvadere sibi non potest, Illustritatem Vestram, quæ nec revera a Majestate illius offensa sit, nec offensam se ulla re esse unquam quæsta fuerit, aliquid ejusmodi erga se ditionesque suas tentaturam esse, quod a mutua illa cum familia Illustritatis Vestræ conjunctione, multis ultro citroque officiis confirmata, abhorrere videatur, præsertim cum adhuc nihil hostile, quod absit, Majestati ejus ab Illustritate Vestra denunciatum

sit,

sit, qui mos solennis est omnium Christianorum Principum inter ipsos, ut bellum non ante suscipiant, quam denunciatum sit, & indictum.

Verum tamen quantum ex una parte Majestas illius Regia, & tranquillitatis publicæ studiosissima est, & amore ac benevolentia cum omni Principum Christianorum, tum propinquorum præcipue & necessariorum magnopere ducitur, tantum ex alia parte facile intelligit, dignitatem suam Regiam & salutem ac incolumitatem suorum subditorum, omnibus rebus necessario se anteferre oportere.

Quamobrem cuperet maxime, pro eo quanti Illustritatis Vestræ benovolentiam, tum subditorum suorum incolumitatem facit, ut ne Illustritas Vestra hæc duo in contentionem venire patiatur, & ab altera parte suam cum Majestate illius veterem conjunctionem, ab altera autem Majestatis ejus dignitatem & populorum Majestatis ejus salutem stare faciat, sed utrumque hoc potius conjungat, & integra Illustritatis Vestræ benevolentia Majestatem ejus, suam quoque dignitatem, & suorum populorum salutem ac incolumitatem tueri ac conservare permittat; quare nihil hoc tempore Majestati ejus ab Illustritate Vestra potest contingere jucundius.

Alioquin enim nisi hunc exercitum Illustritas Vestra abducit, in quo amovendo suam dignitatem populorumque suorum incolumitatem Majestas Regia agi existimat, Deos hominesque omnes Majestas illius contestatur, se volentem no-

lentem id demum suscipere oportere, pro boni Regis & boni Principis officio, ut dignitas Majestatis illius Regiæ, salusque & incolumitas subditorum Majestatis illius adversus quemcunque, qui eam oppugnare statuerit, defensa ac protecta esse videatur. Cujus tamen rei necessitatem neque sibi Majestas ejus ab Illustritate Vestra impositum iri sperat, & sane ne imponatur magnopere, ab Illustritate Vestra etiam atque etiam postulat. Hæc sunt quæ interea Regia Majestas cum Illustrissimo Domino Erico Duce Brunsvicensi per Internuntium suum suo nomine agenda præscribit. Quoniam autem ex mandato Majestatis ejus, primum omnium Nuntius Majestatis ejus ad Illustrem Dominum Prussiæ Ducem divertet, precabitur Illustritati ejus fausta ac felicia omnia, agetque diligenter, ut quæ præterea Illustritas ejus nomine Majestatis ipsius agi cum Duce Brunsvicensi oportere existimet, de iis omnibus diligenter ipsum instruat, & collegam denique adjungat, qui secum Illustritatis ipsius nomine ad Ducem Brunsvicensem proficiscatur, omnibusque gerendis rebus nomine Illustritatis ejus sibi adsit.

CCXI.

EIDEM ERICO DUCI BRUNSVICENSI.

Litteræ fidei.

ILlustris Princeps, Domine affinis noster charissime. Etsi superioribus diebus eadem de re cum Illustri-

Illuſtritate Veſtra per litteras egimus, ut conſilium hoc profectionis ſuæ cum exercitu ad ditiones noſtras deponeret, tamen quoniam audimus nihilominus Illuſtritatem Veſtram iter ſuum deſtinatum proſequi, & ditionibus noſtris appropinquare, mittimus hunc Generoſum Georgium a Baſen aulicum noſtrum ad Illuſtritatem Veſtram, cui ut Illuſtritas Veſtra ſecum nomine noſtro agenti fidem habeat, magnopere ab illa poſtulamus. Bene valeat Illuſtritas Veſtra. Datum Vilnæ die V Septembris.

CCXII.

PAPÆ PIO QUARTO.

Novo Epiſcopo Camenecenſi ſacerdotia omnia non in unum tantum annum, quod quidem Pontifex indulſerat, ſed & in ſequentes annos permitti cupit.

BEatiſſime Pater &c. Petieram a Sanctitate Veſtra diligenter, ut Reverendo in Chriſto Patri Domino Dionyſio Seczygniovski ad Epiſcopatum Camenecenſem, ad quem illum S. Veſtræ proximo Martio præſentaveram, reliqua ipſius ſacerdotia omnia & ea quæ ſacerdotiis adnexa ſunt, ut domus & prædia, gratia Sanctitatis Veſtræ retinerentur, ut ita videlicet dignitatem Epiſcopi, quam ex Epiſcopatus ipſius exiguis, & per Scythas devaſtatis fructibus tueri non poteſt, poſſet aliqua ratione ſuſtinere, quod ego ſane non tam ipſius cauſa, (quamquam omnino &

dignitatem & fortunas ejus, propter ipsius singularem virtutem & studium in Rempublicam curæ esse mihi res ipsa loquitur,) quam religionis ipsius causa, quæ mihi Episcoporum dignitate magnopere niti videtur, a Sanctitate Vestra petieram. Nunc petitioni meæ tantum a Sanctitate Vestra tributum esse intelligo, ut ei possessio & fructus sacerdotiorum suorum ad unius tantum anni decursum retinerentur. Quamobrem etsi nunc quidem in animo est, si qua ampliioris alicujus Episopatus vacatio intra hujus decursum anni obtigerit, ipsum, quoad ejus recte facere potero, ampliori inter Episcopos gradu collocare, sic ut minorum istorum sacerdotiorum extraordinaria retentione opus non habeat, tamen interea dum se mihi honestandi ipsius uberior offert occasio, a Sanctitate Vestra peto & quæso, ut eum sacerdotia sua omnia, eorumque, ut dixi, commoda adnexa retinere cum Episcopatu patiatur, decretis ad eam rem diplomatibus necessariis & oportunis, ne ego, qui augere eum profecto & ornare volui, diminuisse illum non solum dignitatis, sed etiam ipsius vitæ necessariis præsidiis videar. Confido id Sanctitatem Vestram facturam esse, quam optime valere cupio, cuique me ac Regnum dominiaque mea omnia studiosissime commendo. Datum Vilnæ V Septembris.

CCXIII.

CCXIII.

TICINIO.

Commendat ipsi litteras ad Papam missas.

VEnerabilis devote nobis dilecte. Ex exemplo litterarum, quod ad D. Tuam mittimus, quid a S. D. nostro petamus, cognoscet. Dabis igitur quam maxime operam, ut in ea re desiderio nostro prorsus satisfiat. Intelligit enim ipsa D. Tua petitionem nostram summa niti æquitate, ejusque rationem eam esse, ut refutari a S. ipsius non debeat. Datum ut supra.

CCXIV.

GEDANENSIBUS.

Dolet nim nullam vicinos & fœderatos Principes Erico Duci opposuisse, & nondum animum despondens, exercitus Livonici bonam partem adversus illum adducturum se promittit.

SPectabiles & Famati, fideles nobis dilecti. Non arbitramur F. Vestris memoria excidisse, nullum nos tempus prætermisisse admonendi F. Vestras & reliquos terrarum istarum Ordines, ut imminentibus periculis per tempus occurrerent, seque ita compararent, ut bellum non modo in suis terris, (id enim profecto, tam subitum præsertim, non metuebamus,) sed etiam in terris Livoniæ nullum haberetur. Usu enim compertum est belli calamitates, non solum ad vicinos usque, sed etiam ad remotiores redundare. Quas sane admonitiones nostras non sine causa extitisse res

ipſa nunc oſtendit. De Duce Erico cum exercitu adventante paulo ante cognovimus, quo magis mirum nobis eſt, a nemine nos ex iis, per quorum ditiones iter feciſſe dicitur, cum ſint ex conſanguineis, affinibus, feudatariis noſtris, de eo fuiſſe factos certiores. Et tamen, ut in tam ſubita re fieri potuit, litteris e veſtigio ad F. Veſtras & reliquos terrarum iſtarum Ordines, ad Illuſtres item Pruſſiæ & Pomeraniæ Duces dimiſſis, eos diligenter hortati ſumus, ad ſumenda arma adverſus hos ejusmodi tumultus, ad claudendos omnes Iſtulæ aditus, ad portus & propugnacula firmanda ac munienda, ad cætera denique omnia facienda, quæ ad arcendum & prohibendum hoſtem pertinere videantur. Ad quod nunc etiam intrepido prorſus animo aggrediendum F. Veſtras iterum atque iterum hortamur. Scripſimus ad Regni etiam ipſius noſtri Senatores, & Conſiliarios, ut quanam potiſſimum ratione huic malo obviam iri poſſe exiſtiment, conſilium nobis ſuppeditent. Stat enim nobis prorſus ſententia, non deeſſe F. Veſtris omni auxilii noſtri genere: & quanquam, uti noverunt F. Veſtræ, omnes noſtri in provincia annui reditus, omnes arces, omnia prædia, vectigalia omnia, quibus & pro quibus principio bella gerere conſueverunt, ea omnia ſumma & ſingulari benignitate ac beneficentia noſtra, in privatos quosdam ita a nobis tranſlata ſunt, ut nobis ipſis nihil iſtic pœne reliqui ſit factum, tamen quemadmodum antea ſemper officium noſtrum, & charitatem Reipublicæ

omni-

omnibus allis rebus antepoſuimus, ita nunc quoque facturi ſumus,& interim dum aliæ copiæ contrahuntur, ejus exercitus, quem ad defendendam oram Livonicam adducturi eramus, bonam partem abripientes, ſic ut decem millia ſaltem inſtructa habere poſſimus, hoſtibus F. Veſtrarum opponemus, & ipſi, ſi ita neceſſe eſſe viderimus,obviam procedemus, ut intelligi poſſit nos ſubditorum noſtrorum ſaluti nil prorſus anteferre. Modo F. quoque Veſtræ rebus ipſæ ſuis ne deſint,& quidquid ſecutum deinde fuerit, terrarum iſtarum Conſiliarios, & Pruſſiæ atque Pomeraniæ Duces & nos ipſos inprimis omnibus de rebus certiores faciant. Datum Vilnæ ut ſupra.

Pari modo ſe habent litteræ ad Elbingenſes.

CCXV.

DUCI PRUSSIÆ.

Commendat ei Legatum ad Ericum Ducem deſtinatum.

ILluſtris Princeps, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Mittimus Generoſum Georgium a Baſen, aulicum noſtrum, cum inſtructione ad Ducem Ericum Brunſvicenſem, cui mandavimus, ut primum ad Illuſtritatem Veſtram diverteret, inſtructionemq; noſtram Illuſtritati Veſtræ exhiberet, ut videret, an quid præterea addi aut mutari in ea oporteat. Quare ab Illuſtritate Veſtra petimus, ut eum omnibus rebus, quæ ad recte conficiendam hanc legationem pertinent; inſtruat, ſuoque nomine Collegam ipſi adjungat, qui

una profecti ea agant conjuncto nomine, quæ maxime ad rem præsentem accommodata esse videbuntur. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Vilnæ sexta Septembris.

CCXVI.

CAPITULO VARMIENSI.

Arcem Heilsbergensem probe adversus vim omnem communiri jubet, & quibus exercitus imperium demandaverit, nuntiat.

VEnerabiles devote nobis dilecti. Qui motus nuper in his terris exorti sint, irruptione externi istius exercitus insperata, non arbitramur D. Vestras ignorare. Quamobrem cum in hac perturbatione reliquos omnes Ordines officii illorum admoneremus, ut pro se quisque adsummovendum hunc exercitum adniteretur, prætermittere quoque noluimus, quin D. Vestras commoneremus, ut cum intelligant magnum momentum esse in Prussiæ terris, ut arx Heilsbergensis in potestate Episcopi conservetur, nec ad cujusquam alterius potestatem deveniat, dent operam, ut tam ejus arcis, quam totius Episcopatus reliqua propugnacula omnia tum muro tum milite diligenter firment atque muniant, ne qua eo aut per vim, aut per fraudem irruptio cuiquam patere possit. Idque etiam hoc diligentius faciant, quod intelligunt licentiam militarem, bonis præcipue ac possessionibus Ecclesiasticis insidiari, in quibus occupandis dolus an virtus extiterit,

rit, non exiſtimant requiri oportere. De omnibus autem rebus ad Ordines terrarum illarum, ſi quid opus ſit, & ad nos referant, ut huic malo quam primum obviam iri poſſit. Aliter ne faciant D. Veſtræ pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum ut ſupra, &c.

Deſignavimus Ductores & Gubernatores copiarum Pruteniarum per id tempus Magnificos Culmenſes & Marieburgenſes Palatinos. Volumus itaque, ut D. quoque Veſtræ ex eorum conſilio rebus ſuis interim proſpiciant, ad illosque referant.

CCXVII.

CARDINALI JARNESIO.

Ejusdem argumenti.

SIgismnndus Auguſtus &c. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino &c. Salutem. Reverendiſſime in Chriſto Pater, Domine & amice noſter chariſſime. Petieramus non ita pridem a S. D. noſtro, ut cum Epiſcopatu Camenecenſi, ad quem proximo Martio Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Dionyſium Seczygniovski præſentaveramus, recentiorum aliorum minorum ſacerdotiorum, quæ ante Epiſcopatum poſſidebant, & reliquorum commodorum omnium, quæ iis ſacerdotiis adnexa ſunt, ipſi permitteret, propter tenues admodum & in dies decreſcentes Scytharum irruptionibus fructus Epiſcopatus illius. Nunc iſtic præter annuam tantum retentionem nihil impetratum eſſe audimus. Quamobrem iterum

Sancti-

Sanctitati ejus ſcribimus, rogantes Sanctitatem ejus, ut retentionem hanc eousque produci jubeat, dum per nos ei de ampliori aliquo Epiſcopatu proviſum fuerit. Eam petitionem noſtram ut Reverendiſſima Paternitas Veſtra curæ habeat, magnopere petimus. Cum enim ejus Epiſcopatus reditus tam tenues ſint, nollemus ſane videri eum quem augere & ornare voluimus, ad inopiam redegiſſe, quæ res etiam ad infamiam dignitatis Epiſcopalis vehementer redundaret. Erit id nobis a Reverendiſſima Paternitate Veſtra gratiſſimum. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnæ VI Septembris anno quo ſupra.

CCXVIII.

RESOLUTIO AD RESIDUA CAPITA DELIBERATIONIS PROPOSITÆ DATA NUNTIIS ET COMMISSARIIS REGIÆ MAJESTATIS POLONIÆ, QUI STETINI AD XXI SEPTEMBREM CUM NUNTIIS ET COMMISSARIIS SERENISSIMI REGIS DANIÆ SUNT CONVENTURI SEPTIMA SEPTEMBRIS.

Primum quid ex iis quæ poſtulaverat Rex Daniæ, concedi, tum quid vicisſim poſtulari vel a poſtulatis remitti queat, & quæ alia a legatis proponenda ſint, prolixe recenſetur.

AD ea capita, quæ ex reſolutione articulorum de ineunda ſocietate cum Sereniſſimo Daniæ

niæ Rege superfuerunt, quæque ad nos pro iterata resolutione nuper per Nobilem Michaelem Brunno, Secretarium nostrum, missa sunt, cupivissemus sane ad omnia resolutionem ejusmodi hoc etiam tempore Nuntiis & Commissariis nostris dare, qualem maxime Nuntii ac Commissarii Sereniſſimi Daniæ Regis expectare a nobis ac postulare videntur. Nihil enim profecto ad eam societatem negaturi essemus, quam videmus summa utriusque nostrum cum Serenitate ejus voluntate cœptam ac institutam, atque adeo ad extremum jam fere perductam esse.

Sed si promittere ea non potuimus, quæ partim re ipsa præstari a nobis non possunt, partim ejusmodi existunt, ut ne promitti quidem posse videantur, ea certe quæ in potestate nostra erant, dedimus operam, ut ad hanc societatem summa cum animi nostri alacritate contulisse videamur.

Nam quod de octo navibus armandis ad bellum atque instruendis postulatur, id, quemadmodum semel jam a nobis ab initio statim tractationum ipsarum ostensum fuit, prorsus hoc tempore non est nostræ facultatis. Cum enim mari bellum gerere soliti adhuc non simus, intelligi potest, quam difficilis & ad præsentem necessitatem minus expeditus apparatus noster futurus sit, si naues ejusmodi nobis essent instruendæ.

Etsi enim in ditione nostra, Deo gratia, civitates habeamus maritimas quæ navibus non destituuntur, tamen eæ quidem naves privatis ipsorum

Digitized by Google

rum civium usibus, & mercaturæ fere tantum exercendæ serviunt, bello gerendo aptæ esse non possunt, & si possent, nos cives ipsos contra illorum voluntatem eo adigere non possemus, ut eas bello gerendo suppeditare cogerentur. Nam & privilegiis singularibus Divorum Majorum nostrorum civitates ipsæ maritimæ munitæ sunt, & nos non ex arbitrio & potestate nostra, sed ex præscripto legum & institutis majorum, subditis nostris imperamus.

Præterea autem cum nos a Sereniſſimo Daniæ Rege nihil auxilii ad vexandas & affligendas Svecicas in Livonia copias flagitemus, æquissimum nobis videtur, ut nos quoque ab auxiliis ad Sveciam oppugnandam ferendis, liberi prorsus simus & immunes. Id enim prorsus societatis ratio requirere videtur, quæ in æqualitate potissimum est constituta, præsertim cum nos nihil ex iis rebus, quæ Sereniſſimus Rex Daniæ in Svecia bello quæsierit, nobis vendicare, aut ex ea societate usurpare velimus, imo ea omnia potestati & arbitrio Sereniſſimi Regis Daniæ libenter concedimus.

Alterum quod per Nuntios & Commissarios Sereniſſimi Regis Daniæ a nobis postulatur, de Pernovia & Padis concedenda Serenitati ejus, id quidem utinam aliquando tam sit in potestate nostra, quam vellemus. Ostenderemus enim profecto Serenitati ejus, non exiguam & non nisi necessariam aliarum rerum, maximam autem gratificandi Serenitati ejus rationem habere.

Nunc

Nunc cum omnia adhuc in fortunæ, vel in Dei potius ipsius arbitrio sint constituta, omnis de his rebus, quæ hoc tempore instituitur, pactio redditur difficilior. Sed tamen ut in hoc etiam genere Serenitati ejus ostendamus, nos societatem hanc cum Serenitate ipsius publicæ rei magis quam ullius privati compendii nostri gratia inire velle, Pernoviam quidem ipsam nuntii nostri ab hac ejusmodi pactione excipient, neque se ad ullos de ea tractatus faciendos interponent: sed si nos unquam Deus Optimus Maximus Weisensteino & Padi potiri concesserit, dicent nos de his duobus, animum Serenitatis ejus plane contentum esse reddituros, jusque nostrum si quod super hæc, victoria consecuti fuerimus, in Serenitatem ejus esse translaturos, citra tamen aliorum quorumcunque hominum præjudicium.

Quod si porro commissarii Sereniſſimi Regis Daniæ Pernoviam postulare perrexerint, dabunt principio operam Commissarii nostri, ut illos ab eo postulato cum petendis pro exercitu nostro Danicis in Livonia assiduis auxiliis, tum aliis etiam adinventis duriusculis ex parte nostra conditionibus possint dimovere. Quod si efficere non poterunt, id agent, quod se in hoc genere videbunt posse obtinere, & si aliter fieri non poterit, dicent nos ipsa etiam Pernovia non minus quam Padi, si per DEi gratiam potiti fuerimus, Serenitati ejus esse concessuros, Weisensteinium autem nobis reservaturos.

Postremum postulatum erat de confirmanda tracta-

tractatione quadam de arce & districtu Sonebergensi cum Præside ejus arcis facta, cujus quidem tractationis ratio omnis quoniam prorsus nobis incognita est, dabunt operam nuntii Serenissimi Regis Daniæ, ut eam, sicuti facta fuit, ad nos mittant descriptam authentice. Nos autem curabimus, ut quæcunque a nobis in hoc genere honeste concedi poterunt, animo promptissimo concessa a nobis esse videantur, Interim autem providebunt nuntii nostri, ne quid ea res tractationem, atque adeo supremam ipsam constitutionem societatis remoretur.

Atque hæc quidem ratione postulatorum ex parte Serenissimi Regis Daniæ. Ratione autem eorum, quæ ex parte nostra per Commissarios nostros postulantur, sic agent:

Principio si resolutionem nostram ad Serenissimi Danorum Regis postulata, ex sententia nostra procedere viderint, remittere Commissarii nostri poterunt de priori illo postulato suo, quæ auxilia subditorum Daniæ Regis in Livonia exposcere ad exercitum nostrum videbantur, illa tantummodo conditione reservata, de qua inter ipsos & Serenissimi Daniæ Regis Commissarios in decisione articuli decimi quinti conventum esse videmus, ut videlicet si alter alterius opem extra ordinem indigeret, ne illi studium, operam, consilium, copiæ etiam alterius deesse videantur, pro temporis & rei ipsius necessitate; Atque adeo remittendo ipsi ultro de hoc postulato auxiliorum Danicorum, ipsos quoque ad remitten-

tendum de suis postulatis comiter invitare conabuntur.

Illud modo omni studio & diligentia urgebunt, ut Illustris Dominus Finlandiæ Dux fœderatus noster pro amico habeatur, nec quicquam in illum hostile ab exercitu Danico attentetur. Si enim nos ipsi omnes Sereniſſimi Daniæ Regis fœderatos pro amicis libenter agnoscemus, nec sine iis ad tractationem transactionis descendendum esse per ipsos Commissarios nostros spopondimus, æquum esse putamus, ut vicissim Serenitas ejus vel saltem in gratiam nostram Illustrem Dominum Finlandiæ Ducem, non solum fœderatum, sed etiam affinem nostrum, amici prorsus loco ducat & existimet. Quod si quid est, in quo Serenitas ejus ab Illustritate ejus se esse offensam existimet, omnia poterunt Serenitati ejus studio & opera nostra ab Illustritate ejus cumulate resarciri. In quo nos quidem paratissima nostra officia offerimus Serenitati ejus.

Reliquis etiam fœderatis nostris eadem ratione Nuntii & Commissarii nostri providebunt, ut pro amicis prorsus habeantur, in his sunt, præter populos, qui ditione nostra continentur, & præter Finlandiæ & Curlandiæ Duces, quos pridem nominavimus, ipse etiam Dux Prussiæ, & Duces omnes Pomeraniæ.

Quod vel ideo maxime hoc tempore commissariis nostris notum esse volumus, & quoniam ad nos affertur quosdam ex Principibus Germaniæ summe in id incumbere, conventu etiam com-

muni constituto, ut inter Daniæ & Sveciæ Reges pacem concilient, dent operam quam maximè. Commissarii nostri, ut nos quoque & populi fœderatique omnes nostri ea pace comprehensi esse videamur, si quæ in illo conventu fuerit constituta. De quo etsi nos quoque ipsi ad Serenissimum ipsum Daniæ Regem scripsimus, tamen Nuntii & Commissarii nostri, qui hoc tempore a conventu Principum pacificatorum non omnino istic longe abesse videntur, providebunt suo summo studio, ut in ea quoque parte mandatis nostris prorsus satisfiat.

Dabunt etiam operam Commissarii nostri, ut cum dimissi fuerint milites a Serenissimo Rege Daniæ, sive confecto, sive etiam non confecto bello, procul a ditionibus nostris iter illic constituatur, ne per licentiam militarem ejus præsertim militis, qui & Duce careat, & sacramento militari sit solutus ac, liber aliquid detrimenti ditiones nostræ capiant.

CCXIX.

EPISCOPO CULMENSI.

Johannem Valck Proconsulem Culmensem ejus tutelæ commendat.

REverende in Christo Pater sincere nobis dilecte. Delatum est ad nos nomine nobilis Joannis Valck Proconsulis Culmensis esse quosdam homines, qui injurias suas, quas se ab illo perpeti prætendunt, non jure persequi, sed vi ac potentia ulcisci cupiunt. Etsi autem is nullius sibi rei adver-

adversus illos sit conscius, tamen ab insidiis eorum tutus esse non potest. Quod nos quidem, uti publicæ tranquillitati & nostræ auctoritati adversum iniquo prorsus ferentes animo, fidemque & virtutem præfati Joannis Valck commendatam habentes, eum S. Tuæ commendandum duximus, uti commendamus, postulantes ab ea, ut auctoritate sua prædicto Joanni Valck de securitate prospiciat, eumque in patrocinium suum recipiat, detque operam, ut sub protectione ipsius, a vi & potentia quarumcunque personarum sub jurisdictione S. Tuæ commorantium securus atque tutus quiete & pacifice, ubicunque locorum versari, ac de objectis non ferro dimicare, sed in judicio respondere possit. Factura S. Tua in eo rem nobis gratam, & publicæ tranquillitati consentaneam. Quæ bene valeat. Datum ut supra.

CCXX.

DUCI PRUSSIÆ.

Probat ejus de debellando Erico Duce consilium, quod opem sibi obtrudere neque gratis & tempore alieno videatur, spemque sui adventus ei facit maximam.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. In his rebus, quas ad nos Illustritas Vestra de Illustri Principe Erico, Duce Brunsvicensi sæpe & copiose perscribit, utrumque probamus in Illustritate Vestra, & studium ipsius singulare erga nos, quod nobis nunquam facere restatum prætermittit, & præsens atque expedi-

tum consilium. Nobis quidem sic videtur, Ducem eum, quemcunque is prætextum adferat adventus ad nos sui, omni ope nostra reprimendum esse. Timendos enim prorsus esse Danaos etiam dona ferentes arbitramur. Neque autem suspicione gravi carere res potest, quod is qui non modo a nobis accersitus non fuit, sed etiam opera ipsius, quam nobis ultro deferebat, visa sit nobis hoc tempore non necessaria, sicuti ex nostris & Illustris Domini Alberti Magapolensis Ducis litteris potuit cognoscere, nihilominus huc venerit, & exercitu stipatus fines ditionum nostrarum invaserit, ejusmodi præsertim crepans sermones, quales nobis ab Illustritate Vestra perscribuntur. Recte igitur facit Illustritas Vestra, & ut porro idem faciat, illam magnopere etiam atque etiam hortamur, quæ illum Istulæ transitu porhibere constituerit. Qua de re nos quoque ipsi ante dies aliquot litteras ad Dantiscanos dedimus, ut communi cum Illustritate Vestra consilio illum & transitu prohibeant, & quantum possunt extra suos fines summoveant, tantisper dum nos illis auxilia submittimus. Quod nisi nos ejus necessitudinis ratio permoveret, quæ nobis cum Brunsvicensi familia arcta, ut scit Illustritas Vestra, intercedit, nos quidem tractationi ulli locum vix relinqueremus, & e vestigio omnibus nostris viribus ad summovendum hunc exercitum progrederemur. Quanquam ne id quidem plane negligimus, dum modo quæ sit in hoc genere Senatus Regni nostri sententia, cognitum habeamus. Ac videmus nos

quidem

quidem idem illud, quod scribit Illustritas Vestra, malum esse, studio & opera ejus prorsus ad rem nullam uti velle, pejus etiam in eo, quod ipse defert, uti velle, sed præter id quod res ipsa tota nobis est permolesta, quanam interim alia ratione consilium nostrum expediamus, quam ut conatibus istis repugnemus, non videmus. Nam de annuo stipendio, quod ad nos Illustritas Vestra desumptum ex Serenissimi Regis Daniæ exemplo perscripsit, primum volumus, ut id secum Illustritas Vestra etiam atque etiam consideret, num id satis cum dignitate nostra sit futurum. Summa enim duorum millium florenorum non conturbamur, ut, si ita visum fuerit, ornare illum hoc ejusmodi annuo stipendio magnopere dubitemus. Sed illud providendum esse existimamus, ne id non tam per benevolentiam nostram obtentum a nobis quam metu extortum esse videatur. De quo cum sententiam Illustritatis Vestræ cognoverimus, nos quoque ipsi considerabimus. Interim Illustritas Vestra & rebus & officio suo ne desit, exercituique huic & ad Istulam, & ubi potest maxime obsistat. Nos, ut diximus, primum nomen ipsum Brunsvicensis familiæ nobis conjunctissimæ non nihil remoratur, ad quod accedunt denique hæc nondum satis explicata Lithuanica negotia, quæ privatorum plerisque simultatibus & dissensionibus quotidie involvuntur. Ad extremum autem Comitiorum Regni cogitatio nos tenet occupatos. Et tamen ne sic quidem officio nostro deerimus, et si Lithuanica negotia

cito, ut speramus, explicaverimus, ante Comitia adhuc fortassis istuc excurremus. Sin minus ductores jam nunc & Gubernatores Magnificos Culmenses & Marieburgenses Palatinos designamus, cujus dicto copiæ ditionum nostrarum, quæ istic coactæ fuerint, in omnibus pareant, atque obediant. De illis qui se ab alia parte regnum nostrum invadere minantur, jam pridem inaudiimus, finitimosque paratos esse jussimus, si quid certius ad nos adfertur, neque nos Illustritatem Vestram celabimus, & ab ipsa viciissim, si quid in eo genere habuerit, certiores fieri volumus. Bene valeat Illustritas Vestra. Datum Vilnæ die IX Septembris.

Ad Ducem Ericum designavimus Internuntium Generosum Georgium a Bausen aulicum nostrum, quem ad Illustritatem Vestram divertere, mandataque & instructionem nostram Illustritati Vestræ exhibere jubebimus, ut de consilio ipsius & mandata nostra exequatur, & collegam aliquem adjunctum habeat, sive ex Palatinis nostris Prussiæ, sive ex aliis qui maxime ad eam rem accommodatus Illustritati Vestræ videbitur.

CCXXI.

AD ORDINES PRUSSIÆ.

Adversus Ericum Ducem vim ut adhibeant, monet.

UNiversis & singulis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, nobilibus, cæterisque cujuscunque status, dignitatis & conditionis subditis nostris,

ſtris, ubicunque locorum in terris noſtris Prusſiæ conſtitutis, quicunque ad expeditionem bellicam ſecundum leges & conſvetudinem terrarum illarum tenentur, S. & fidelibus dilectis, gratiam noſtram Regiam. S. & fideles nobis dilecti: Non levibus autoribus ad nos perfertur motus non leves nunc in terris Pruſſiæ excitari, propterea quod Illuſtris Princeps Ericus, Dux Brunſvicenſis, conſcripto milite, copiisque inſtructis, in ditiones noſtras adventum parare, terrisque Pruſſiæ jam jam imminere dicatur. Etſi quidem is ipſe palam atque publice præ ſe ferat, ſe in ditiones noſtras propterea contendere, quod a nobis contra hoſtem noſtrum Moſchorum Principem auxilii præſtandi gratia vocatus & ſtudioſe requiſitus eſſe deberet, quod quidem etiam nunc nobis per nuntium ſuum denunciavit, ſed quoniam nos omnino non agnoſcimus, eum aliquando eo nomine a nobis vocatum aut requiſitum fuiſſe, imo vero probe memoria tenemus, dum ille nobis aliquoties ejus rei gratia operam ſuam per internuntios nonnullos ſuos obtuliſſet, illi a nobis denunciatum fuiſſe, nos interea temporis opera illius non indigere, inprimisque hoc tempore, cum & inducias cum Moſcho habeamus, & tempus nunc hybernum appetat, quod gerendo bello minime eſt accommodatum. Proptereaque cum hæc Illuſtritatis ejus in ditiones noſtras profectio, cum tanto præſertim milite, tantoque apparatu bellico, atque quod majus eſt, præter ſcitum, conſenſum & voluntatem noſtram, nobis non

poſſit eſſe non ſuſpecta, vereamurque ne per eum Illuſtritatis ejus per terras Pruſſiæ tranſitum, ditionibus illis noſtris aliquid damni aut adverſi accidat, etſi quidem in illis terrarum Pruſſiæ ditionibus noſtris nihil fere bonorum noſtrorum nobis reliquum eſſe ſcimus, quæ tueri & defendere debeamus, cum ferme omnia bona noſtra S. & F. Veſtris partim omnibus in genere, partim multis earum in ſpecie a nobis diſtributa ſeu donata per easdem S. & F. Veſtras poſſideantur, memores tamen debiti noſtri Regii curam & ſollicitudinem noſtram de avertendis a ditionibus illis noſtris periculis & adverſis eventibus quibusvis intermittere nequaquam voluimus. Cum vero per hos ſuperiores annos bello Moſcovitico implicati & diſtracti, ſumptibus in mercenarios milites, aliasque multas belli neceſſitates, quas in dies majores ac majores facere nos oportet, plurimum exhauſti ſimus, ærariumque noſtrum non modo ad ſuſtinendos bellicos ſumptus, verum etiam ad uſus aulæ noſtræ neceſſarios, nulla ex parte ſubleveretur, quo fere omnes proventus noſtri Regii ſunt miſere diſtracti & dilacerati, nullam aliam in tam ſubita atque adeo inſperata neceſſitate ejus periculi avertendi rationem intelligimus, quam ut S. & F. Veſtræ primo quoque tempore armis & equis inſtructæ, ad defenſionem ſui bonorumque ſuorum ſeſe moveant, ac ſe ipſas bonaque ſua communibus viribus tueantur & defendant. Quamobrem dedimus litteras noſtras ad Magnificos Joannem a Dzialin Culmenſem & Achacium

um Czema Marieburgenſem Palatinos, quos hortati ſumus, ut omni ratione providerent, ne per tranſitum ejusdem Illuſtris Brunſvicenſis Ducis aliquid damni aut periculi ditionibus illis noſtris accidat. Atque ſi neceſſarium fore intellexerint S. & F. Veſtras totamque generaliter nobilitatem terrarum illarum autoritate noſtra, quam illis hac in parte conceſſimus, eosque in locum noſtrum generales exercitus ductores ſeu præfectos conſtituimus, ad arma ſumenda & reprimendos conatus illius monerent & vocarent, ideo S. & F. Veſtris omnibus ſupra ſcriptis mandamus, atque ſerio edicimus, ut cum primum per Magnificos Culmenſes & Marieburgenſes Palatinos requiſitæ fuerint, aut de publicatione præſentium illis conſtiterit, ſine omni mora, armis, equis, totoque apparatu bellico inſtructæ ſeſe moveant, ac præfatos Magnificos Culmenſem & Marieburgenſem Palatinos, Duces ſequantur, Dominumq; Ericum Brunſvicenſem Ducem ab ingreſſu in ditiones noſtras, & a trajectu fluminis Iſtulæ aperto Marte arceant & prohibeant. Et quidquid adverſus hoſtem quemcunque alium S. & F. Veſtræ faciendum ſibi pro patria ſua putaverint, id adverſus hunc ipſum Brunſvicenſem Ducem, ejusque exercitum faciendum ſibi exiſtiment. Et aliter S. & F. Veſtræ pro debito ſuo Reipublicæ illarum ſalutem, fideque nobis & Reipublicæ debita & gratia noſtra non facturi, Datum ut ſupra, &c.

CCXXII.

ASSIGNATIO STIPENDII ERICO DUCI BRUNSVICENSI NUMERANDI.

Theſaurario mandat penſionem Erico Duci tradi, ita tamen ut ne aliis ſuam operam addicat.

SIgnificamus præſentibus litteris noſtris, quorum intereſt, univerſis, quod nos adducti neceſſitudine, quæ nobis cum Illuſtriſſima familia Ducum Brunſvicenſium vetus & arcta intercedit, præterea autem intuentes promptam erga nos voluntatem Illuſtris Principis, Domini Erici, Ducis Brunſvicenſis, quam nobis hoc tempore adventus ſui demonſtravit, & in poſterum omnibus mutuæ benevolentiæ officiis demonſtraturum recipit, decrevimus Illuſtritati ejus penſionem in theſauro terrarum noſtrarum Pruſſiæ pro Feſto Nativitatis Domini ſingulis annis, incipiendo ab anno præſenti ad vitam usque Illuſtritatis ejus percipiendam: ea videlicet conditione, ut ne adverſum nos operam ſuam cuiquam Principi addicat, neque cujusquam ſtipendia contra nos, fœderatoſve noſtros mereat. Quod univerſis & ſingulis quorum intereſt, nominatim vero Generoſo Joanni Koſtka Caſtellano Gedanenſi, terrarum noſtrarum Pruſſiæ Theſaurario, denunciamus, mandando ut eidem Principi, Domino Erico, Duci Brunſvicenſi, aut Illuſtritatis ipſius mandatario, eandem penſionem ad tempus conſtitutum ſolvat ac numeret, quietationesque ab eo accipi-

accipiat. Quas nos ab illo in rationibus ſuſcepturi ſumus. In cujus rei fidem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appreſſum. Datum Vilnæ die X Septembris.

CCXXIII.

GEDANENSIBUS.

De ſtipendio Duci Erico ideo, ut a finibus recederet, aſſignato nuntiat, quod ſi augere velint ſibi, non ingratum fore nuntiat, ſimul tamen ut ad omnem caſum parati ſint, hortatur.

SPectabiles & famati fideles dilecti. Etſi aliquoties jam tum per noſtros cubicularios, tum per tabellarios F. Veſtrarum, quæ ſit noſtra de conatibus Illuſtris Ducis Brunſvicenſis voluntas atque ſententia, certiores F. Veſtras fecerimus, tamen iterum atque iterum illis ſignificandum eſſe duximus, nos Illuſtritatis ejus nullam unquam ejusmodi operam deſideraſſe, atque etiam cum eam nobis Illuſtritas ipſius ultro adverſus Moſchorum Principem per litteras & internuntium ſuum pridem deferret, ſtudium ipſius erga nos grato quidem animo acceptaſſe, operam autem quam deferret, & copias ipſas, quas promitteret, nobis non eſſe neceſſarias reſpondiſſe. Quod ſi tunc adhuc fecimus, cum bellum certum fore ſperaremus, nec inducias cum hoſte prorogaſſemus, multo nunc magis in eadem ſententia perſtamus, cum & induciæ longiores cum hoſte interceſſerint, & tempus hybernum appropinquet ineptum

ineptum prorſus pugnæ atque incommodum. Itaque mirari ſatis non poſſumus, quo conſilio Illuſtritas ejus hos & labores & ſumptus ſuſceperit minime neceſſarios, cum eſſet non modo non accerſita, ſed etiam de ſuperſedendo admonita a nobis. Erat apud nos his diebus internuntius illius cum litteris, qui eadem nobis de ſtudio Illuſtritatis ipſius erga nos, & animi promptitudine nuntiavit, diligenterque petiit, ut eum cum copiis omnibus ad ſtipendia noſtra admitteremus. Cui nos reſponſum idem dedimus, nos hoc quidem tempore, opera Illuſtritatis ipſius nec egere propter inducias, & propter bellicam rem noſtram aliunde jam proviſam, nec uti poſſe propter hyemem adventantem, hortatiq; ſumus Illuſtritatem ejus, ut ne ulla ratione exercitum ditionibus noſtris admoveret. Quod ipſum per noſtros quoque Nuntios, quos ad Illuſtritatem ejus jam deſignavimus, repetemus, & Illuſtritatem ejus ab incœpto avocare ſtudebimus, atque ut nos nec ingratos Studii ſui, quod præ ſe ferre videtur, & Brunſvicenſis familiæ amicisſimos eſſe intelligat, ſtipendium Illuſtritati ejus annuum mille talerorum aſſignari jubebimus, ſi ſponte exercitum a ditionibus noſtris amoverit, & ſi ſe nunquam adverſum nos militaturam eſſe ſpoponderit. Ad quod ſtipendium noſtrum aſſignatum, ſi illum quoque copiasque ejus honorario aliquo munere F. Veſtræ proſequi voluerint, erit id in arbitrio F. Veſtrarum, nobis quidem ingratum non erit. Quod ſi porro in dimittendo aut removen-

movendo exercitu, ejus Illuſtritas difficilior fuerit, volumus & pro officio debitæ nobis fidei F. Veſtris ſerio mandamus, ut eum ſuis omnibus opibus repellant; nec aditum ullum in interiores provinciæ partes permittant, communicato de omnibus conſilio cum Illuſtri Principe Domino Duce Pruſſiæ, & cum terrarum iſtarum noſtrarum Palatinis, quibus per litteras noſtras ſummam ejus rei commiſimus. Dedimus etiam ad majoris Poloniæ & reliquos ſubditos noſtros, qui in Pruſſiæ vicinia ſunt, univerſales litteras, ut oram ſuam tueantur, tranſituque omni eas copias prohibeant, ſi opus ſit ad ferendas ſuppetias F. Veſtris, & terris iſtis accurrant. F. Veſtræ pro officio ſuo ne deſint, & tum fidem ſuam erga nos præſtent, tum libertatem ſuam quam maxime tueantur. Datum ut ſupra, &c.

CCXXIV.

DUCI PRUSSIÆ.

Legatum ad ducem Ericum deſtinatum ei commendat.

ILluſtris, Princeps Domine Conſobrine noſter charisſime. Mittimus ad Illuſtrem Principem Dominum Ericum, Ducem Brunſvicenſem, Aulicum noſtrum Generoſum Georgium a Baiſen cum Collega, quem illi Ordines Pruſſiæ adjungendum duxerint. Mandavimus autem illi, ut ad Illuſtritatem Veſtram diverteret, & exhibita inſtructione noſtra ſententiam quoque ipſius Illuſtritatis

stritatis Vestræ exquireret, ad quem modum potissimum mandata nostra exponere deberet. Gratum nobis Illustritas Vestra fecerit, si eum & de omnibus rebus instruxerit, quæ nobis qui longius absumus, tam cognitæ esse non possunt, & aliquem præterea illi adjunxerit, qui cum eo una, legationem nomine Illustritatis Vestræ obeat, & studio ac diligentia sua res nostras & Illustritatis Vestræ, atque adeo terrarum illarum administret. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum die quo supra.

CCXXV.

INSTRUCTIO DATA NOMINE REGIÆ MAJESTATIS GENEROSO CHRISTOPHORO KONARSKI AD MAGISTRATUM CIVITATIS RIGENSIS DIE XI SEPTEMBRIS MDLXIII.

Controversiam Ducem inter Curlandiæ & Rigenses componi, curiamque Episcopalem, quam occupaverant Rigenses, reddi & quingentos milites pro eo ac receperant, absque procrastinatione sisti cupit.

NUnciata Rigensibus gratia nostra saluteque iis dicta, ita de reliquo verba faciet nuntius noster:

Cum ad S. Regiam Majestatem allatum esset de iis controversiis, quæ Illustri Principi Domino Gottardo Duci Curlandiæ cum civitate D. Vestra-

Vestrarum intercedunt, graviter hæc prorsus Majestas ipsius, & dolenti animo audiebat. Etenim cum ejus provinciæ gubernacula volentibus maxime & opem suam implorantibus D. Vestris ideo ad se esse delata recordatur Majestas illius, ut eam provinciam non solum tutam sed etiam tranquillam præstaret, non potest sine animi sui perturbatione audire, quoties eam intelligit non modo armis hostilibus, sed etiam domesticis suorum dissensionibus atque disidiis perturbari.

Quamobrem cum officii sui esse existimaret Majestas ejus, motus omnes provinciæ illius tam domesticos quam externos componere, ipsa autem hoc tempore aliis negotiis occupata esset, præ quibus cognitioni causæ istius, inter Illustrem Dominum Curlandiæ Ducem & D. Vestras controversæ, vacare non posset, me potissimum huc ablegavit, qui de ea interim cognoscerem, eamque si possem componerem, ne quid ad vetera ejus provinciæ mala, quibus propemodum ad internecionem redigitur, accedat, & denique inclinatam jam ac labentem impellat, atque in exitium, quod absit, præcipitem agat. Quamobrem dabunt operam D. Vestræ, ut hoc studium S. Majestatis ipsius ex parte D. Vestrarum irritum ne fiat, sed ut primo quoque tempore effectum suum consequatur, omnibus controversiarum causis exponendis, eisque sopiendis, ac ad pacem & tranquillitatem provinciæ deducendis, ut si fieri possit necesse non habeat Majestas ipsius, aut diuturniorem ex audienda, aut iteratam ex

cogno-

cognoscenda hac controversia molestiam capere.

Præterea autem nuntiari jussit Majestas ejus D. Vestris ægerrime se ferre factum D. Vestrarum, quod item ad illam allatum est, D. Vestras statim ut justa facta essent Reverendissimo olim Domino Archiepiscopo, curiam ipsam Archiepiscopalem occupasse, præsidioque suo firmavisse, non modo inscia ipsius Majestate, sed etiam reclamante ac renitente Oratore Majestatis ipsius.

At existimat quidem Majestas ejus Regia, cum ipsa fortunis ac possessionibus omnibus subditorum suorum non modo parcat, sed etiam eas quam maxime tueatur ac conservet, æquum esse, ut ea quoque, quæ Majestatis illius sunt, quæve ad eam pertinent, non modo se inscia ac invita non attrectentur, sed etiam sancta & inviolata conserventur. Quamobrem hortatur D. Vestras per me idem illud, quod etiam paulo ante per litteras hortata fuit, ut D. Vestræ possessionem ejus Curiæ liberam, aut mihi, aut Illustrissimo Principi, Domino Curlandiæ Duci, nomine Majestatis ejus Regiæ, dimittant quamprimum, nec se Principis in eam ratione aut specie ingerant, sed etiam plane dominio Majestatis ipsius relinquant. Extremum quod per me ad D. Vestras Majestas Regia referri jussit, illud est, ut cum militum numerum, quem ad omnem necessitatem istius provinciæ D. Vestræ dare jam pridem sunt obligatæ, (est autem is numerus militum quingentorum,) jam nunc Majestati illius repræsentent. De qua re

re etſi ad D. Veſtras Majeſtas illius ante ſcripſiſſe ſe memineret, tamen tanta ab iis in ea re procraſtinatio fit, ut eam vehementer illius Majeſtas cogatur demirari. Interim autem & hoſtis invaleſcit, & provincia damnis detrimentiſque afficitur. Itaque Majeſtas quidem illius non eſt paſſura, ut D. Veſtræ eadem porro procraſtinatione in præſtando numero militum, quem debent, uti debeant cum magno & ſuo provinciæque totius detrimento & Majeſtatis illius propemodum indignitate.

CCXXVI.

DUCI PRUSSIÆ.

Quantum abhorreat a bello cum Erico gerendo declarat, & ſi mari potius, quam terra exercitum traducere in Livoniam velit. ſe non repugnare, quo minus arcem Moſchorum aut Svecorum aliquem invadat.

ILluſtris Princeps Domine Conſobrine noſter chariſſime. Per Generoſum Georgium a Baſen, Aulicum noſtrum, quem ad Illuſtrem Principem, Dominum Ericum, Brunſvicenſem Ducem mittimus, conſtituimus Illuſtritati ipſius penſionem annuam duorum millium talerorum, ut re ipſa intelligat ſtudium ſuum ingratum nobis non eſſe. De admittenda Illuſtritate ejus ad ſtipendia noſtra, etiamſi voluntas noſtra accederet, facultates tamen nulla ratione id ferre poſſent, redacto ad magnas difficultates & angustias ærario noſtro. Itaque principio admonenda erit

Digitized by Google

Illustritas ejus, ut cum exercitu regrediatur, in quo si difficilior fuerit, quam ut sibi persvaderi patiatur, nos sane potius, quam cum Principe nobis veteribus necessitudinibus conjunctissimo, & ut videtur, nomini nostro addictissimo bellum geramus, non recusaremus, si aliter fieri non posset, ut eas arces, eaque territoria, quæ in Moschorum aut Svecorum potestate sunt, invadat & oppugnet, si modo evercitum non per ditiones nostras ducere, id enim nulla ratione possumus concedere, etiamsi damni infesti quam plurimis litteris caveretur, sed mari velit transportare. Sed hæc & cætera Illustritas Vestra, quantum maxime e re nostra publica fore existimaverit, providebit, internuntiumque nostrum, quem ad Illustritatem Vestram divertere cum mandatis & instructione nostra jussimus, omnibus rebus ex sententia sua instruet, quæ ad recte conficiendam hanc legationem maxime pertinere videbuntur. Ei autem Internuntio nostro, volumus ut aliquis ex Palatinis nostris Prusiæ adjungatur, qui nostro nomine cum eo una legationem obeat. Præterea autem Illustritatem Vestram hortamur, ut suo quoque ipsa nomine, sive Doctorem Joannem, sive quem alium, quem esse maxime accommodatum existimaverit, iis apponat, qui illis nomine Illustritatis Vestræ in legatione obeunda adsit, & consilium impertiatur. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Vilnæ XI Septembris.

CCXXVII.

CCXXVII.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Hortatur Cæſarem, ut Nepotem potius ſuum Hungariæ Regem, quam alium quenquam, generum adſciſcat, quo & olim promiſſis ſatisfiat, & pax inter Cæſarem & Hungaros firmiter coaleſcat.

SEreniſſime & Excellentiſſime Princeps, Domine Parens noſter chariſſime. Quantum noſtrum ſtudium extiterit, ut diſſenſiones omnes inter Majeſtatem Veſtram & Sereniſſimum Nepotem noſtrum, quas excitare magna ex parte malevolentia hominum, non tam mutuæ offenſæ ſolebant, primo quoque tempore tollerentur, & nos ipſi nobis conſcii ſumus, & Majeſtas Veſtra teſtis nobis eſſe poteſt. Nihil enim omiſſum eſt a nobis, quod ad Sereniſſimi Nepotis noſtri animum Majeſtati Veſtræ adjungendum pertinere videbatur. Quod ſane a nobis ſuſceptum fuit, tum rei ipſius publicæ Chriſtianæ Veſtrorumque adeo regnorum & imperiorum cauſa, tum etiam quod id Majeſtati Veſtræ ipſi, non ingratum fore nobis perſvadebamus. Et quoniam cætera remedia, qnæ ei rei adhibere conati fuimus, tantam efficacitatem non habebant, quin levi quacunq; ex cauſa offenſio ipſa nunc in Majeſtatis Veſtræ, nunc in Serenitatis ipſius animo recrudeſceret, intentis fortaſſis utrinque malevolis hominibus, ad convellenda ultro citroque jacta per nos pacificationis fundamenta, eo tandem perſvaſionibus noſtris Sereniſſimum Nepotem noſtrum addu-

xiſſe videbamur, ut cætera, de quibus controverſiæ inter ſe & Majeſtatem Veſtram intercederent, Majeſtati Veſtræ propemodum remitterent, ſe autem ad depoſcendam Majeſtatis Veſtræ filiam in matrimonium, totum compararet, quam nos & deſponſam iri Serenitati ejus non invita Majeſtate Veſtra ſperabamus, & firmum ac perpetuum amoris ac benevolentiæ mutuæ pignus fore, inter Majeſtatem & Serenitatem Veſtras videbamus. Nunc adfertur ad nos eam Filiam Majeſtatis Veſtræ alii propemodum jam deſponderi, eoque facto & nos ipſos in non optimam opinionem apud Sereniſſimum Nepotem noſtrum adduci, & ſpem denique omnem pacificationis præcidi, in qua non majus nobis ad Sereniſſimi nepotis noſtri, quam ad ipſius Majeſtatis Veſtræ & Chriſtianæ Reipublicæ rem momentum poſitum eſſe videbatur. Quod ipſum hoc etiam nobis mirum magis accidit, quod inaudiiſſe nos meminimus, eam Filiam tum olim pactis ac conventis communibus inter Majeſtatem Veſtram & Sereniſſimi adhuc Nepotis ipſius noſtri Parentem, Joannem, Regem Hungariæ, intercedente ad omnia Divo olim fratre Majeſtatis Veſtræ Carolo V Imperatore, tum denique recenti ſatis tempore per Gaſtaldum & Batorium & Nadasdium Commiſſarios Majeſtatis Veſtræ promiſſam Serenitati ejus in Monoſtor, & propemodum deſponſam jam fuiſſe. Ut cætera omittamus, quibus nobis quoque ipſis ejusdem rei ſpes quædam non obſcure oſtendi videbatur. Quamobrem cum nil adhuc, quod prorſus

sus certum esset, ad nos in hoc genere adferretur, existimavimus nobis ad Majestatem Vestram scribendum esse, ab eaque postulandum, ut si Serenissimus Nepos noster, id quod nobis facile persvademus, cupidum se novæ istius cum Majestate Vestra affinitatis ostendit, sique de ea re in omnes partes adhuc constituere Majestati Vestræ integrum est, veteribus potius pactis & promissis standum sibi Majestas Vestra esse existimet, eademq; re & reliquias istas afflicti Hungariæ Regni recreet atque reficiat, & sibi suæque inclytæ familiæ eam accessionem adjungat, quæ a Serenissimo Nepote nostro Majestatis Vestræ genere designato potest accedere, cujus quidem & affinitatem ipsam honori fore Majestati Vestræ arbitramur, & obsequium voluptati, & officia, quæ inde consequentur, magnam non modo privatis Majestatis Vestræ rebus atque negotiis, sed etiam rei ipsi publicæ Christianæ, cujus rationibus vel inprimis consulendum esse arbitramur, utilitatem confidimus esse allatura. Bene valere Majestatem Vestram cupimus, ejusque paterno amori nos commendamus. Datum die quo supra.

CCXXVIII.

ELECTO REGI HUNGARIÆ.

De litteris ad Cæsarem scriptis nuntiat, & si filiam Cæsaris ambire serum fuerit, hortatur, ut ad Regem Romanorum se conferat ejusque filiam ambiat, quod illi majori etiam commodo futurum sperat.

Sereniſſime Princeps, Domine Nepos noſter charisſime. Multis & magnis cauſis adducebamur, ut firmas aliquas rationes pacificationis atq; amicitiæ, inter Majeſtatem Cæſaream & Serenitatem Veſtram conſtitueremus. Primum quod æquisſimum nobis videbatur, ut cum nos ipſi utramque Majeſtatem & Serenitatem Veſtram neceſsitudine contingeremus, amicisſimosque nos utriusque profiteremur, ipſæ quoque conjunctis animis amicitiam inter ſe colerent, nosque & communi hac & mutua benevolentia gratisſima voluptate afficeret. Alterum quod pacem & concordiam, omnium bonorum altricem ſemper fuiſſe, contra autem diſcordiam ac perturbationem, omnium eſſe malorum fontem intelligebamus, præterea autem nihil eſſe Chriſtianis Principibus convenientius ſtatuebamus, quam pacem & inter ſe colere, & ſubjectis ſibi populis, præſtare, ne iis quia Chriſtiani nominis religione alieni ſunt, oportunitate diſſenſionum noſtrarum abuſi, & religionem noſtram illudant, & provincias fidei noſtræ divinitus traditas damnis afficiant. Hæc igitur & alia ejusmodi intuentibus nobis, nihil unquam fuit antiquius, quam pacem & amicitiam inter Cæſaream Majeſtatem & Serenitatem Veſtram conciliare, & eas rationes quærere, quibus ea in longisſimum quodque tempus confirmari poſsit. Cum autem affinitate nova aliqua, nil accommodatius ad hanc rem invenire poſſemus, hoc & apud Majeſtatem illius & apud

Sere-

Serenitatem Vestram egimus, ut animos utriusque ad eam cogitationem adduceremus. Etsi enim vetera necessitudinum vincula inter Majestatem & Serenitatem Vestras non deessent, quibus benevolentia mutua satis & abunde adstringi posset, tamen ea ad hunc quem videmus modum non nihil dissipata, nominum aliquod vinculum ad eam adstringendam, inveniendum erat, nec desperabamus sane freti non levibus argumentis, hoc quod cæperamus posse coalescere, meliori aliquo adjuncto ad eam rem studio Serenitatis Vestræ. Quod nunc tamen contra opinionem nostram fieri, ex litteris Serenitatis Vestræ intelligimus, ex eoque magnum dolorem capimus. Quamobrem scribimus ad Majestatem ejus Cæsaream, easque litteras in manus Serenitatis Vestræ cum exemplo mittimus, quibus a Majestate ejus contendimus, ut memor & veterum pactorum cum Serenissimo olim Parente Serenitatis Vestræ, & promissi sui, Filiam suam, si adhuc res integra est, Serenitati Vestræ in matrimonium ne neget, habitura Serenitatem Vestram & affinem dignissimum, & filium obsequentissimum. Quod si vero aut sponsalia interceserunt cum alio, aut etiam Majestas ipsius in eo difficilior fuerit, repetemus hic illud Serenitati Vestræ, quod olim quoque ad illam scribere nos meminimus, ut Serenitas Vestra ad Serenissimum Romanorum Regem cum eo animo se convertat, ab eoque filiam in matrimonium exposcat. Quod nobis

ſane matrimonium cum multis aliis de cauſis accommodatius videretur, tum illa etiam propemodum præcipua, quod Solem orientem populi adorare dicantur potius quam occidentem. Cum enim matrimonia inter cætera propter confirmandas etiam ſpes opeſque noſtras ineantur, nobis quidem confirmatiores opes & ditiones Serenitatis Veſtræ futuræ videntur, affinitate ipſius Regis Romanorum, qui ſurgit ad præcipua totius Europæ imperia, quam ipſius Cæſareæ Majeſtatis, qui per ætatem his imperiis, quæ obtinet, diu frui non poteſt. Sed hæc omnia nos arbitrio Serenitatis Veſtræ permittimus. Interim ad noſtrum quoque oratorem, quem in Cæſareæ Majeſtatis aula habemus, ſcribimus, ut ſe in hoc genere voluntati Serenitatis Veſtræ acommodet, negotiumque illius non ſecus iſtic quam noſtrum ipſius gerat & adminiſtret. Ei Serenitas Veſtra voluntatem ſuam, ſive per litteras ſive per internuntium ſignificabit; omnia illum præ Serenitate Veſtra facturum eſſe confidimus, & certe ut faciat volumus & mandamus. Petrum Franciſcum Feruffinum rogati, Serenitati Veſtræ commendaveramus, quod igitur rebus ſuis ipſius deeſſe noluerit, ad eum modum, quem ad nos ſcribit, probamus conſilium Serenitatis Veſtræ. Quam bene valere cupimus. Datum die quo ſupra, &c.

CCXXIX.

CCXXIX.

CROMERO.

Exempla litterarum ad Cæsarem & Hungariæ Regem ei mittit.

VEnerabilis devote nobis dilecte. Ex exemplis litterarum, quæ ad D. Tuam bina mittimus, cognoscet D. Tua, quid tum apud Cæsaream Majestatem, tum apud Serenissimum Nepotem nostrum agamus, ab ipso quidem Serenissimo Nepote nostro excitati; procurabit istic negotium D. Tua ad eum modum, quem ex Serenitatis ipsius, sive litteris, sive Internuntiis cognoscet, nostrumque se in eo negotium agere existimabit. Datum ut supra.

CCXXX.

DUCI PRUSSIÆ.

Præmissis nonnullis de iis, quæ Duci Curlandiæ promissa fuerint, de fœdere item cum Rege Daniæ ineundo, & rebus Livonicis, de Duce Ericopaulo prolixius agit, & si aliter fieri nequeat, duo vel tria peditum millia ex ejus exercitu ad sua stipendia admissurum se esse spondet.

ILlustris Princeps Domine, Consobrine noster chariſſime. Quod serius ea, quæ Caunæ polliciti fueramus, ad Illustrem Dominum Curlandiæ Ducem submittantur, multiplicibus negotiis curisque nostris, quibus in dies magis ac magis immergimur, imputari debet. Mittimus eo ta-

men in præsentia Nobilem Christophorum Konarski Aulicum nostrum, cui cum alia quædam, quæ ad hoc negotium pertinere videntur in mandatis dedimus, tum ut militibus stipendia numerentur, pecuniam submini̇strari curavimus. Quod nos Illustritas Vestra ad amplectendum cum Sereniſſimo Rege Daniæ fœdus adhortatur, nos quidem in sententia perstamus, ac negotium, quantum fieri potest, urgemus, ut hæc nuper inter nos inita amicitia confirmari, ac in perpetuum stabiliri possit. Cujus quidem rei causa Commissarios nostros Stetinum in Pomeraniam denuo allegavimus, ut ea, quæ Sundii perfici non poterant, primo quoque tempore ibi perficiantur. In Livonia quidem contra communem hostem, quantum vires nostræ ferunt, agimus ac porro acturi sumus. Quod autem de Illustri Duce Erico Illustritas Vestra nobis scribit, cupere videlicet Illustritatem ejus stipendia nobis facere, atque operam suam contra quosvis hostes nostros polliceri, etsi non desint, qui hoc studium Illustritatis Vestræ aliter interpretentur, qui & de sermonibus Illustritatis ejus & de conatibus nonnullis, & denique de vita ipsius anteacta, rumores passim spargunt. Nos tamen hunc animum Illustritatis ejus facile in optimam partem interpretaremur, si quo modo per angustias & difficultates ærarii nostri præstare possemus, ut earum copiarum, quas Illustritas ejus adduxit, opera uteremur. Cum id autem præstare prorsus nequeamus, hortabitur Illustritas Vestra Illustritatem

ejus,

ejus, pro ea quæ inter Illustritates Vestras intercedit affinitate, primum ut Illustritas ejus, siquidem gloriæ cupiditate teneatur, contra Christiani potius nominis hostes vires experiatur suas: Nos autem qui Illustritati ejus veteribus necessitudinibus conjuncti sumus, amicorum potius numero, quam hostium censeri velit, amotoque ex terris & ditionibus exercitu, subditos nostros omni formidine liberet. Quoniam autem eo nomine hunc militem se conscripsisse affirmat, ut nobis contra hostes nostros auxilio esse possit, etsi nos Illustritatis ejus operam ad hanc rem nunquam requisivimus, imo quoties nobis eam detulisset, semper refragati sumus; ut tamen hanc animi sui promptitudinem non ingratam nobis esse perspiciat, ex consilio Illustritatis Vestræ, duo millia talerorum quotannis ex ærario nostro Illustritati ipsius assignari jussimus, si nulli se unquam adversum nos stipendia facturam esse sponderit. Deinde si forte ea pensione Illustritas ejus contenta esse nolit, non recusamus, siquidem Illustritati Vestræ idem quoque videatur, quin ipsi a civitatibus ac Ordinibus Prusiæ munus aliquod honorarium conferatur. Postremo si in hac sententia perstat, ut operam suam quoquomodo nobis navare velit, siquidem adduci non potest, ut cum exercitu regrediatur, tum aut in Livoniam quidem navibus exercitum, si libuerit, transportet, terra enim iter exercitui concedere nequaquam possumus, ibique stipendiis suis eas arces & castella oppugnet, quæ sunt in Moscica aut Svecica potesta-

te,

te, aut vero nos, quoniam totum hunc exercitum propter ærarii anguſtias alere non poſſumus, potius quam nullam a nobis oblati ſui ſtudii rationem habitam eſſe quæri poſſit, duo vel tria ad ſummum peditum millia inde deducemus, eosque ad ſtipendia noſtra, ſi aliter fieri non poſſet, admittemus. Quoniam autem inducias cum Moſcho conſtitutas habemus, tempuſque præterea hybernum inſtat bello gerendo minime idoneum, non exiſtimamus nos opera ejus militis, antequam ver adveniat, commode uti poſſe. Interim autem dum ver adventat, militibus, ſi quidem ſit neceſſe, partem ſtipendii, quam illi *Wartgelt* dicunt, numerari curabimus, ut nobis primo vere præſto ſint, ad tempus quod illis quidem tempeſtive ſignificaturi ſumus. Nunc autem paratis agminibus ditionibus noſtris excedant & dilabantur. De quibus quidem rebus omnibus ex Nuntio noſtro, quem ad Illuſtritatem ejus miſimus, Illuſtritas Veſtra cognoſcet. Juſſimus enim, ut is primum ad Illuſtritatem Veſtram divertat, ac de omnibus mandatis noſtris cum Illuſtritate Veſtra communicet. Quod Vejeranum militem attinet, ne nobis quidem ipſis conſultum videtur, ut eum hoc tempore miſſione data dilabi patiamur. Commiſimus itaque inter cætera eidem Chriſtophoro Konarski, qui eo ad perſolvenda militibus ſtipendia cum pecuniis ablegatus eſt, ut illis noſtro nomine renuntiet, nos ultrà hos tres menſes, in quos conducti fuerunt, quartum præterea addituros, ac ſtipendia illis eſſe numeraturos, operam deniq; daturos,

ut in

ut in longius quoque tempus, ſi rationes ærarii noſtri patiantur, conduci poſſint. Reliquum eſt, ut quemadmodum Illuſtritatem Veſtram antehac per litteras requiſivimus, ita nunc quoque ab ea poſtulamus, velit cum Conſiliariis noſtris terrarum Pruſſiæ, tanquam in communi periculo, conſilia conferre, eumque militem Iſtulæ tranſitu quam maxime prohibere, ac denique, quid opus facto ſit, pro ſua prudentia deliberare, ut autem eo celerius litteræ ultro citroque deferri poſſint, admoneri juſſimus ejus negotii præfectos, ut equos ſemper ad manum habeant, atque omni cura, ne qua mora in illis fiat, provideant. Tandem Illuſtritatem Veſtram bene ac feliciter valere cupimus. Datum Vilnæ XII Septembris.

CCXXXI.

AD CONSILIARIOS PRUSSIÆ,

Hortatur ne ſegniter adverſus Ericum vim moliantur.

REverendi, Magnifici, Generoſi, Spectabiles & famati ſincere & fideles nobis dilecti. Non fuit neceſſe, Sinceritates & Fidelitates Veſtras uti ullis apud nos excuſationibus, quod ſecus quam litteræ noſtræ univerſales poſtulare videbantur, Marieburgum hoc tempore convenerint: præſens enim rerum ſtatus hoc requirit, ut poſtpoſitis cæteris omnibus in id ſolum S. & Fidelitates Veſtræ incumbant, ne quid incommodi ex hoc inopino Illuſtris Ducis Erici adventu Reſpublica capere poſit. Quod nos attinet, jam pridem

dem Palatino Siradiensi, utpote Majoris Poloniæ Generali Capitaneo scripsimus, ac litteras, quas vocant, universalium misimus, curaret, ut provinciæ illius homines, etsi eorum juribus quadam ex parte contrarium id videri possit, Reipublicæ tamen ac sui tuendi causa arma quam primum capiant, ac hostium conatibus sese opponant, quod & facturos eos plane confidimus, & hujus quoque rei causa aliquot equitum turmas, qui in Lithuaniam profecturi erant, in Masovia subsistere jussimus, ut si res exigere videatur, eo facilius vobis adjumento esse possint. Misimus nos quidem Nuncium nostrum ad Illustrem Ducem Ericum, eumque amice hortari jussimus, ne quid hostile, nulla præsertim a nobis lacessitus injuria, ac insuper arctioribus quibusdam affinitatis nobis conjunctus vinculis, contra nos aut ditiones nostras moliatur. Præterea conservandæ publicæ tranquillitatis causa ejusmodi conditiones Illustritati suæ detulimus, ut, nisi prorsus hostili in nos sit animo, bellumque potius quam pacem malit, aspernatura eas non videatur. Quodsi forte postulatis nostris subscribere noluerit, conditionesque oblatas repudiaverit, tum denique muneris Sinceritatum & Fidelitatum Vestrarum erit, ut ad restinguendum hoc commune quasi incendium, omni cura omnique conatu incumbant, ante omnia vero ut hostis a transitu Istulæ prohibeatur, ac Marieburgensibus validioribus præsidiis firmetur, providendum erit. Hortamur quoque per litteras iterum universam Prussiæ nobilitatem, ut quo-

quoniam eorum res agitur, non solum quantum ex re debeant, sed quantum eorum vires possent, ad hanc communem & necessariam expeditionem adferat. Hoc ipsum minoribus quoque Civitatibus, prout S. & Fidelitates Vestræ postulare videbantur, denunciari jussimus; utque vero commodius litteræ ultro citroque deferri possint, equos ad eam rem disponi jam pridem curavimus, iis itineribus, quibus Dux Prussiæ ad nos veredarios suos solet mittere, cujus quidem Illustris Ducis Prussiæ & S. Vestræ consiliis utantur rebus in omnibus, ejusque ductum & autoritatem sequantur, eas etiam atque etiam hortamur, qua de re fusius ante ad S. & Fidelitates Vestras, inprimis autem ad Magnificos Culmenses & Marieburgenses Palatinos scripsimus, quos huic toti negotio ac muneri præesse nobis absentibus jussimus. Taxam rerum venalium, quam nobis Sinceritates Vestræ exhibuerunt, per omnia approbamus, litterasque super hac re sigillo nostro consignatas ad easdem mittimus. Datum Vilnæ XVII Septembris.

CCXXXII.

CASTELLANO GEDANENSI.

In omnibus suam sententiam vult rogari & Marieburgo militem imponi, atque pensiones annuas transmitti Tartaris, quorum opera sit ipsi futura necessaria.

GEneroſe fidelis dilecte. Ad ea omnia, de quibus Fidelitas Tua consilium nostrum hactenus

ctenus requirere videbatur, jam aliquoties per litteras reſpondimus. Nunc admonitam eſſe volumus, ne ad ſingula quæcunque ſententiam noſtram expectet, exceptis gravioribus, ac majoris momenti rebus: Ipſa enim quid locus, quid tempus, ac res ipſa deniq; ferat, facile per ſe ſtatuere poterit, cum interim litteris ultro citroq; dandis occaſio rei bene gerendæ amitti poſſit. Quod Marieburgum attinet, Fidelitas Tua provideat, ut ei loco, quoad ejus fieri poſſit, quam firmiſſimum præſidium imponatur, additis noſtro ſumptu ultra priorem numerum ducentis aut trecentis peditibus. Ad iſtiusmodi quoque eventus aliquot equitum turmas, quos in Lithuaniam ex Polonia acciveramus, in Maſovia ſubſiſtere juſſimus, ut, ſi res ita ferat, facile nobis adjumento eſſe poſſint. Volumus etiam, ut Fidelitas Tua mittat iſtinc pannos & reliquam expeditionem penſionum annuarum, quas Tartaris præſtare ſolemus ſtipendiorum loco. Videmur enim opera eorum opus habituri. Datum ut ſupra, &c.

CCXXXIII.

DUCIBUS POMERANIÆ.

Ut vi pactorum communium Erici Ducis iter impediant, neque ejus verbis fidem habeant, hortatur.

ILluſtres Principes, Domini Amici & conſanguinei noſtri charisſimi. Quæ ſit ratio pactorum noſtrorum cum Illuſtritatibus Veſtris communium, & quid his comprehenſum exiſtat, non arbitramur Illuſtritates Veſtras ignorare, quo magis mira-

miramur, proximis his diebus permisisse Illustritates Vestras transitum exercitui armato per ditiones suas in terras & ditiones nostras, qui etsi speciem amici præ se ferebat, ad nostraq; stipendia se properare significabat, tamen nisi significatione a nobis data, permittendus per ditiones Illustritatum Vestrarum non erat, nec immittendus in terras ac ditiones nostras, anteaquam de eo Illustritatibus Vestris significatum a nobis extitisset. Quanquam autem id, quod factum est ab Illustritatibus Vestris, ita aperte pactorum ipsorum communium rationi repugnet, ut nunquam id ab Illustritatibus Vestris sperare potuerimus, tamen nos quoque præterea diserte de eo ad Illustritates Vestras scripsimus, ab eisque postulavimus, ut memores pactorum communium & mutuæ necessitudinis nostræ, hunc exercitum transitu ditionum suarum quam maxime prohiberent, & siquid difficilius ingruerit, consilio & opera Illustris Principis Prussiæ, & præfectorum terrarum nostrarum vicinarum uterentur, ad quos propterea litteras dederamus. Quamobrem hortamur Illustritates Vestras, ut secundum pacta & conventa communia, adsint propere cum copiis suis ad exercitum eum ex ditionibus nostris summovendum, qui huc per ditiones Illustritatum Vestrarum penetravit. Nos autem interea distineri eum a nostris hominibus jussimus & prohiberi, ne quid Reipublicæ detrimenti afferre possit. Ad summovendum autem eum & a ditionibus nostris repellendum, requiri opes & copias Illu-

ſtritatum Veſtrarum, cum tenor ipſe pactorum communium oſtendit, tum illa quoque manifeſtiſſima ratio, quod in ditiones noſtras per dominia Illuſtritatum Veſtrarum tranſire, ſit permiſſus, terrorque hic provinciæ noſtræ ab ea parte oblatus ſit, quæ eſt dominii Illuſtritatum Veſtrarum, non dubitamus Illuſtritates Veſtras & neceſſitudini mutuæ & pactis communibus, & poſtremo officio ſuo quam primum ſatis eſſe facturas; Quas bene valere cupimus. Datum Vilnæ die IX. Sept.

CCXXXIV

DUCI PRUSSIÆ.

De Duce Erico.

Illuſtris Princeps, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Significaveramus jam antea Illuſtritat. Veſtris per litteras Illuſtrem Ducem Ericum, per nos ad ſtipendia nobis facienda invitatum eſſe, imo cum Illuſtritas ejus operam ſuam nobis ultro ad eam rem deferret, animi quidem Illuſtritatis ejus promptitudinem nos, ut par erat, ſummopere comprobaſſe; ne autem operam aut ullum ſumptum in conſcribendo noſtri cauſa milite faceret, jam inde a principio admonuiſſe. Quod ſi autem vera ſunt, quæ dicuntur, Illuſtritatem ejus primo quidem Sereniſſimo Regi Daniæ, mox etiam Regi Sveciæ operam ſuam cum his copiis, quas habet, addicere voluiſſe, plane videri poteſt Illuſtritatem ejus non magis voluntate animi, quam forte fortuna, ad hoc conſilium tandem decurriſſe, ut ſe ad nos potiſſimum cum auxiliaribus iſtis copiis adventare profiteatur. Utut autem

autem seſe res habeat, libenter sane eam occasionem (prout Illustritati Vestræ antea quoque sæpe scripsimus) rei bene gerendæ arriperemus, suamque Illustritatem cum toto exercitu ad stipendia nostra admitteremus, si id nobis per angustias ærarii nostri quoquo modo liceret. Sed cum ea pars militum Germanicorum, quæ in Livonia est, ita nos sumptu suo exerceat, ut sustentari a nobis vix possit, Illustritas Vestra cogitet, quantis difficultatibus nos ultro implicaremus, si totum hunc Illustris Ducis Erici exercitum hoc tempore conducere velimus, maxime cum & induciæ nobis cum Moscho bimestres adhuc intercedant, & postea hyems instet bello gerendo minime idonea. Ut tamen animi nostri gratitudo erga Illustritatem ejus aliqua ex parte apparere possit, jam pridem ad suam Illustritatem nuntium nostrum Generosum Bariski amandavimus, qui quidem suæ Illustritati duo millia talerorum, idque non in aliquot annos tantum, (prout Illustritas Vestra postulare visa est) sed quotannis, quoad vixerit, nomine nostro oblaturus est. Quod si forte hæc pensio pro ratione facti sumptus non ita magna esse videatur, tum si idem Illustritas Vestra approbandum duxerit, persvadendum erit omnibus Ordinibus Prussiæ, ut suæ Illustritati præterea ab ipsis munus aliquod honorarium publice conferatur, sed ut id ipsis volentibus fieri videatur. Etsi autem (ut jam dictum est) majore sumptu quam ærarium nostrum pati possit, gravari nolimus, si tamen e re nostra Illustritas Vestra id futurum

turum judicaverit, atque adeo si præsens istic rerum status postulaverit, non abnuimus quin Illustritas Vestra ad extremum illarum conditionum, quas per Georgium Ruzenski Illustritati Vestræ significamus, decurrat & tribus aut ad summum quatuor millibus peditum istorum stipendia nomine nostro condicat, de iisque stipendiis dato Wartgelto eos securos reddat, sed ita ut non nisi elapsa hyeme ad merenda ea stipendia revertantur, tum videlicet, cum eis per nos significatum fuerit; quod nos quidem, si eo ventum erit, tempestive facturi sumus. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Vilnæ XIX Septembris.

SCHEDULA INJECTA:

De equis podnodarum ita per præfectos ejus rei constitutum est, ut his in locis, quæ nominatim descripta Illustritati Vestræ mittimus, certus equorum numerus semper sit paratus ad perferendas ultro citroque ad nos litteras Illustritatis Vestræ & Consiliariorum nostrorum ex Prussia. Locabuntur autem hi equi eodem pretio, quo antea locabantur, videlicet unius equi pretium a singulis milliaribus erit grossus unus, ab equo autem deductoris grossus alter in singula milliaria. Nam equos nostros, a quibus nullum pretium exigeretur, submittere modo non potuimus.

CCXXXV.

TURCARUM IMPERATORI.

Ad postulatum Imperatoris, ut civem Leopoliensem ad debitum subdito ejus restituendum adigat,

Rex

Rex respondet, se ex legibus tantum imperare, eoque non instituto legitimo judicio civem cogi non posse, nihilominus de voluntate sua certum eum facit, & mercatori in Moscoviam profecturo litteras passus concedit.

SIgismundus Augustus &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Domino Sultan Soliman Szach, Dei Gratia &c. Domino fratri, amico & vicino nostro charissimo salutem & omnis felicitatis continuum incrementum. Serenissime ac Potentissime Princeps &c. Accepimus litteras Serenitatis Vestræ, quibus ad nos scribit, ut quatuor millia & quingenta florenorum, quot subdito Serenitatis Vestræ Mustaphæ Cebdi debentur, a cive nostro Leopolienſi solvi quam primum ac reddi jubeamus. Quod quidem nos non solum propter pacta & fœdera communia, quæ nobis cum Serenitate Vestra intercedunt, neq; solum propter eam benevolentiam, qua Serenitatem Vestram prosequimur, sed etiam ob ipsum officium nostrum facere parati sumus, dummodo id debitum legitima apud judicium aliquod instituta actione repetitum ab eo debitore fuerit. Nos enim quemadmodum subditis nostris ex legibus tantum imperamus, ita præter leges nullam in eos potestatem obtinemus, nec solutionem alicujus debiti imperare cuiquam possumus, nisi antea legitimo judicio convincatur. Dedimus tamen ad Magistratus civitatis Leopolienſis mandati nostri litteras, ut de ea re justitiam sine mora administrent subdito huic Serenitatis Vestræ, quod non dubi-

tavimus esse facturos. Quodsi ad nos causa per appellationem devoluta fuerit, tum nos quidem subdito huic Serenitatis Vestræ non minus quam nostris ipsorum subditis propriis justitiam administrabimus, quantum maxime jus & æquitas patietur; id quod volumus, ut sibi Serenitas Vestra de nobis certo polliceatur. Quod autem per alteras litteras Serenitas Vestra a nobis postulat, ut Mercatori Serenitatis Vestræ, qui in Moscoviam in negotiis Serenitatis Vestræ profectus est, de litteris passus provideri jubeamus; id quidem libenter fecimus, litterasque eas diligenter scriptas extradi jussimus, quibus illi tutum ac securum iter cum omnibus equis, sarcinis, curribus, famulis denique ipsius patere per Regnum & ditiones nostras voluimus, & si quid præterea est, in quo Serenitati Vestræ gratificari possumus, omnia non gravatim sumus facturi. Serenitatem Vestram benevalere, omnique felicitate cumulari optamus. Datum XXI Septembris.

CCXXXVI.

DUCI PRUSSIÆ.

Vigilantiam ad vim Erico opponendam nondum deponit & interceſſorem admittit Johannem Albertum Megapolenſem.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Conatus Ducis Erici jam inde cum primum ad ditiones nostras non vocatus cum exercitu adventare dicebatur, suspecti nobis erant, cum propter se, quod res ipsa gravissima suspicione

one carere non poterat, tum propter eos deniq; rumores, qui ad nos a multis de eo varie afferebantur. Itaque dabamus operam, ut eos conatus omni, qua possemus, ratione a ditionibus nostris averteremus, id quod sane tum instituendis cum eo amicis tractationibus, propter nostram erga familiam ipsius benevolentiam, & propter eam speciem, quod amici ac socii Principis nomen præ se ferre videbatur tum denique ditionibus ac subditis nostris ad arma excitandis, testatum satis esse factum arbitramur. Quoniam autem a suscepta semel solicitudine nostra, ne nunc quidem vacui ac liberi esse possumus, dum illum adhuc intra dominiorum nostrorum fines versari intelligimus, idcirco & vigilantiam Illustritatis Vestræ summe approbamus, quæ neque arma deponere, neque ab Istula tuenda discedere adhuc constituit, & ut porro consilium ac propositum Illustritatis Vestræ universi Prusiæ Ordines imitentur, magnopere volumus & jubemus. Neque enim aut conditioni cum Gedanensibus ob mutuum acceptum pactæ, aut his etiam conditionibus, quas per Internuntium nostrum ad illum detulimus, usque adeo fidendum esse arbitramur, ut dum fines nostros prorsus non egreditur, aliquid de cæpta cura ac vigilantia nostra tuto remittere possimus, quod cum Gedanensibus quidem pacta conditio in mobili ingenio parum virium habitura esse videatur, nostræ autem conditiones, quoniam ad illum nondum ab Internuntio nostro delatæ sunt, quo animo ab illo suscipi-

antur, sciri adhuc intelligique non possit. Ac Gedanensium quidem factum in mutua danda pecunia, etsi timoris ac trepidationis cujusdam significationem habere videatur, quæ res nec illorum nomine satis digna esset, nec nobis alioqui magnopere placeret, tamen quod ex omni Ordinum consilio atque adeo gravissimis de causis, ut scribit Illustritas Vestra, susceptum esse dicitur, ut in rebus subitis ac improvisis, interim approbamus. Tanti autem esse, ut securi in utramque aurem dormire jam possimus, profecto non arbitramur, nisi id agimus, ut eas copias, quæ in ditiones nostras influxerant, quam primum ex finibus nostris amoveamus. Ut enim cætera omittamus, verendum sane esse arbitramur, ne eæ copiæ desperatione reditus per easdem regiones, per quas huc transierant, (qui reditus ex his rebus, quas ad nos Illustritas Vestra perscribit, factus esse videtur difficilior,) aliquid ejusmodi tentare cogantur, quod Reipublicæ nostræ incommodo videatur, præsertim si iis, ut videtur, in Hungariam sit contendendum. Quamobrem Illustritati Vestræ cum Illustribus Dominis Pomeraniæ Ducibus agendum esse existimamus, ut transitum, quem iis copiis ad nos euntibus citra voluntatem nostram per ditiones suas concesserant, permittant iisdem voluntate nostra a nobis redeuntibus accepta ab illis ejusmodi cautione de non nocendo, qualem ante acceperant: aut si præterea tutius rebus suis volunt consulere, permissa iis non effuse universis sed turmatim

& ve-

& vexillatim singulis transeundi facultate, sic ut ditiones tantum nostræ quam primum iis copiis levatæ ac liberatæ esse videantur. De Internuntio nostro, quem Illustritas Vestra recedentes has copias cum mandatis nostris subsequi jussit, eique Collegam ex suis adjunxit, probamus Consilium Illustritatis Vestræ, illud modo advertendum iis maxime esse existimamus, ut quascunque ad Ducem Ericum nostro nomine conditiones detulerint, ea ratione se deferre aperte significent, ut copias universas confestim dimittat, aut cum iis ex ditionibus nostris recedat e vestigio ac regrediatur. De Duce Christophero Megapolensi quod a nobis Illustritas Vestra quærit, an sibi per nos licere possit, se cum Illustri Domino Joanne Alberto Duce huic negotio interponere: nos quidem etsi, uti Illustritas Vestra non ignorat, multis a Duce Christophero injuriis, quæ nos in diversam sententiam vocare videntur, affecti simus: tamen ob memoriam Illustris familiæ ipsius, quam jam pridem apud nos charissimam, ob communemque adeo humanitatem & mansvetudinem ipsam nostram, quam etiam auget misericordia ætatis ipsius, quæ consilia ipsius temeritate magis juvenili quam malignitate suscepta adversum nos videri facit, summo jure agere cum illo non constituimus, eas tantum injurias eaque incommoda persequi in eo clementer decrevimus, quibus per id tempus pro summis nostris erga illum beneficiis affecti ab eo sumus. Sicut enim humanitatis & le-

nitatis laudem retinere ſtudemus, ita ſoluti ac remiſſi animi ſuſpicionem in noſtra dignitate & populorum noſtrorum incolumitate vindicanda fugere ac vitare prorſus decrevimus. Quod cum ita ſit, per nos quidem Illuſtritati Veſtræ liberum eſſe volumus, ut una cum Illuſtri Domino Joanne Alberto Megapolenſi Duce eas rationes quærat atque inveſtiget, quibus nobis conſervata humanitatis atque clementiæ laude, poſſit pro acceptis injuriis plane ſatis fieri. In quo confidimus Illuſtritatem Veſtram, ſicut ſolet, maxima dignitatis noſtræ, pro ſuo erga nos ſtudio atque officio, habituram eſſe rationem. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum ut ſupra, &c.

CCXXXVII.

GEDANENSIBUS.

Æquo animo ſe accipere nuntiat, quod tranſactionem cum Duce Erico fecerint, quanquam ea neque ex ipſorum neque ſua dignitate facta videatur.

SPectabiles & famati fideles dilecti. Grata eſſe Fidelitatibus Veſtris ea conſilia, quæ a nobis pro ſalute ac incolumitate F. Veſtrarum ſuſcipiuntur, pergratum eſt nobis. Equidem dabimus operam, ut nos deinceps eo alacriores ad omnia F. Veſtræ experiantur & cognoſcant, quo magis ſe gratos & memores officiorum noſtrorum præſtiterint. Nos ſane in hoc tam inſperato Illuſtris Ducis Erici adventu, compluribusque præterea tam Livonicis quam Moſcoviticis

ticis inſuper & Valachicis diſtenti difficultatibus, præſentius aliquod remedium huic provinciæ invenire non potuimus, quam ſi excitatis ad arma univerſis terrarum illarum Ordinibus litteras etiam univerſalium, quas vocant, daremus ad ipſam Majoris Poloniæ nobilitatem, ut quoniam eorum quoque res propter vicinitatem agi videtur, ad ſuppetias Pruſſiæ terris ferendas quam primum arma capiant. Quod quidem eos jam feciſſe non dubitamus; præterea autem conductum militem, quem ex Maſovia ad Livoniæ defenſionem adducturi eramus, ſubſiſtere in loco juſſimus, ut iſtuc, ſi opus fuerit, ad omnem neceſſitatem poſſit accurrere. Nunc Fidelitates Veſtras hortamur, ut ipſæ quoque pro ſuo officio ac fide nobis ac patriæ debita omni cura atque diligentia, quod adhuc fecerunt, provideant, ne quid detrimenti in hac ſubita trepidatione ac motu Reſpublica capere poſſit. Contractus hic, quem Fidelitates Veſtræ cum Illuſtri Duce Erico feciſſe ſe ſcribunt, etſi nobis non ſatis ex dignitate illius civitatis, neque etiam ex noſtra eſſe videatur, illudque etiam periculum conjunctum habeat, quod verendum eſt, ne eo ſucceſſu Illuſtritas illius allecta, cæteras civitates eodem modo depaſcicupiat, quemadmodum jam & de Dirſtovia damnis atque incommodis ab Illuſtritate ejus affecta & de obſeſſo Stargardiæ Magnifico Pomeraniæ Palatino ad nos adfertur, tamen & in rebus ſubitis & repentinis æquo id animo a F. Veſtris accipimus. Deinceps quatenus opus fuerit communicato cum

Magni-

Magnificis Palatinis consilio, quos summæ rei interea præfecimus, omni ratione Fidelitates Vestræ provideant, ut hostiles, quicunque forte essent, cujuscunque conatus vi atque armis reprimant, studiumque suum & promptam voluntatem erga Rempublicam, quam maxime possunt, declarent, ut intelligi possit nec animum nostris hominibus nec facultatem deesse ad res suas defendendas. Nos ultra id, quod fecimus, nullam præterea rationem demonstrandæ nostræ voluntatis egregiæ erga Rempublicam ullo unquam tempore prætermittemus. Datum Vilnæ XXI Septembris.

CCXXXVIII.

DUCI PRUSSIÆ.

Subdito suo Nicolao Wieczwinski justitiam singulari modo administrari iterum iterumque rogat.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Nihil equidem de Illustritatis Vestræ erga nos studio & voluntate dubitamus, quæ jam dudum nobis perspecta & explorata est, minus etiam multo de justitia illius & æquitate, ac in jure unicuique reddendo fide atque diligentia; proinde vel non perferri ad illam litteras nostras, quibus toties subditi nostri nobilis Nicolai Wieczvinski & fratris ejus causam illi commendamus, vel perlatas non reddi existimavimus. Itaque nunc ad eandem Illustritatem Vestram hunc qui has bona fide de manu in manum reddat, Adamum Cossmagivski cubicularium nostrum mittimus,

mus, quique ab eadem responsum repetat, ut tandem sciamus, ecquid ut subditis iisce nostris, quorum causa sæpe multumque a Senatoribus nostris appellamur, respondeamus, habere tandem aliquando possimus. Queruntur enim subditi ii nostri, bona sua hæreditaria Witramov & Sallu, quæ majores sui non legitime vendiderant, non legitime a quibusdam subditis Illustritatis Vestræ occupari, nec sibi de iis jus reddi propter diuturnas, & eas, uti illi ajunt, frivolas judicum comperendinationes: quod amicitiæ & consanguinitati, qua fere omnes illi cum possessoribus sunt conjuncti, tribuendum. Quapropter Illustritas Vestra nobis id erat pollicita, celerioris administrandæ justitiæ causa, se in eam provinciam, in qua hæc ipsa bona sunt, aliquem ex consilio suo esse missuram, qui nihil gratia, nihil favore, nihil ullo alio affectu commoveatur, sed solum jus & æquum spectet, & judices autoritate Illustritatis Vestræ in officio contineat, quod ut faciat etiam atque etiam postulamus, seq; hac atque etiam nos ipsos toties eadem de re quiritantium subditorum nostrorum molestia ut liberet, facturam certo nobis persvademus. Cupimus eandem Illustritatem Vestram bene valere. Datum Vilnæ XXII Septembris.

CCXXXIX.

DESPOTI.

Studium pacis se sectari significat, & quæ a Wiesnowieckio facta fuerint suo injussu facta fuisse refert.

Magni-

MAgnifice Domine, ſincere nobis dilecte. Ad renovanda pacta & fœdera vetera Regni noſtri cum terris Moldaviæ, de quo nos Sinceritas Veſtra & per litteras & per legatos ſuos Petricoviæ in Comitiis proxime admonuit, deſignavimus jam pridem oratores noſtros ad Sinceritatem Veſtram, Magnificum Georgium Jaczloviecki Caſtellanum Camenecenſem, & Generoſum Matthiam Gorecki Secretarium noſtrum & Campeſtris Militiæ Notarium; ſed ii ad nos non ita pridem perſcripſerunt, cum jam in procinctu ejus itineris eſſent, motibus quibusdam iſtis ex orientibus coactos fuiſſe, ut ſe porro domi ſuæ continerent. Dedimus autem ad eos nunc quoque litteras, ut cum primum ii motus conquieverint, Legationem ſuam perſequantur, & ſe ad renovanda pacta & fœdera communia accingant, moram ut nullam interponant, quo minus ea, quæ maxime nobis ſunt cordi, cum primum tuto & ſincere confici poterunt, conficiantur. Nos enim pace & tranquillitate publica nihil apud nos antiquius aut jucundius habemus, quam ſane colere cum omnibus hominibus, inprimis autem cum Chriſtianis Principibus, iisque maxime vicinis omni ſtudio deſideramus. Quod autem Sinceritas Veſtra de Wiſſnioviecki queritur, ipſius ſtudiis atque conatibus pacem hanc & tranquillitatem iſtic perturbari, hunc quidem, etſi ſubditus noſter exiſtat, tamen ea quæ ad peturbandas bonæ vicinitatis rationes pertinent, præter voluntatem arbitriumque noſtrum ſuſcepiſſe ſibi perſva-

perſvadeat. De quo cum primum inaudiviſſemus, ſeveriſſima mandata dari ad ipſum juſſimus, ut ab iis cæptis prorſus abſtineat, pacemque cum iis colat, cum quibus nobis eſſe fœdus ſocietatis intelligit. Quibus quidem mandatis noſtris ſi ille non paruit, Sinceritas Veſtra mirari non debet, quæ facile ſecum reputare poteſt, in tot ac tantis ditionibus noſtris inveniri neceſſe eſſe homines, qui ingenium mutare nequeant, maxime autem id frequenter eſſe inter eos, qui in confinibus habitant, & qui ut corporibus ſuis intra unius imperii fines non continentur, ita cupiditatibus ſuis ultro citroque evagantur. Quod tamen ne illi in poſterum impune eſſe poſsit, providebimus, & in eum pro ratione Pactorum Communium animadvertemus. Bene valeat Sinceritas Veſtra. Datum XXII Septembris.

CCXL.

DUCI CURLANDIÆ.

Familias ruſticanas Gottardo Rebinder ademtas una cum certa portione agri reſtitui hortatur.

ILluſtris Princeps, Amice ſincere nobis dilecte. Oſtendit nobis Nobilis Gottardus Filius Joannis Rebinder, Livoniæ eques, noſtras litteras reſtitutionis ipſius, ad familias ruſticanas, & certam portionem agri, quas familias ſibi eſſe per Sinceritatem Veſtram illegitime ademptas aſſerit, ſupplicavitq; nobis, ut quo eas juxta præſcriptum litterarum noſtrarum præfatas obtineat, S. Veſtram

ſtram admoneremus, itaque precibus illius juſta petentis adducti, S. Veſtram hortamur, ut eas illi familias, cum certa portione, juxta noſtras donationis & reſtitutionis litteras, libere poſſidendas dimittat. Quæ bene valeat. Datum Vilnæ XXIV Septembris.

CCXLI.

CASTELLANO GEDANENSI.

Vigilantiam in rebus Erici obſervandis commendat & officium ſtudiumque laudat.

GEneroſe Fidelis nobis dilecte. Probamus eam diligentiam, uti ſcribit Fidelitas Tua, in diſtinendis his copiis, quæ nuper in ditiones noſtras ex Germania influxerunt. Quoniam autem res nondum in eum locum eſſe adducta videtur, ut plane ſecuri eſſe debeamus, propter ea quidem, quæ ad nos non incerta de variis ejus Ducis conſiliis & rationibus afferuntur, volumus & plane F. Tuæ mandamus, ut ne quid de ſolita adhuc ſua & ſuorum vigilantia ac ſollicitudine remittat, quin in omnes partes intenta ſit, ne quando incauti ac ſecuri oppreſſi eſſe videamur. Exploret quam maxime conſilia ac inſtituta earum copiarum, quid agant, quid denique moliantur, & quatenus opus eſſe viderit, aut auxilia eorum in Pruſſiam accerſat, qui ſe ex Polonia ad omnem neceſſitatem paratos fore, ad F. Tuam perſcripſerunt, aut ipſa etiam cum Ordinibus Pruſſiæ omnibus ad ea loca ditionum noſtrarum tuenda & defendenda accurrat, quæ

forte

forte aut in Polonia, aut alibi laborare & auxilio indigere viderit. Nos enim cum commune hoc malum communibus auxiliis depellendum eſſe exiſtimavimus, ſicut omnes vicinos Poloniæ Palatinatus ad opem laboranti Pruſſiæ ferendam nuper excitavimus, ita ſi quid viciſſim in Regnum ipſum Poloniæ ingruerit, mutuis quoque Pruſſorum viribus atque auxiliis depellendum eſſe exiſtimamus: in quo ſane fidem & ſtudium omnium Ordinum nobis & Reipublicæ non arbitramur eſſe defuturum. Fidelitas Tua quod nos omnibus de rebus ſæpe & copioſe facit certiores, pergratum eſt nobis; ſi de eodem ſtudio ſuo non remiſerit, officioque ſuo tam in perſcribendis ad nos iis rebus, quæ iſtic deinceps gerentur, quam in providendis rebus communibus ſatisfacere perrexerit, uberiorem erga ſe gratiam ac benignitatem noſtram excitabit. Datum Vilnæ XXIX Septembris, &c.

CCXLII.

DUCI PRUSSIÆ.

Ut curet valetudinem, magnopere hortatur.

ILluſtris Princeps, Dn. Conſobrine noſter chariſſime. Cum litteras ab Illuſtritate Veſtra acceppiſſemus ad XXVI Septembris datas ex Inſula Mariana, ex quibus de valetudine Illuſtritatis Veſtræ adverſa cognovimus, majorem opinione dolorem cepimus. Nam & terras illas, ſi quid humanitus Illuſtritati Veſtræ acciderit, optimo Duce ac Principe & Filios Illuſtritatis Veſtræ digniſ-

simo parente, & nos ipsos fidelissimo amico & consiliario orbari, plane sine summa acerbitate ac dolore ferre non possemus: Rempublicam autem quoque ipsam morte atque obitu tanti viri & Principis maximo damno ac detrimento his præsertim temporibus affectam esse crederemus. Quamobrem pro nostro incredibili erga Illustritatem Vestram amore ac benevolentia Illustritatem Vestram rogamus & hortamur, ut postpositis rebus omnibus, valetudinem unam diligentet curet, detque operam, ut se quamprimum & nobis & terris illis, & Reipublicæ toti, & vero Filio inprimis suo, cujus adhuc tenera ætas paterna cura ac provisione magnopere indiget, firmum ac valentem restituat. Quod nos quidem etsi Illustritatem Vestram, pro sua prudentia singulari, summa cum diligentia facere arbitramur, tamen pro nostro summo ejus rei desiderio prætermittere non potuimus, quin nostro quoque nomine Illustritatem Vestram hortaremur; Ad eam vitam, ad quam se Illustritas Vestra recipere videtur, satis adhuc erit temporis, cum Deo visum fuerit, Illustritatem Vestram illuc advocare. Nos quidem verendum esse non arbitramur, ne Illustritas Vestra non satis tempestive in illud concilium pervenerit, etiamsi, quod nos maxime optamus, tardissime se hinc receperit. Interea videat Illustritas Vestra, ut in dies valetudinem suam magis atque magis confirmet. Hoc nobis eo tempore nil potest facere acceptius. Quæ de Svecicis tumultibus Illustritas Vestra ad

nos

nos perſcribit; deque ea inhumanitate, quæ a Rege in fratrem affinem noſtrum dicitur proficiſci, intelleximus. Quoniam autem hæc alunde, quam ex litteris ipſius Illuſtritatis Veſtræ intelligere non potuimus, Illuſtritas autem Veſtra, unde hæc hauſerit, ad nos non perſcribit, expectare parumper decrevimus, dum de eo aut ex ipſa Illuſtritate Veſtra iterum, aut ab aliis plenius cognoſcamus. Etſi enim ſe ita res haberet, conſilium Illuſtritatis Veſtræ ſequi omnino decrevimus, tamen niſi rebus bene cognitis & perſpectis, tentare quicquam apud Sereniſſimum Daniæ Regem nobis quidem adhuc non videtur. Interim pergratum nobis eſt quod Illuſtritas Veſtra ſe ad Serenitatem ipſius de eo, ſuo nomine, ſignificat perſcripſiſſe. Cupimus Illuſtritatem Veſtram ex hac, in qua eſt, ad optimam quamprimum valetudinem pervenire. Datum Vilnæ VI Octobris.

CCXLIII.

PALATINO MARIEBURGENSI.

De morbo Ducis Pruſſiæ.

MAgnifice, ſincere nobis dilecte. Quæ ex litteris Sinceritatis Veſtræ de adverſa valetudine Illuſtris Principis Domini Pruſſiæ Ducis Conſobrini noſtri chariſſimi cognovimus, ea nobis incredibilem dolorem pepererunt. Plane enim etſi Illuſtritatis ipſius videtur jam eſſe acta ætas, tamen diſceſſus quidem ipſius ex his terris, ſi quid forte ejusmodi, quod Deus differat, evenerit,

nerit, alieniore tempore & nobis & familiæ ſuæ, & provinciæ illi ac toti Reipublicæ accidere nunquam poterit. Scribimus ad Illuſtritatem ejus, ut cæteris omiſſis rebus, valetudinem curet diligenter, detque operam, ut ſe nobis quam primum reſtituat, quod ut S. quoque Veſtra Illuſtritatem ejus hortetur magnopere volumus. Miſſuri quoque brevi ad Illuſtritatem ejus Internuntium noſtrum ſumus, qui valetudinem Illuſtritatis ipſius noſtro nomine inviſat, fauſtaque & felicia omnia comprecetur. Datum ut ſupra.

CCXLIV.

DUCI CURLANDIÆ.

De injuriis ab arcium ſuarum præfectis Livonis illatis.

ILluſtris Princeps, amice ſincere nobis dilecte. Michaelem Narburt, quem nobis S. Veſtra commendat, gratia & benevolentia noſtra proſequimur, poſtulatorumque pro eo S. Veſtræ rationem habebimus. Is quæ ad nos attulit de injuriis, quibus ſubditi noſtri Livonia præſidiis arcium & civitatum afficiuntur, audivimus; id quod etiam copioſius & plenius ex Cancellario Sinceritatis Veſtræ intelleximus. Quamobrem etſi non ita pridem ſevera mandata ad nonnullos præfectos arcium dediſſe nos in manus ipſius Sinceritatis Veſtræ meminimus, ut ab injuriis ejusmodi abſtineant, & quæ per vim cuiquam ſubditorum noſtrorum ademerunt, ea reſtitui quam primum jubeant, tamen nunc etiam iterum atque

iterum

iterum ad universos dari jubebimus, eademque illa, quæ nonnullis jam imperata fuerunt, omnibus imperabimus, omni verborum severitate adhibita, ut videlicet seque suosque omnes a vi & injuriis in subditos nostros inferendis contineant, damnaque per id tempus illata sine mora resarciant. Quibus quidem mandatis nostris nisi satisfactum ab iis fuerit, tunc Sinceritas Vestra, quam primum in hyberna concesserit, suosque ex castris reduxerit, nobis significabit, ut commodiore tempore Commissarios ei rei designemus, qui querelis subditorum nostrorum exaudiendis a nobis præfecti, omnia ex æquo & bono constituant, militesque ad restituendas ablatas res & ad satisfaciendum subditis omnibus cogant autoritate nostra & compellant. Nunc enim adhuc, dum S. Vestra & reliquæ copiæ nostræ in castris versantur, non sane commodum nobis esse visum est, milites nostros a rebus gerendis, dum per tempus licet, ad ejusmodi judicium instituendum retrahere. Cum tempus erit, ut diximus, ostendemus Sinceritati Vestræ & cæteris, vim nos & injurias subditorum nostrorum magnopere dolere. Sinceritas Vestra bene valeat. Datum Vilnæ die IIX Octobris.

SCHEDULA INJECTA.

Affertur ad nos Illustrem Principem Dominum Joannem Ducem Finlandiæ affinem nostrum a Fratre suo Sveciæ Rege in deterrimam captivitatem abductum esse. Quamobrem cum Sin-

ceritas Vestra istinc propius adsit, omniaque certius scire possit, quicquid in illis regionibus agatur, idcirco Sinceritatem Vestram hortamur, ut sine mora ad nos perscribat, quicquid de his rebus cognitum habuerit; ipsa enim abunde intelligit, vehementer ea ad nos pertinere.

CCXLV.

DUCI PRUSSIÆ.

Eum aliquantum convaluisse conjectat & gratulatur, legatos ad tractationem Svecorum & Danorum destinat, Ericum a finibus recessisse gaudet, sed cui is obsides dederit, scire cupit, de Duce Christophero rem totam ei permittit, tandemque Benckendorffio multis de causis gratiam se facere posse negat.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Etsi litteræ Illustritatis Vestræ aperte nobis non nuntiant, id quod alioquin nobis jucundissimum foret, de recuperata valetudine Illustritatis Vestræ, tamen quoniam silentio eam rem prætereunt, nos autem & ex subscriptione litterarum manu Illustritatis Vestræ facta, & ex sermone Internuntii ipsius intelligimus, Illustritatem Vestram ex morbo, quo se antea oppressam esse querebatur, convaluisse, gratulamur plurimum Illustritati Vestræ, Deumque ipsum quæsumus, ut eam rem faxit Illustritati Vestræ esse quam maxime diuturnam. Salutem enim & incolumitatem Illustritati Vestræ, tum nobis ipsis, tum

tum Reipublicæ inprimis & terris illis Prussiæ existimamus esse magnopere utilem ac perneçessariam. Quod ad nos scribit Illustritas Vestra, institui Rostochii tractationes pacis inter Daniæ & Sveciæ Reges mutuo exacerbatos, quodque addit, ut nos quoque rebus nostris in his tractationibus ne desimus, gratum est nobis ab Illustritate Vestra. Etsi autem illud magnopere nostra interesset, ut ad quem diem eæ tractationes institutæ sint, scire intelligereque possimus, ut rebus nostris commodius per tempus prospiceremus, tamen ne sic quidem officium nostrum prætermissuri sumus, Commissariosque ad eam rem designabimus, qui nomine nostro gerendis illis negotiis interesse possint, aut vero etiam eos ipsos ablegabimus, qui proxime Sundii & Stetini cum Commissariis Danicis in communibus negotiis coierant. Quos sane ad tuendam causam nostram ad eum prorsus modum instruemus, quem ex litteris Illustritatis Vestræ intelleximus. Ducem Ericum recessisse cum exercitu ex ditionibus nostris gaudemus. Quod autem eum Illustritas Vestra properasse scribit in recedendo, vellemus ut in eo tantam celeritatem adhiberet, ut eum Internuntii nostri assequi non possint. Cum enim ad nos de iis damnis adfertur, quæ istic ab exercitu ipsius hominibus nostris sunt illata, propemodum pœnitere nos incipit, tam benignam adversus illum editam esse animi nostri significationem. Cupimus autem ab Illustritate Vestra certiores fieri, obsides quos septem ab eo datos fuisse

scribit, cuinam dati fuerint. De Duce Christophero significavimus antea Illustritati Vestræ mentem animumque nostrum. Agat igitur Illustritas Vestra, quod ex nostra reique nostræ publicæ utilitate ac dignitate fore existimat. Quod autem a nobis Illustritas Vestra petit, ut Caspar Benckendorff, qui pugione Wansovium Aulicum & militem nostrum in convivio perfodit, gratiam ejus cædis faceremus, id quidem nos Illustritati Vestræ causa non gravate faceremus, verum cum & ille, qui interemptus est, optime de nobis in iis obsequiis, in quibuscunque versatus est, meritus fuerit, & fratres ipsius nobiles homines, nobisque in iisdem obsequiis nostris obeundis magnopere commendati, vehementer apud nos instent, intelligit ipsa Illustritas Vestra, licitum nobis non fore ad extremum aliud sequi, quam quod commune ac legibus præfinitum fuerit. Interea tum Illustritatis Vestræ causa, tum nostra quoque ipsorum misericordia, rem quoad maxime possumus extrahimus, ac ad omnia, quæ in negotio per nos & consiliarios nostros geruntur, Internuntium ipsum Illustritatis Vestræ adhibemus. Mittimus etiam in manus Illustritatis Vestræ mandati litteras ad Generosum Joannem Kostkam, terrarum nostrarum Prussiæ Thesaurarium, ut summam pecuniæ quam Majestati Vestræ debemus, ad ferias Divi Martini ex collecta contributione persolvat. Nam ad Palatinum Maricburgensem ejusmodi litteras dare non potuimus, quod is pecuniam nostram aut publicam non soleat tra-

ſtare. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum XI Octobris.

CCXLVI.

DANIÆ REGI.

Subditorum ſuorum navem detentam & ad uſus bellicos deſtinatam reſtitui cupit.

SEreniſſime Princeps, Domine Frater & Affinis chariſſime. Retulerunt nobis Famati, Georgius & Matthias Gaddo, fratres, cives Gedanenſes, nauem ipſorum propriam ſatis amplam per homines Serenitatis Veſtræ primum ad bellica obſequia præſtanda detentam, deinde ad uſus bellicos acceptam abductamque eſſe. Quam cum hoc tempore repetere conſtituiſſent, ut a nobis eorum hoc negotium commendaretur S. Veſtræ, quo videlicet faciliorem ſe ipſis in ea recuperanda præſtaret, precibus a nobis contenderunt. Quas eorum preces nobis minime rejiciendas eſſe exiſtimavimus, cum officii noſtri Regii eſſe cenſeamus, ſubditorum noſtrorum commodis conſulere. Quamobrem a S. Veſtra pro amicitia, quæ nobis cum ipſa intercedit, poſtulamus, ut iisdem ſubditis noſtris facilem & æquum in ea navi reſtituendum ſe præbere, rationemque cum communis noſtræ amicitiæ, tum & ipſius humanitatis habere velit, quod hi ſubditi noſtri pleraque ejus generis incommoda hoc anno perpeſſi ſint. Quod quidem ut nobis de amicitia S. Veſtræ facile pollicemur, ita ad quamcunque occaſionem de ipſa bene merendi viciſſim nos eſſe paratiſſi-

mos libenter profitemur. Quam in multos annos valere cupimus. Datum Vilnæ XVI Octobris.

CCXLVII.

REGI ROMANORUM.

Gratulatur de Regno Hungariæ, & patriarum non minus virtutum quam provinciarum hæredem futurum ominatur.

SEreniſſimo Principi, Domino Maximiliano Divina favente &c. Cum ad nos allatum eſſet, Majeſtatem Veſtram, poſt delata antea ad illam primum Boemiæ, poſt autem Romanorum Regni gubernacula, nuper quoque Hungariæ Regem renuntiatum eſſe, pro ea, quæ nobis Majoribusque noſtris intercedit vetus cum familia Majeſtatis Veſtræ neceſſitudo, multis amicitiæ & benevolentiæ argumentis ſæpe confirmata, magnam ex eo nuntio & ſingularem cepimus voluptatem, continereque nos non potuimus, quin eum honorem, quem Majeſtas Veſtra pro ſuis ſummis virtutibus, & ea expectatione quam illi cum cæteri Divi Majores illius, tum inprimis pater & patruus ſummi viri, & perpetua laude digniſſimi attulerunt, eſt conſecuta, Majeſtati Veſtræ per has litteras gratularemur. In quo quidem illud nobis videtur eſſe præcipuum, quod ea ratione omnia pœne imperia, quæ Serenisſimum & Potentisſimum Principem Majeſtatis Veſtræ & noſtrum Parentem deſideratisſimum clarum inprimis ac celebrem reddiderunt, cum Majeſtate Veſtra communi-

municata jam esse videantur. Quod nos quidem tum ipsi Majestati Vestræ, tum universæ Reipublicæ Christianæ optamus esse quam maxime salutare. Volumus enim, ut sibi Majestas Vestra ita de nobis persvadeat, ut intelligat, omnes has accessiones suas, quæ illi divinitus intra hos paucos menses contigerunt, ita gratas ac jucundas nobis esse, ut eas quoque propter communem & veterem nostram familiæque nostræ conjunctionem, maghopere ad nos ipsos existememus pertinere. Bene valere Majestatem Vestram cupimus, ejusque nos fraterno amori diligenter commendamus. Datum XVIII Octobris.

CCXLIIX.

CONSILIARIIS PRUSSIÆ UTRIUSQUE STATUS.

Necessitatem in Comitiis Varsavienſibus comparendi ſtatibus demonſtrat, ad conſtituendas rectores Prusſiæ.

GRatum est nobis F. Vestrarum studium, quod in avertendis impendentibus isti provinciæ periculis eas ponere ex litteris cognoscimus; in eo enim fidem erga nos suam Fidelitates Vestræ evidenter declarant. Quod Comitia Varsaviæ indicta attinet, non videmus, quare Fidelitates Vestræ, quo minus illis interſint, tergiversari debeant; nam & sæpe alias quoties necesse fuit, hoc ipsum factum est, & ex Comitiis proxime Petricoviæ habitis, ita est discessum, ut ex communi

ni

ni omnium conſenſu, omnes qui tum quoque aderant Ordines, ad cœpta ulterius proſequenda in proximo conventu ſiſtere ſeſe teneantur. Neque vero eo ſe nomine Fidelitates Veſtræ ad Comitia evocatas putent, ut eis neceſsitas aliqua de rebus, ad ſe minime pertinentibus, conſultandi imponatur, ſed ut terrarum Prusſiæ veſtræque incolumitati, dum tempus eſt, proſpici poſſit, eoque magis quod ad nos defertur, ſub hunc inſperatum Ducis Erici adventum, præter Illuſtrem Ducem Prusſiæ, ac Gedanenſes, ejusdemque civitatis Caſtellanum, paucos admodum in armis fuiſſe, qui venienti hoſti opponi potuiſſent. Itaque ne in poſterum Prusſiæ cæteraque ditionis noſtræ dominia expoſita ejusmodi injuriis eſſe poſsint, mature providendum cenſemus; quod quoniam ſive publico aliquo adjumento, aut generali omni conſenſu, bonis præſertim Regalibus diſtractis, fieri nequit, F. Veſtræ ejus rei conſtituendæ cauſa his Varſavienſibus Comitiis non intereſſe non poſſunt. Hoc & præſens rerum ſtatus exigit, & fides nobis debita a nobis poſtulare videtur. Illud ſane nec nobis quidem ipſis placet, ſi quemadmodum ſcribitis, plurimi grandes etiam viri citationibus non adeo neceſſariis ab inquietis quibusdam hominibus moleſtentur, aliquem tamen pœna propoſita deterreri, ne jus ſuum, qualecunque tandem ſit, perſequi audeat, tyrannicum magis quam Regium videri poſſet. Hoc libertati omni Veſtræ magis accommodatum videtur, ne cuiquam via legitime injuriam perſequendi

quendi præcludatur; qui autem extra noxiam sint, nihilominus in jus vocati innocentiam suam palam probare ne recusent. Datum Vilnæ XIX Octobris.

CCXLIX.

PRUSSIÆ DUCI.

De liberatione Christopheri & profectione Varsaviensi Joannis Alberti, Ducum Megapolensium.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster chariſſime. Quid nobis rescribat Illustris Dominus Joannes Albertus Dux Megapolensis in negotio Fratris sui Ducis Christopheri, ex exemplo litterarum ejusdem hisce nostris adjuncto Illustritas Vestra cognoscet. Videmus autem negotium hoc Ducis Christopheri parum esse curæ Illustri Domino Duci Joanni Alberto. Itaque totum illud Illustritati Vestræ committimus, postulantes ut Illustritas Vestra in eam curam incumbat, quo causa hæc ex dignitate nostra decidi atque determinari possit. Scribit quidem nobis Illustritas illius, velle se ea de re Varsaviam ad nos venire, verum nobis, ut id faciat, non videtur. Est enim Varsavia locus angustus, & magna hominum frequentia, & negotiorum moles in conventum hunc devolventur. Itaque dissvadeat Illustritas Vestra Illustritati illius, ne ipsa tantam molestiam subeat, verum potius per Oratores suos nobiscum agat; faciet nobis Illustritas Vestra rem gratam. Quæ bene valeat. Datum ut supra.

CCL.

CCL.

ALBERTO DUCI MEGAPOLENSI.

De Duce Chriſtophero quid ſtatuendum, in Comitiis deliberandum nuntiat, ejus vero adventum ad Comitia deprecatur & ut pactorum rectius deinde memor ſit, hortatur.

ILluſtris Princeps, Domine Conſanguinee noſter chariſſime, ſalutem & perpetuam felicitatem. Accepimus litteras Illuſtritatis Veſtræ, quibus nobis & de ſuo in nos ſtudio & obſervantia plurima commemorat, & quod de ea Illuſtris Domini Chriſtopheri Ducis, Fratris ſui, defectione non ſolum ſciverit, verum etiam ab ea & litteris & legatione ſua illum dehortata, atque in officio retinere conata ſit; at nos quidem nihil unquam non modo de Illuſtritatis Veſtræ erga nos præclara voluntate, & benevolo animo dubitamus, verum etiam amica quæque omnia de illa nobis ſemper pollicebamur. Quod vero Ducem Chriſtopherum attinet, dolemus & nos vicem illius; verum non poſſumus non improbare ejus hunc pertinacem animum, qui a nobis tot affectus beneficiis parum memor, non ſine familiæ ſuæ dedecore, in eam ſe conditionem conjecerit, & multa damna nobis & ſubditis noſtris in Livonia dederit, quos etiam ad defectionem ſolicitare veritus non fuerit. Utut tamen illi accidit, nos nihilominus illum pro noſtra humanitate, & tractamus benigne, & nil durius in eum ſtatui cuperemus, cujus quidem cauſam ad Regni noſtri Comitia

mitia rejecimus, Senatorum noſtrorum ſententias de ea rogaturi. Quod vero Archiepiſcopatum Rigenſem attinet, de quo Filio ſuo, Illuſtri Sigismundo Auguſto, ſiquidem eam dignitatem Illuſtris Dux Chriſtopherus repudiaverit, provideri per nos Illuſtritas Veſtra petit, nil certi ea in re Illuſtritati Veſtræ reſpondere poſſumus: nondum enim de eo cum Duce Chriſtophero tranſegimus, nec etiam qualis ejusmodi tranſactio eſt futura, perſpicere poſſumus. Quod vero ejus rei cauſa, tum & in Fratris ſui Illuſtris Ducis Chriſtopheri negotio, ad Regni Comitia venire, ac coram nobiſcum agere, conſpectuique noſtro velle ſe frui ſcribit, eſſet & nobis profecto non ingratum conſpectu & colloquio Illuſtritatis Veſtræ oblectari. Verum cum videamus tantam negotiorum molem in ea Comitia incidere, facile perſpicimus, non poſſe commode Illuſtritatem Veſtram per ſe ea negotia iſtic curare, cum quod nos Regni & Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ magnis & arduis negotiis diſtineri oportebit, tum quod Varlavia, ubi Comitia ſunt indicta, ſit locus anguſtus, & hominum magna frequentia ſit in eis futura. Itaque videretur nobis commodius Illuſtritatem Veſtram per oratores ſuos, negotia ſua nobiſcum peragere. Cæterum quod nobis Illuſtritas Veſtra equites quadringentos, uti inſtituerat, domeſticis motibus impedita mittere in ſubſidium non potuerit, accipimus nos in eo excuſationem Illuſtritatis Veſtræ, non dubitantes ſe tempore alio, cum res noſtræ poſtulaverint, auxi-

auxilio nobis futuram atque suam nobis benevolentiam in eo probaturam. Quod vero de Duce Erico Brunsvicensi scribit Illustritas Vestra, atque causas illius transitus recenset, quamvis non debuit re vera Illustritas Vestra transitum per ditionem suam illi præbere, cum nullas a nobis habuerit litteras, aut saltem nos de ejus adventu præmonere debuerat, cum id & mutua nostra necessitudo, & pacta communia exposcant, nihilominus tamen accipimus nos in eam quam cupit partem excusationem Illustritatis Vestræ; tamen si quid postea ejusmodi acciderit, postulamus ut Illustritas Vestra ejusmodi homines transitu prohibeat, & nos de eis in tempore certiores faciat. Tandem Illustritatem Vestram bene valere cupimus. Datum Vilnæ XX Octobris.

CCLI.

DUCI PRUSSIÆ.

Stipendia annua repudiata fuisse ab Erico miratur, ad bellum navale adversus Svecos instruendum vires sibi esse negat, ad pacificationem Rostochii instituendam legatos destinat, & ad cætera Ducis postulata respondet.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster charissime. Quod scribit Illustritas Vestra de non acceptis a Duce Erico stipendii nostri conditionibus, permirum nobis accidit. Quæ enim a sola liberalitatis nostræ in eum testificatione, nullo aut debito aut necessitate proficiscebantur, ea plane gratissimo animo acceptum iri ab eo existimabamus,

ut

in eoque, uti Illustritatem Vestram meminisse arbitramur, magis sane verebamur, ne id quasi per metum a nobis extortum esse videretur, quam ut ab eo repudiaretur. Sed tunc quidem persuasionibus & consilio Illustritatis Vestræ adducti fuimus, ut illi stipendium id constitueremus; nunc autem cum ad nos crebris subditorum nostrorum ex Prussia, atque adeo consiliariorum ipsorum litteris affertur, damnis non mediocribus provinciam illam ab exercitu ipsius adfectam esse, non prius de omni ratione stipendii istius aut agenda, aut constituenda sententiam nostram explicare possumus, quam ex generoso Georgio Basnisicki, quem ad ipsum cum mandatis nostris miseramus, omnia quæ ibi acta sunt, plene cognoverimus. Quicquid autem in hoc genere faciendum decrevimus, non faciemus inscia Illustritate Vestra. Regem Sveciæ non tam ex litteris quam ex factis ipsis hostili atque inimico adversum nos fœderatosque nostros esse animo jam pridem cognovimus. Eas enim nobis animi sui significationes dedit, quæ apertas nostras inimicitias præ se ferunt. Eum nos quidem reprimere studemus, quantum maxime possumus, idque etiam porro per Dei gratiam, non minore studio, facturi sumus; verum quod ad navale bellum gerendum invitamur, id quidem Illustritas Vestra intelligit esse ultra nostram facultatem, plane enim ab omni nautico instrumento, præsertim bello idoneo, imparati sumus, præterea autem nullum in hoc genere Divorum majorum nostro-

rum exemplum habemus, quo suscipiendo navali bello invitemur. Illud tamen in eo non prætermisimus, quod Gedanenses & quosdam alios privatos homines ex maritimis nostris civitatibus excivimus, ut ii pro arbitrio suo, instructis ac ornatis ad eam rem navibus, Suecos ultro citroque commeantes in mari intercipiant, a quibus quidem, ut scit Illustritas Vestra, non segnis hactenus navata est opera; itaque faciemus iterum atque iterum, & plures etiam ad simile officium excitabimus, nisi forte pax, quæ ostendi videtur, coierit. Quo quidem si ventum erit, non intermittemus Commissarios nostros Rostochium mittere cum conditionibus, quas Illustritas Vestra perscribit, dum modo ab arbitris ipsis certiores facti fuerimus. Interim & Gedanensis fidei ac officii illorum admonebimus, & ad Curlandiæ Ducem litteras dabimus, quos utrosque portus ac munitiones præsidiis majoribus firmare jubebimus. Vestra autem quoque Illustritas Illustrem Megapoliæ Ducem per litteras iterum atque iterum admoneat, ne quem transitum militi Germanico per ditiones suas in Sveciam permittat. Quod quidem jam semel Illustritatem ejus fecisse, libenter ex litteris Illustritatis Vestræ agnovimus. Alexandro a Puchlen, quem nobis Illustritas Vestra commendat, quantum maxime per leges poterimus, libenter autoritate nostra aderimus; nunc quidem id fieri non potuit. Quæ ad me Illustritas Vestra de rebus novit perscribit, agnoscimus in eo studium erga nos, & diligentiam Illustritatis

tatis Veſtræ. De Duce Finlandiæ nos quidem poſt illas Illuſtritatis Veſtræ litteras nil audivimus, expectamus aliquid a Duce Curlandiæ; ad eum enim de eo perſcripſimus. Veſtra Illuſtritas, ſi quid etiam habuerit, ad nos ſine mora perſcribet. Quam bene valere cupimus. Datum Vilnæ XXI Octobris.

CCLII.

GEDANENSIBUS.

Ad muniendum adverſus Svecos portum urbemque hortatur.

SPectabiles & Famati fideles dilecti. Adfertur ad nos Sveciæ Regem in animo deſtinaſſe, cum primum commode poterit, prorſus munitiones noſtras maritimas majoribus viribus oppugnare, omniaque tentare, quæ ad nocendum nobis provinciisque noſtris pertinere videbuntur. Quamobrem Fidelitates Veſtræ, quod fides & officium illarum requirit, id tanto ſtudioſius hoc tempore exequantur, quantum & hoſtes iſtos promptiores eſſe ad nocendum ſibi intelligunt, & quanto nos quoque ipſi F. Veſtras magis adhortamur. Inprimis autem portus & munitionum ſuarum eam curam ſuſcipiant, ut omnis in his oppugnandis hoſtium conatus irritus fore videatur. Pro officio ſuo & gratia noſtra.

Datum Vilnæ ut ſupra.

Digitized by Google

CCLIII.

DUCI CURLANDIÆ.

Pulsos ab oppugnatione arcis Lodenſis Svecos, neque minus captam a Vejero arcem Leal fuiſſe lætatur, & ſi quid de Finlandiæ Duce compertum habeat, ſibi nuntiari cupit.

ILluſtris Princeps, Domine Amice noſter charissime. Probatur nobis conſilium Illuſtritatis Veſtræ, quod omiſſa difficili, ut ſcribit, Pernoviæ oppugnatione arci Lodenſi ſubſidio venerit, atque eo magis, quod ope Divina, cui merito habenda eſt gratia, hoſtis retrocedere coactus, tum arx liberata, & ſocii adjuti, tormenta denique cæteraque inſtrumenta bellica, quæ hoſtes in fuga reliquerant, capta ſint, quæ ne iterum in poteſtatem hoſtium deveniant, F. Veſtræ erit providere. Quod milites noſtros attinet, eam ſummam pecuniæ, quam Caunæ ad rationem ſtipendii acceperant, ob fidem eam ac rem bene geſtam ad interceſſionem Illuſtritatis Veſtræ illis remittimus. Quod autem Illuſtritas Veſtra ſcribit, conſultum eſſe hunc ipſum militem in longum tempus detineri, id nos ita probaremus ſi quidem illi habita ratione victualium, quæ in his regionibus parvo ſumptu parantur, eodem quo cæteri noſtri milites ſtipendio contenti eſſe velint; Quicquid autem hac in parte Illuſtritas Veſtra cum illis egerit, velit nos certiores quam primum reddere. De ſubvehenda iſti provinciæ terra, aut mari annona, nullo pacto a nobis provideri

videri poteſt; ii enim bellorum motus, qui inter Daniæ ac Sveciæ Regna intercedunt, mare infeſtum reddiderunt: Viciniores autem hæ provinciæ ita exhauſtæ jam ſunt, ut tanto alendo militi (præter Lithuanos enim ad decem millia hominum aliunde accerſimus) ſuffecturæ vix videantur. Itaque alia Illuſtritati Veſtræ ineunda erit ratio, quo pacto provincia illa, ſi forte ipſa ſibi non ſufficiat, ſuſtentari poſſit. Quæ nobis de occupata per Vajerum arce Leal ac aliquot Svecicis militibus captis Illuſtritas Veſtra per Internuntium ſuum ſignificavit, libenter audivimus, præſertim ſi ea res ejus momenti ſit, ut ſumptus a nobis factos aliqua ex parte ſarcire poſſe videatur. De iis qui ab obſidione Lodæ rejecti atque a Revalienſibus intra mœnia accepti non ſunt, Illuſtritas Veſtra viderit. Deum precamur ut cœptis ejus aſpirare velit. Quod ſi qui ſint, qui a Sveco (prout Illuſtritas Veſtra nobis nunciat) deſciſcere, ac nobis operam navare velint, cum iis Illuſtritas Veſtra ita tranſigat, ut ne quid nobis ad eum ſumptum, quem alioqui magnum facimus, plus æquo accedat. Scribit nobis nobilis Chriſtopherus Konarski fama percepiſſe, Illuſtrem Finlandiæ Ducem una cum conjuge ſua, ſorore noſtra, a Rege Sveciæ captos detineri, quod etſi fictum ſuſpicamur, neque eum tam inimico erga fratrem animo eſſe credimus, nihilominus tamen, ſi quid certi ea de re cognoverit Fidelitas Veſtra, nobis perſcribere non gravetur. Arces autem, quas Illuſtri Duci Finlandiæ

in Livonia permiſimus, ſi forte eis aliqua vis a Rege inferatur, Illuſtritas Veſtra curæ habeat, ac ſi in ſubſidium vocetur, ſine mora illis opitulari ſtudeat. Tandem Illuſtritatem Veſtram bene valere cupimus. Datum in Grodno XXVII Octobris.

CCLIV.

LOCUM TENENTI REGIS DANIÆ IN LIVONIA.

De ſucceſſu Livoniæ, & ſumptu in gratiam Regis Daniæ facto, nec non de fama pacis inter Svecos & Danos ineundæ.

GEneroſe grate nobis dilecte. Libenter ex litteris G. Veſtræ intelleximus, non irritum fuiſſe militum noſtrorum conatum, qui ſubſidio arci Lodenſi ac ſociis juvandis venerant, idque eo magis, quod ob hanc operam, quemadmodum G. Veſtræ ſcripta indicant, Deo optimo maximo debetur gratia, qui quidem eorum omnium, quæ proſpera hominibus accidunt, ſolus autor eſt. Quod G. Veſtra ſcribit, non ex re tam Sereniſſimi Regis Daniæ, quam noſtra quoq; futurum, ſi exercitus iſte, quem nunc in Livonia habemus, dimittatur, nos quidem eum ſumptum, quem in alendo hoc ipſo milite hucusq; fecimus, Sereniſſimi Regis Daniæ cauſa maxime fecimus; nam quod nos attinet, non contemnendas pacis conditiones, ſi eas acceptare voluiſſemus, a Svecorum Rege propoſitas jam pridem habemus. Nunc autem perfertur ad nos Sereniſſimum Regem Daniæ cum Sveco de pace agere, cui quidem nos fidem habere non

non poſſumus, alioqui ſignificaturam id nobis quoque ſuam Serenitatem prius fuiſſe arbitramur. Ut autem ſeſe res habet, nos pro virili noſtra cavebimus, ne quid ſuam Serenitatem fœderis nobiſcum initi pœnitere poſſit. G. Veſtram bene valere cupimus. Datum Grodnæ ut ſupra.

CCLV.

CAPITULO VARMIENSI.

Status Pruſſiæ in Comitiis Varſavienſibus comparere his temporibus neceſſarium eſſe probat.

VEnerabile devote nobis dilecti. Etſi conſiliariis noſtris terrarum Pruſſiæ ſatis antea reſpondimus ad eas litteras, quibus ſupplicarunt nobis, ne terrarum illarum Ordines ad Comitia Regni noſtri Varſaviam evocari pateremur. Tamen quoniam ex reſponſo quoque, quod ab iis ad legationem noſtram in conventu proximo Torunium datum eſt, idem adhuc a nobis peti intelligimus, faciendum nobis eſſe exiſtimamus, ut iterum atque iterum voluntatem de ea re noſtram ad D. Veſtras & reliquos perſcriberemus. Itaque primum omnium ſcire D. Veſtras volumus, non poſſe nobis ulla ratione perſvaderi, omnium iſthic & ſingulorum Ordinum ac hominum voluntate fieri, ut res tam neceſſariæ, & non ſolum communi Ordinum Regni noſtri voluntate, in proximis Petricovienſibus Comitiis conſtitutæ, ſed etiam ad communem omnium ditionum noſtrarum ſalutem, magnopere pertinentes, quibus tractandis Comitia hæc Varſavienſia indicta ſunt, infici

debeant ; ſed duces & autores paucos quosdam eſſe oportere, qui cum ipſis ea res privatim diſpliceat, tum eam ſane communi conſilio infectam velint reddere. Neque enim de fidelium ſubditorum noſtrorum fide erga nos & obſervantia aliter exiſtimare poſſumus, quam debemus, neque fieri poſſe ulla ratione arbitramur, ut quæ res de omnium Regni noſtri Ordinum conſilio, in proximis comitiis inventa eſt & decreta, ſalutaris, quamque etiam plerique ex terris Prusſiæ, ut maxime ſalutarem, non ſolum approbare, ſed etiam optare videbantur, nunc derepente ab omnibus repudiari debeat, cum omnino non modo res ipſa loquatur, ſed etiam reſponſum ipſum datum ab Ordinibus illis ad legationem noſtram plane præ ſe ferat, Pruſſiam provinciam auxiliis Regni noſtri ad depellendos hoſtes a cervicibus ſuis inprimis indigere. Quis eſt enim qui non intelligat, unione illa cum Regno noſtro magnopere opus eſſe, cujus gratia potiſſimum Varſaviæ hæc Comitia ſunt inſtituta. Itaque D. Veſtras, quas profecto de Republica bene ſentire nobis perſvademus, etiam atque etiam & iterum atque iterum hortamur, omnino habere volentes, dent operam quam maxime pro officio ſuo & fide nobis ac Reipublicæ debita, ut omni excuſatione poſthabita, Nuntii iſtinc ab Ordinibus omnibus deſignentur, qui plena inſtructi facultate ad Comitia Regni noſtri Varſaviam veniant, ac unionis hoc negotium tam neceſſarium & ſalutare cum cæteris terrarum Regni noſtri nuntiis promoveant, cæteraque omnia agant,

gant, quæ tempus & neceſſitas ipſa rerum communium videbitur poſtulare. Illud enim jam nunc D. Veſtris & reliquis omnibus denunciamus, nos propter abſentiam quorumcunque omiſſuros non eſſe, quo minus rei tam neceſſariæ & tam ſalutari de communi Senatorum ac reliquorum Regni noſtri Ordinum ſententia finis quam primum imponatur. Quisquis autem fuerit, qui eam rem privatis conſiliis impedire conatus fuerit, is quidem ut arbitramur nec Reipublicæ officium, nec nobis fidem ac ſubjectionem ſuam ſatis probavit. Quod autem a nobis per litteras quoque petitum eſt, nomine conſiliariorum communi, ut in dimittendis ex Livonia Germanicis copiis rationem tranquillitatis terrarum Pruſſiæ habeamus, id quidem cum ſine conſilio Ordinum terrarum illarum recte expediri a nobis poſſe non videtur, perneceſſarium eſſe exiſtimamus, ut non minus ob hanc, quam alias quoque urgentes cauſas, Varſaviæ ab omnibus terrarum illarum Ordinibus ſine mora conveniatur. Datum Grodnæ, &c.

Eodem exemplo ad Epiſcopum Culmenſem, Capitaneum Varmienſem, Palatinum, Caſtellanos, Succamerarios, Majores Civitates; ad Caſtellanum vero Gedanenſem additum:

Litteras has ſingulas, quas in faſciculum involutas ad F. Tuam mittimus, reddi curabit F. Tua iis quibus ſunt inſcriptæ.

CCLV.

AD OMNES MINORES CIVITATES.

Ejusdem argumenti.

FAmati fideles dilecti. Supplicatum est nobis non ita pridem per litteras consiliariorum terrarum Prussiæ, & per responsum eorundem ad legationem nostram Thorunensem, ut ne Ordines terrarum illarum Varsaviam ad Comitia evocari pateremur. Quæ res cum nobis non solum constitutionem Comitiorum Petricoviensium proximiorum evertere, sed etiam negotia pro salute terrarum illarum ac omnem denique ditionem nostram feliciter incœpta impedire videatur, iterum atq; iterum admonendas esse Fidelitates Vestras existimavimus, quas profecto de Republica bene sentire nobis persvademus; dent operam F. Vestræ, &c. ut supra. Datum Grodnæ die quo supra.

CCLVI.

DUCI CURLANDIÆ.

De cæde Ducis Finlandiæ certi quicquam scire, & ut arcium, quæ ad eum spectabant, cura habeatur, cupit.

ILlustris Princeps, amice sincere nobis dilecte. Significatum est nobis a Serenissimo Daniæ Rege Illustrem Principem Joannem Ducem Finlandiæ, affinem nostrum, pila bombardica ictum occubuisse. Quod etsi nec affirmare adhuc pro certo possumus, & sane minime omnium cupe-

remus,

remus, tamen quod ſemel atque iterum Illuſtritatem Veſtram admonuimus, volumus, ut Illuſtritas Veſtra arces illas, quæ ipſi in Livonia pignori per nos traditæ fuerant, curæ habeat, diligenterque provideat, ne in poteſtatem Sveciæ Regis ulla ratione perveniſſe videantur. Inprimis autem ſi hi rumores de nece Illuſtritatis ipſius Ducis Finlandiæ veri ſunt, quod nos quidem nollemus, aget Illuſtritas Veſtra cum iis militibus, qui in earum arcium præſidio ſunt collocati, ut aut æquis conditionibus de iis arcibus nobis concedant, easque poteſtati noſtræ permittant, aut ſi obtineri id ab eis non poſſit, tum ut eas quidem ipſi teneant. Sed quoniam arces ipſæ ad directum noſtrum dominium proprie pertinent, Jusjurandum Illuſtritati Veſtræ præſtent, ſe de iis arcibus nulli homini, præterquam nobis ipſis, aut mandatariis noſtris eſſe conceſſuros, cujus etiam rei tractandæ ac perficiendæ gratia, litteras ad ipſos apertas mittimus in manus Illuſtritatis Veſtræ. Ut ut vero res de Illuſtri ipſo Finlandiæ Duce ſe habeat, cupimus magnopere, ut in tuendis ac providendis iis arcibus ad omnium temporum & rumorum oportunitatem, ſtudiumque nobis & diligentiam ſuam Illuſtritas Veſtra quam maxime præſtet. Quæ bene valeat. Datum.

CCLVII.

LITTERÆ UNIVERSALIUM AD MILITES DUCIS FINLANDIÆ.

Fidem haberi rebus a Duce Curlandiæ perficiendis jubet.

Uni-

UNniversis & singulis Capitaneis, Rothmagistris, militum Præfectis, militibus denique ipsis, qui ab Illustri Principe Domino Joanne Duce Finlandiæ, affine nostro charissimo, in præsidiis arcium sibi a nobis in Livonia oppignoratorum, sunt collocati, grate & fidelibus nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Grate & fideles nobis dilecti. Commisimus nonnulla Illustri Principi Domino Gotthardo Duci Curlandiæ, & nostro in Livonia Gubernatori, quæ nostro nomine ad Grat. & F. Vestras referret. Quamobrem cupimus ut illius verbis non secus quam nostris fidem habeant, & ad ea, quæ ex Illustritate ipsius intelligent, studium & voluntatem suam adjungant, facturæ G. & F. Vestræ pro officio suo & gratia nostra. Datum in Knyssyn.

CCLIIX.

VENCESLAO SZAK.

Numerum ministrorum Ducis Christopheri non ultra septenarium extendendum esse jubet.

GEnerose, fidelis dilecte. Intelleximus in comitatu Ducis Christopheri Megapolensis plures homines esse, quam per nos Vilnæ adhuc constitutum & Fidelitati Tuæ mandatum fuit. Nam famulos circiter decem & septem habere dicitur, qui iterum ministrorum suorum magnam catervam secum circumducant. Ea autem universa turba ex vagis quibusdam hominibus collecta dicitur Germanorum, qui ad familiam

Ducis

Ducis ipſius minime pertinent, nec in ea unquam cenſebuntur. Quamobrem mandamus F. Tuæ, ut hanc turbam inutilem a familia Ducis amovent, familiam autem ipſam ad ſeptenarium numerum redigat, quem a nobis Vilnæ habet conſtitutum. Nec aliter faciat pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum ex Camieniek VIII Novembris.

CCLIX.

ALBERTO DUCI MEGAPOLENSI.

Cupit eum in itinere, quod Varſaviam verſus inſtituat, apud Ducem Pruſſiæ morari, donec Comitia paulum deferveſcant.

ILluſtris Princeps, Domine amice & conſanguinee noſter chariſſime. Etſi antea Illuſtritati Veſtræ ita ſignificaveramus, maluiſſe nos ut Illuſtritas Veſtra nobiscum hoc tempore per litteras vel Internuntios ſuos ageret, quam ut ipſa ad nos ſe reciperet, propter ejus loci anguſtiam, in quo Comitia ſunt indicta, & propter hominum maximam frequentiam, quæ Comitiis interfutura eſt: tamen quandoquidem Illuſtritas Veſtra iter hoc jam inivit, quod ex ipſius ad nos litteris intellexi-mus, non abnuimus, quo minus Illuſtritas Veſtra illud perficiat, ad nosque veniat. Cuperemus tamen, ut dum initia ipſa Comitiorum deferveſcunt, Illuſtritas Veſtra ad Illuſtrem Dominum Pruſſiæ Ducem ſocerum ſuum aliquantiſper ſe contineat, ut interim eo commodius hoſpitiis ipſius proſpici per magiſtratum ac provideri poſſit. Bene

valere

valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Varsaviæ XI Novembris.

CCLX.

ORDINIBUS TERRARUM PRUSSIÆ.

Contributiones confestim exigi, & sibi transmitti, ad numeranda militibus, stipendia jubet.

REverende in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Dies inferendæ in ærarium nostrum ejus contributionis, quæ proxime in conventu Marieburgensi a S. Tua, & omnibus terrarum Prussiæ Ordinibus decreta fuit, jam præteriit. Expositum verò est nobis, ipsam adhuc in ærarium nostrum illatam plene non esse, ex eo quod sint plerique omnes, qui eam non ad thesaurum nostrum Prussiæ, sed ad nos ipsos profiteantur se esse allaturos. Quod quidem etsi alioqui nobis non displiceret, tamen cum hoc tempore pecunia ad persolvenda militum nostrorum Livonicorum stipendia magnopere egeamus, quos sane milites spe maxime ejus contributionis ad stipendia nostra evocaveramus, nec fieri posse videamus, ut fremitum militis flagitantis emerita stipendia diutius sine præsenti pecunia cohibere valeamus, S. Tuam hortamur, ut contributionem ipsam plene de suis suorumque subditorum possessionibus secundum rationem universalium nostrarum litterarum exactam, accisa etiam inclusa, Marieburgum, sicuti fieri ab aliis cœptum esse dicitur, deferri jubeat, ut inde in Lithuaniam quam primum

ad

ad persolvenda stipendia Livonici militis perferatur. Nobis autem ea res æque grata futura est, ac si nobis ipsis propria contributio ipsa redderetur. Factura S. Tua pro officio suo & gratia nostra. Datum Varsaviæ XIII Novembris.

CCLXI.

DANIÆ REGI.

De Legationis Svecicæ causis variis, ex quibus patet eam in præjudicium Regis Daniæ institutam non fuisse, nec non de liberando e carcere, quo mancipari dicatur, Duce Finlandiæ.

SEreniſſime Princeps, Domine Frater & Affinis noſter chariſſime. Intelleximus ex litteris Illuſtris Principis Alberti in Pruſſia Ducis, Conſobrini noſtri chariſſimi, profectionem Magnifici Joannis Comitis in Thenczyn Palatini Belzenſis, quam in Sveciam proxime inſtituerat, in nonnulla ſuſpicione apud Serenitatem Veſtram eſſe, quaſi ea aliud quiddam quæſitum ſit, quam præ ſe ipſa ferre videatur, præſertim cum legationem ejusmodi prætenderet, quæ rebus ipſis, quæ in Svecia nunc geruntur, minime conveniret. Quamobrem faciendum nobis exiſtimavimus, ut de ea profectione ipſius ſententiam quoque noſtram S. Veſtræ exponeremus. Principio igitur illud non obſcurum fuerit, oratorem illum a nobis deſignatum cum mandatis noſtris fuiſſe eo primum tempore, quo cum Serenitate Veſtra, præter commune & vetus illud bonæ vicinitatis atque affinitatis vinculum nulla privatæ alicujus ſocietatis neceſſi-

tudine

tudine adſtricti eſſemus. Id ita eſſe, & tempus in litteris adſcriptum, & ratio ipſa legationis inſtitutæ, quam Serenitati Veſtræ exhibitam eſſe ſcimus, abunde poteſt demonſtrare. Deinde autem illud profitemur, totam legationem ipſius potiſſimum Comitis cauſa decretam a nobis ac conſtitutam fuiſſe. Cum enim nos per Dei gratiam eo loco eſſe intelligeremus, ut a Svecorum terroribus non magnopere metuere debeamus, nulla ſane nobis neceſſaria cauſa eſſe potuit inſtituendæ tunc temporis legationis iſtius. Sed cum is Comes cupidum ſe eſſe Svecicarum nuptiarum nobis oſtenderet, nos autem hominem ſpe jam quaſi certa illarum nuptiarum irretitum, a nuptiis quas nunquam probabamus, vi legum noſtrarum, quæ hominibus nobis ſubjectis libera eſſe prorſus in omnes partes orbis terrarum matrimonia voluerunt, avocare non poſſemus, fecimus eo maxime poſtulante, ut illi legationem hanc, honeſtandi magis ipſius, quam rebus noſtris proſpiciendi gratia decerneremus. Quam tamen legationem, ut primum de ſocietate cum Serenitate Veſtra ineunda tractare cœpiſſemus, revocavimus ipſique, omnino interdiximus, ut ne in Sveciam hoc tempore proficiſceretur, neve legationem amplius ullam noſtro nomine obiret. Nunc etſi utrumque in illo non probamus, & profectum videlicet illum eſſe & legationem noſtram præ ſe tuliſſe, tamen alterum gravius, ut debemus, accipimus, legatione emque illam aſſimulaviſſe, indigno prorſus ferimus animo, idq; ita eſſe, quantum maxime per leges Regni noſtri

noſtri poterimus, declarabimus ubi redierit. Interea ut Serenitas Veſtra ſuſpicionem omnem, quæ nobis ſocietateque noſtra indigna, ex hoc ipſius facto oriri forte poſſet, aboleat ex animo, de nobisque ſibi omnia ſocii & amici Regis officia perſvadeat ac polliceatur, cupimus. Quoniam autem ex iisdem litteris Illuſtris in Pruſſia Ducis intelleximus, Illuſtrem Principem Dominum Joannem Ducem Finlandiæ, Affinem noſtrum chariſſimum, a Fratre Rege captivum abductum eſſe, Veſtræ autem Serenitati pro mutua amicitia & conjunctione noſtra curæ fore, ut inde quam primum poſſit liberari, etſi de ejus Ducis captivitate varii ad nos nuntii adferuntur, tamen nos voluntatem Serenitatis Veſtræ erga Affinem noſtrum gratiſſimo animo accipimus, ab eaque petimus, ut & de his rebus, quæ circa eum fiunt ac geruntur, certiores nos ſubinde faciat, & ſi quo in adverſo caſu teneatur, demonſtret Serenitas Veſtra, ſe illi vel noſtra ſaltem cauſa, non eſſe defuturam. Nam nos quoque populis Serenitatis Veſtræ, qui ſunt in Livonia, nec defuimus proximis iſtis temporibus, nec deinceps defuturi ſumus. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum Varſaviæ XIII Novembris.

CCLXII.

DUCI PRUSSIÆ.

Vanam eſſe Regis Daniæ de legatione ſua Svecica ſuſpicionem probat, ſtipendium Ducis Erici augeri recuſat, & cauſas vocatorum ad Comitia Pruſſiæ Ordinum exponit.

ILlustris Princeps, Domine Consobrine noster chariſſime. Gratum nobis fuit officium Illuſtritatis Veſtræ, quod nos de iis rebus, quæ ad ſe a Sereniſſimo Danorum Rege perſcribuntur, fecerit per litteras certiores. Etſi enim quædam varie narrantur ab autoribus variis, tamen nos qui in expectatione fuimus cognoſcendi nonnullas res ex iis, quas nunc ex litteris Illuſtritatis Veſtræ percepimus, ſtudium erga nos Illuſtritatis Veſtræ grato, ut debuimus, animo accepimus, cupimusque, ut occaſionem nullam prætermittat, qua nobis poſſit ejusmodi ſtudium declarare. Scribimus ad Sereniſſimum Regem Daniæ, eique ſuſpicionem omnem eximere conamur, in quam adductam Serenitatem ejus a nonnullis ex ea profectione Magnifici Comitis in Tenczin quam in Sveciam inſtituerat, ſcribit ad nos Illuſtritas Veſtra. Earum litterarum exemplum ad Illuſtritatem Veſtram mittimus. Legatis autem Illuſtritatis Veſtræ, cum huc advenerint, ipſas quoque litteras oſtendi jubebimus, quas nos ad præfatum Comitem, quasque item Comes præfatus ad nos per id tempus dabat de hac in Sveciam profectione ſua, unde intelligi poterit, præter voluntatem noſtram profectum illum eſſe. Illuſtritas Veſtra nos quoque in levanda hac ſuſpicione apud Serenitatem ejus diligenter adjuvabit. De augendo Erici Ducis ſalario nos quidem Illuſtritatis Veſtræ ſtudium in optimam partem accipimus: ipſum vero Ericum Ducem vehementer demiramur. Nam cum nos adducti maxime perſvaſionibus Illuſtritatis Veſtræ,

Vestræ, stipendium illi satis liberale constituissemus, de quo tamen nunc etiam a Senatoribus nostris reprehendimur, quod is, qui nobis insciis atque adeo nolentibus exercitum intra fines nostros adduxisset, non salario remunerandus fuisse videatur, ille tamen litteris salarii acceptis, nec perfuncta ea cautione, quæ litteris ipsis adnexa fuit, salarium sibi augeri postulat, quod nobis sane videtur periniquum. Itaque habebit nos Illustritas Vestra excusatos, quod postulatis Illustritatis Vestræ satisfacere in eo non potuimus. De eo autem, quod is mutuum sibi remitti a Gedanensibus postulat, nos quidem, quid in utramque partem ab illis respondeatur, minus laboramus; ut enim æs illud alienum insciis nobis contractum fuit, ita qua potissimum ratione dissolvatur, non existimamus nobis esse valde cogitandum. At Comitia Regni nostri quod Prussiæ Ordines accersimus, summa non tantum ratione, sed etiam necessitate adducti, fecimus. Cum enim decreto Comitiorum superiorum Petricoviensium constitutum esset, ut rationes unionis & executionis in Comitiis superioribus inchoatas, ad exitum deduceremus, ad idque omnes, quorum res ageretur, accerseremus, Prussiæ profecto Ordines prætermittere nec potuimus, nec debuimus, quod ad eos unionis & executionis ratio maxima ex parte pertinere videretur. Itaque & accersivimus illos quidem, & Comitiis ipsis omnino adesse voluimus, ut præter cætera urbis etiam Gedanensis adversus hostiles machinationes

nes muniendæ consilium ab eis exquireremus, de quo recte nos ab Illustritate Vestra existimamus submoneri. De hospitiis profecto, quod a nobis Illustritas Vestra postulare visa est, ita iis provideri jubebimus, ut intelligant sui a nobis non postremam esse habitam rationem. Illustritatem Vestram bene valere cupimus. Datum XV Novembris.

CCLXIII.

DUCISSÆ PRUSSIÆ.

De stipendio Fratri ejus, Duci Erico, concedendo.

Illustris Princeps, Domina Affinis nostra charissima. Litteras Illustritatis Vestræ accepimus, quibus à nobis petit Illustritas Vestra, ut ejus voluntatis, qua nos Illustris Princeps, Dominus Ericus Dux Brunsvicensis, Frater Illustritatis Vestræ, adducendo exercitu est prosecutus, rationem haberemus sumptumque ipsius aliqua ex parte levaremus. Quamobrem Illustritatem Vestram scire volumus, etsi hoc tempore ejusmodi officiis Illustris Ducis Erici minime indigeremus, tamen veteri nostra benevolentia erga familiam Brunsvicensem nobis conjunctissimam, prætereaque persvasionibus Illustris Principis Domini Alberti in Prussia Ducis conjugis Illustritatis Vestræ & consobrini nostri charissimi, quem nos sane non alio quam fratris loco habemus, adductos nos salarium bis mille talerorum annuorum multo antequam litteras ab Illustritate Vestra accepissemus, Illustri Domino Fratri Illustritatis Vestræ assignaviſſe,

visse, ejusque rei litteras confectas per Internuntium nostrum ad Illustritatem ejus misisse; quod cum ita sit, existimavimus Illustritatem ejus hac nostra ejusmodi beneficentiæ significatione, interim contentam esse posse. Illustritas autem quoque ejus nondum conditioni in litteris illis adjectæ satis feciſse videtur. Aliis in rebus quantum maxime poterimus, non intermittemus Illustritati Vestræ, cum sua causa tum Illustritatis ipsius conjugis, quem magnopere amamus, gratificari. Nunc eam bene valere cupimus. Datum ut supra.

CCLXIV.

RECTORI ET DOCTORIBUS MAGISTRISQUE COLLEGII CRACOVIENSIS.

Studiosorum insolentiam in cives Cracovienses severa lege jubet coerceri, & extra Scholas habitare eos vel armis instrui prohibet.

VEnerabilibus & egregiis Rectori, Doctoribus & Magistris Collegii Cracovienſis. Venerabiles & egregii devote nobis dilecti. Quæcunque ad nos referri unquam solent de vi aut cæde Cracoviæ commissa forte atque perpetrata, ea fere semper aut designata esse per seditionem atque tumultum scholarium, aut certe ab iis causam originemque sumpsisse dicuntur. Quæ de re tanta est jam querelarum istarum copia, ut non solum officium nostrum Regium ad providendum iis motibus excitare, sed etiam indigna-

tionem jam nostram commovere prorsus videantur. Nunc enim quoque occupatis nobis gravibus inprimis atque arduis Reipublicæ negotiis in hoc conventu Varsavienſi, allatum est ad nos, universam pœne civitatem per vim atque insolentiam Scholarium istorum ad arma commotam proximis diebus, & propter eam cædem, quæ ab iis commissa fuit, civilem seditionem propemodum excitatam fuisse. Quibus sane rebus nisi occurratur, facile fieri posse intelligimus, ut pro pace & otio, quibus potissimum rebus salus civitatum atque incolumitas, quam nos ex officio nostro civitatibus præstare debemus, consistit, regnet perpetua quædam in ea urbe perturbatio, discordiarum mater, ex quibus deinde discordiis ea in Rempublicam mala promanare solent, quæ urbes redigunt ad interitum & occasum. Itaque periniquo sane animo ferimus, sicut merito ferre debemus, ab iis potissimum in illam urbem hæc pericula immitti, qui cum vel suo ipsorum instituto, vel patrum majorumque suorum voluntate id vitæ genus amplexi sint, ut in iis innocentiæ & modestiæ & omnis humanitatis & mansvetudinis specimen relucere, atque ad aliorum exemplum dimanare debeat, non aliud propositum habere videntur, quam ut armis audacia singulari tecti ac instructi urbem oberrent, & omnia vi, cædibus, rapinis, injuriis compleant. Atqui nos sane a Divis Majoribus nostris non ideo institutum esse Collegium Vestrum existimamus, ut Respublica ejusmodi fructum inde ferret, quos ab istis profi-

proficisci intelligimus, sed ut haberi possit seminarium, quod ex morum atque ingeniorum cultura, fundat frugem dignam Republica bene constituta, & ut in hoc collegio sit domicilium non modo bonarum artium omnium, verum etiam omnium virtutum inprimisque modestiæ, innocentiæ, ac ingenui pudoris, quæ quidem virtutes juventuti & bonarum artium cultoribus magis conveniunt, quam arma aliqua & ea instrumenta, quibus feri & immanes homines tecti esse soleant. Ac curaveramus nos quidem antea, ut & Scholares officii sui, & D. Vestræ ejus muneris, quod istic inter eos sustinent, diligenter per litteras & Consiliarios nostros admonerentur. Verum cum admonitioni illi & mandatis nostris is locus datus non sit, qui merito dari debuit, officii nostri esse existimavimus, severioribus remediis huic malo obviam ire, cursumque ejus audaciæ & insolentiæ Scholarum ita cohibere, ut civitas ab ea parte tranquillitate & pace atque otio frui possit. In eo autem ab iis legibus nil discedere constituimus, quibus ab initio Collegium hoc D. Vestrarum & Schola Cracovienſis fuit a majoribus nostris instituta. Volumus enim plane ac mandamus, ut Scholares omnes non in civitate per hospitia divisi, sed in contuberniis & Scholis collecti habitent, in publicum autem decenti suo pristinoque habitu ac vestitu induti, nullis armis tecti aut instructi prodeant, negotiaque sua urbana interdiu tractent, noctu per urbem ne vagentur, quemadmodum legibus vetustis Academiæ istius

cautum ac constitutum esse scimus. Alioqui enim secus qui fecerit, is ab omnibus Academiæ & Scholaribus attributis prærogativis ac privilegiis abalienatus non pro Scholastico amplius, sed pro scurra & grassatore a Magistratu Vestro censebitur. Quamobrem admonebunt illos D. Vestræ diligenter officii illorum, vitamque & mores ac consvetudinem omnem illorum ad normam veterum legum, & sanctionum scholasticarum juxta voluntatem & mandatum hoc nostrum reducere conabuntur, refrenabuntque, quantum maxime poterunt, eam audaciam & insolentiam, quæ ab illis mordicus suscepta fuisse hactenus videbatur, atque adeo adigent eos prorsus D. Vestræ pro officio suo ad ea omnia tenenda & observanda, quæ hoc tempore a nobis ex legibus Gymnasii illius repetita ac D. Vestris præscripta sunt. Quodsi qui audientes dicto D. Vestrarum non fuerint, in eos primum quidem D. Vestræ ex officio suo animadvertant, eosque a Scholis Cracovienſibus omnino abigant, ne ex contagione improborum ac vitiosorum sana pars trahatur. Deinde nos quoque ipsi litteras mandatorum nostrorum ad Magnificum Stanislaum Myszkovvski Castellanum Sandomirienſem, item Capitaneum nostrum Generalem Cracovienſem, atque ad Magistratum civitatis illius urbanum dari jussimus, ut in ejusmodi insolentes & facinorosos homines autoritatem officiorum suorum extendant, nec ullis prærogativis scholasticis impediti, quas illi, secus quam Scholares oportet, vivendo prorsus amiserunt,

runt, ex legibus publicis animadvertant. Alioqui si D. Vestræ in hoc genere officio suo functæ non fuerint, tamen nos quidem Socratis exemplum imitati, Præceptores ipsos pro discipulis castigabimus, & quam pœnam illi commeriti fuerant, nisi paruissent, hanc pœnam de ipsis D. Vestris, quæ eos admonere neglexerunt, sumi mandabimus. Malumus enim Scholas plane vacuas haberi quam refertas ejusmodi facinorosis hominibus, qui sub specie bonarum litterarum & virtutis, artifices sint & architecti perturbationis & tumultus in illa civitate, quam & charam habere propter ipsius præstantiam, & tutam præstare ac tranquillam debemus, propter vicinitatem eam, qua ad externorum hominum ditionem ita proxime accessit, ut pro finitima possit reputari. D. Vestræ aliter ne fecerint, sub pœna gravissima arbitrio nostro in se statuenda. Datum XXIIX Nov.

CCLXV.

AD MTSZKOVVSKIUM CASTELLANUM SANDOMIRIENSEM ET CAPITULUM CRACOVIENSE, EODEM FERME EXEMPLO.

Jubet Studiosis morigeris officia præstari, immorigeros vero severis pœnis coerceri.

MAgnifice sincere nobis dilecte. Quæcunque ad nos afferri unquam solent, &c. *usque ad* tecti esse soleant. Quemadmodum dedimus hoc tempore ad Venerabilem Rectorem, &

reliquos Academiæ Doctores ac Magistros litteras, eisq; mandavimus diligenter, providerent pro officio suo, ut Scholares omnes non in civitate, per hospitia divisi, sed in contuberniis &c. *ut in superiori exemplo, usque ad* constitutum esse scimus. Qui enim secus fecerit, eum a Magistratu nostro non pro Scholastico amplius, sed pro grassatore tractatum iri. Itaque mandamus plane, S. Vestræ, ut quoscunque Scholares voluntati huic nostræ parere animadverterit, eis Sinc. Tua ex officio suo præstet quam maxime omnes commoditates, quæ ad hanc eorum vitam non solum sustentandam sed etiam ornandam pertinent, privilegiaque ac prærogativas eorum a Divis Majoribus nostris Academiæ illi attributas, diligenter tueatur ac conservet. Si qui vero extiterint qui sub nomine Scholarium licentiam imitentur plusquam militarem, quique nec in Contuberniis & Scholis Collegii, sed per hospitia in urbe, habitent, nec vestitu Scholastico & habitu induti, sed armis ac bellicis instrumentis tecti, interdiu latitent, noctu per urbem vagentur, in hos ejusmodi insolentes ac facinorosos homines autoritatem officii sui Sinceritas Tua extendat, nec ullis prærogativis aut privilegiis Scholasticis impedita, a quibus illi secus, quam Scholares oporteat, vivendo, sponte discesserunt, ex legibus publicis animadvertat. Malumus enim plane Scholas vacuas habere, &c. *ut suprausque ad finem* Datum ut supra.

CCLXVI.

CCLXVI.

CÆSAREÆ MAJESTATI.

Ne a suæ ditionis subditis latroni famoso Rumpelt receptus detur, curaturum se promittit.

SEreniſſime & Excellentiſſime Princeps, Domine Parens noſter chariſſime & honorande. Ex litteris Majeſtatis Veſtræ heri ad nos allatis intelleximus eſſe Rumpelt quendam, qui privatis inimicitiis hoſtiliter omnes in univerſum Majeſtatis Veſtræ ſubditos ex Marchionatu Moraviæ perſequitur, eorumque facultates omnes, inſidiis factis, perſcrutatur atque intercipit, quas ſane inſidias usque eo protuliſſe dicitur, ut eas etiam in agris & fundo Regni ac dominiorum noſtrorum collocare non dubitet. Etſi autem cum ad Senatum noſtrum, quem præſentem in Comitiis habemus, de ea re referremus, aliquot exempla commemorata ſint, ex quibus videri poteſt, parvam admodum noſtrorum hominum in hoc genere a ſubditis Majeſtatis Veſtræ Sileſiis, & olim habitam fuiſſe, & nunc etiam haberi rationem, propterea quod prædones ſuos noſtris hominibus perſequentibus tum Uratislaviæ, tum Glinitiis, tum etiam alibi non modo officium Magiſtratus non adfuerit, ſed etiam difficultates aliæ, atque moleſtiæ non ferendæ a ſubditis Majeſtatis Veſtræ objectæ atque illatæ ſint: tamen pro noſtro erga Majeſtatem Veſtram amore, & obſervantia, quam uti Patri libenter deferimus, non ea exempla intuentes, quæ a Sileſiis in noſtros homines

homines aut edita ante sunt, aut etiam eduntur in eodem genere, sed memores pactrum nostrorum communium, quæ cuperemus etiam aliquando a subditis Majestatis Vestræ æque observari, curabimus, ut ne hic iste Rumpelt receptum usquam in terris nostris habeat, neve, si uspiam in ditione nostra per Majestatis Vestræ subditos deprehensus fuerit, officium Magistratuum nostrorum subditis Majestatis Vestræ defuisse in hoc genere videatur. Jam nunc enim & litteras universales dari, & publica præconis voce denunciari ubique jussimus, ut ne quis sit subditorum nostrorum, qui receptum illi intra suas ædes dare audeat, Magistratibus autem nostris & præfectis mandamus, ut in deprehensum ex officio suo animadvertant. Confidemus etiam Majestatem Vestram nostrorum vicissim hominum non minorem in eodem casu esse habituram rationem, quam optime valere cupimus, ejusque paterno amori nos commendamus. Datum Varsaviæ IV Decembris.

CCLXVII.

AD CAPITANEOS FINITIMOS SILESIENSES LITTERÆ PATENTES.

Bartholomæi Rumpelt receptum concedi nullum postulat.

SIgismundus Augustus &c. Universis & singulis. Perscripsit ad nos proximis diebus Cæsarea Majestas, Dominus Parens noster charissimus

&

& honorandissimus, esse Bartholomæum Rumpelt quendam, qui privatis inimicitiis, cum subditis Majestatis ipsius ex Marchionatu Moraviæ susceptis, omnes ex eo Marchionatu in universum aperte atq; hostiliter persequitur, facultatesque eorum, insidiis in publicis itineribus factis, diripit ac expilat. Quas sane insidias eo usque protulisse dicitur, ut eas in agris etiam & fundo Regni, dominiorumque nostrorum collocare non dubitet: postulavitque a nobis Majestas ejus, ut ei rei secundum pacta cum Majestate ejus & subditis Majestatis ipsius nobis communia, obviam ire dignaremur. Quamobrem nos volentes pacta inter nos & Majestatem ejus communia integra atque inviolata pro officio nostro conservare, universis subditis nostris cujuscunq; status & conditionis existant, severe præcipientes mandamus, ne prædicto Rumpelt, qui se hostem atque inimicum subditis Majestatis Cæsareæ, homo privatus profitetur, receptum usquam per domos suas in ditionibus nostris Regnique & dominiorum nostrorum præbeant, neve ei ulla in re opem & auxilium præstent, sed potius sicubi in ditione nostra per subditos Majestatis Cæsareæ deprehensus fuerit, ibi Magistratus noster officio suo subditis Majestatis ipsius adsit, detque operam, ut in deprehensum & legitime convictum ex officio suo animadvertat. Hanc autem voluntatem & mandatum nostrum volumus ab omnibus Palatinis & Capitaneis nostris per præconem ubique, ut moris est, proclamari: nec secus a quoquam fieri,

fieri, pro officio uniuscujusque & gratia nostra. Datum Varsaviæ VI Decembris.

CCLXIIX.

AD ALIOS CAPITANEOS FINITIMOS SILESIÆ LITTERÆ CLAUSÆ.

Rumpeltum, si in vincula perveniat, pro merito puniri jubet.

GEneroſe fidelis dilecte. Perſcripſit ad nos &c. *ut ſupra usque ad*: dignaremur. Quamobrem mandamus F. Tuæ, ut homines Capitaneatus ſui, ſubditos noſtros cujuscunque ſtatus, autoritate ſua cohibeat, ne huic Rumpelt receptum usque in terris aut dominiis ſuis Majoris Poloniæ præbeant, neve illi opem auxiliumque ullum præſtent, ſi autem uspiam in Capitanatu & præfectura F. Tuæ deprehenſus per ſubditos Majeſtatis Cæſareæ fuerit, F. Tua ex officio ſuo in deprehenſum & legitime convictum animadvertat; factura pro officio ſuo & gratia noſtra. Datum ut ſupra.

CCLXIX.

DANIÆ REGI.

Ut Ducis Finlandiæ ſive capti, ſive bombardæ ictu cæſi, ejusque uxoris cauſam agat, ſibique eas ob res conſilium impertiat, rogat.

SEreniſſime Princeps &c. Antea ex rumoribus, nunc autem ex litteris Serenitatis Veſtræ intelligimus, Illuſtrem Principem Dominum Joannem Finlandiæ Ducem, Affinem noſtrum chariſſimum,

riſſimum, a Fratre Svecorum Rege captum, & in cuſtodiam abductum eſſe, Illuſtriſſimam autem Sororem noſtram, conjugem ipſius atque omnis fortunæ participem, in luctu quoque ac mœrore apud Regem illum eſſe. Quodſi præterea quemadmodum alii quoque nobis nuntiant, Dux ipſe Finlandiæ ex ictu globi bombardici occubuit, Sororemque noſtram viduam reliquit, intelligit Serenitas Veſtra, quanto hunc luctum ac mœrorem ipſius morte mariti adauctum eſſe oportuit. Qua ex re quantum etiam ad nos ipſos redundet doloris, tum ex adverſis ipſis Sororisq; Affinisque noſtri caſibus, tum ex immanitate hac tanta Svecorum Regis, Serenitatem Veſtram, pro ſua prudentia, intelligere arbitramur. Augetur autem quoque hic dolor noſter ex eo magnopere, quod cum Sororis hujus Affinisque noſtri cauſa, omnia facere cupiamus, in ejus tamen hominis poteſtate eos eſſe videmus, cui nos ſcribere, neque propter inimicitias, quas cum illo, injuriis, ut ſcit Serenitas Veſtra, provocati exercemus, debemus, neque propter ipſius intolerabilem ſuperbiam, inducere in animum poſſumus. Quamobrem a Serenitate Veſtra pro mutua noſtra tum veteri cum Regno Serenitatis Veſtræ, tum recenti hac quoque cum ipſa Serenitate Veſtra conjunctione petimus, ut nobis conſilium ſuum, quid porro faciendum nobis eſſe in hoc genere exiſtimet, impertiat, cauſamque Sororis, & ſi vivit, ipſius etiam Affinis noſtri, vel noſtra ſaltem cauſa adjuvet, neque permittat, ut Svecus ad veteres injurias, hanc

etiam

etiam nobis apponat novam, ut ſicut antea pedem in poſſeſſiones noſtras contra omne jus inferebat, ita nunc propinquis affinibusque noſtris manus violentas adferre videatur. Erit nobis officium hoc Serenitatis Veſtræ quam gratiſſimum, quam bene valere cupimus, cuique benevolentiam noſtram etiam atque etiam commendamus. Datum Varſaviæ V Decembris.

CCLXX.

DUCI PRUSSIÆ, DUCI ITEM BRUNSVIÇENSI, ET MARCHIONIBUS, JOACHIMO ET JOHANNI.

Ejusdem plane argumenti.

ILluſtris Princeps, Domine Conſobrine noſter chariſſime. Pertriſtes ad nos rumores adferuntur, Illuſtrem Principem Dominum Joannem Finlandiæ Ducem, Affinem noſtrum chariſſimum, a fratre Svecorum Rege captum & in cuſtodiam abductum eſſe; quidam vero his etiam triſtiores rumores, ipſum, cum in captivitatem duceretur, quod globo bombardario in brachio ictus eſſet, mortem obiiſſe: Illuſtriſſimam autem Sororem noſtram, conjugem ipſius, atque omnis Sortunæ participem, in luctu atque mœrore apud Regem illum eſſe. Quod totum ita uti varie tum narrabatur varie ex Sereniſſimi Daniæ Regis & Illuſtris Pruſſiæ Ducis litteris intelleximus, nec poſtea quicquam eſt conſecutum, quod nobis meliora nunciaret. Ex quo fit, ut non mediocriter perturbe-

turbemur, tum adversis istis casibus Sororis Affinisque nostri, tum immanitate hac & feritate Svecorum Regis, qui nulla neque sanguinis neque generis sui ratione habita, impotenti animo, ad ferarum prope morem in obvium quemquam irruit, omnibusque malis atque incommodis afficit eos, quos tueri imprimis ac servare debebat. Qui sane dolor noster hoc est etiam acerbior, quod cum Sororis hujus Affinisque nostri causa omnia facere cupiamus, in ejus tamen hominis potestate eos esse videmus, cui nos scribere neque propter inimicitias, quas cum illo injuriis provocati exercemus, debemus, neque propter ipsius intolerabilem superbiam inducere in animum possumus. Quamobrem etsi aliorum quoque hominum auxiliis, ad sublevandam fortunam necessariorum nostrorum, non destituamur, tamen quod Illustritatis Vestræ magnam esse debere apud Regem illum autoritatem, si modo is aliquid adhuc humanitatis retinet, nobis persuademus, ab Illustritate Vestra etiam atque etiam petimus, interponat in eo autoritatem hanc suam, Regemque illum admoneat, ut & Fratrem suum pietate naturali complectatur, & Sororem nostram, quam nos ejus quoque rogatu in illas terras ablegavimus, hoc luctu ac mœrore liberet, neque committat, ut ad veteres injurias, hanc etiam nobis apponat novam, ut sicut antea in possessiones nostras pedem contra omne jus inferebat, ita nunc propinquis affinibusque nostris manus violentas adferre videatur. Præ-

tereaque etiam Illustritas Vestra consilium nobis suum impertiat, quid nobis porro in hoc genere faciendum esse existimet. Pluribus verbis uteremur, si aut necessitudo nostra cum familia Illustritatis Vestræ plura desideraret, aut res ipsa moram nimis longam ferre posset. Erit nobis officium hoc Illustritatis Vestræ gratissimum, quam bene valere cupimus. Datum die nono Decembris.

SCHEDULA INJECTA.

Et quoniam propter bellicos istos nostros tumultus certi adhuc plane nil intelligere possumus, quid de hoc Illustri Domino Finlandiæ Duce agatur, & quemadmodum res Illustritatis ipsius se habeant, Illustritatem Vestram rogamus, ut quicquid de ea re cognitum habet, ejus nos quoque participes faciat.

CCLXXI.

AD ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

Ejusdem argumenti.

REverendissime in Christo Pater, ac Illustris Princeps, Domine Nepos noster charissime. *Pertristes* &c. ut supra usque ad: *in animum possumus*. Quamobrem etsi aliorum quoque, Principum auxiliis, ad sublevandam hanc fortunam necessariorum nostrorum non destituamur, tamen quod ea res Illustritatem quoque Vestram magnopere attingat, faciendum nobis existimavimus, ut

ut eam ad Illuſtritatem Veſtram deferremus, ab eaque peteremus, ut pro ea neceſſitudine, quæ nobis & Illuſtri Dominæ Sorori noſtræ, Finlandiæ Duci, cum Illuſtritate Veſtra intercedit, hoc tam acerbo caſu condoleat, cauſamque Sororis & ipſius etiam, ſi vivit, Affinis noſtri, quantum maxime poteſt, adjuvet, ne Svecorum Rex ad veteres injurias hanc etiam nobis apponat novam, ut ſicut antea pedem in poſſeſſiones noſtras contra omne jus inferebat, ita nunc propinquis ipſis, affinibusque noſtris manus violentas adferre videatur. Quidquid autem de his rebus Illuſtritas Veſtra habuerit exploratí, ad nos perſcribat; nobis enim in his bellicis tumultibus, quibus involuti ſumus, nihil plane ex Finlandia adferri poteſt, quod certum prorſus exploratumque habeamus. Pluribus verbis ne utamur, facit tum neceſſitudo ipſa noſtra cum Illuſtritate Veſtra, cui magnopere confidimus, tum res ipſa, quæ moram nimis longam ferre non poteſt. Officium hoc & Illuſtritati Veſtræ ampliſſimum, & nobis futurum gratiſſimum. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus.

CCLXXII.

CONSILIARIIS DUCIS PRUSSIÆ.

Ut Ducem Pruſſiæ morbo decumbentem modis omnibus ſublevent, ſerio hortatur.

GEneroſi, grate dilecti. Quo in loco ſit hoc tempore valetudo Illuſtris Principis, Domini Conſobrini noſtri chariſſimi, nos audivimus, Gr.

autem quoque Vestræ non ignorant. Quæ res cum nobis admodum sit tristis & acerba, tum propter eam conjunctionem & necessitudinem, quæ nobis valde arcta cum Illustritate ejus intercedit, tum etiam propter ea commoda, quæ ex consiliis Illustritatis ejus ad omnes nostras Regnique & Dominiorum nostrorum oportunitates capiebamus; mittimus ad Illustritatem ejus litteras nostras, testes amoris ac benevolentiæ, postulamusque a Gen. Vestris, ut pro officio suo, quod Illustritati ejus debent, omnia e medio amoveant, quibus animus Illustritatis ejus aut conturbari, aut a cura valetudinis, quæ Illustritati ejus hoc tempore debet esse præcipua, avocari possit, excitent autem & erigant Illustritatem ejus, quantum possunt, maxime in spem bonam fore, ut per Dei gratiam non multo interjecto tempore convalescat, vires-que & firmitatem pristinam recuperet, omniaq; adhibeant, quæ ad confirmandam Illustritatem ejus pertinere videbuntur. Hoc neque nobis gratius, neque officio suo convenientius quicquam Gr. Vestræ facere poterunt. Datum Varsaviæ VIII Decembris.

CCLXXIII.

JOANNI ALBERTO, DUCI MEGAPOLENSI.

Cum eo coram agere, eoque adventum ejus maturari cupit.

ILlustris Princeps, Domine Amice & Consanguinee noster charissime. Cum mitteremus ad Illu-

Illuſtrem Principem Dominum Albertum, in Prusſia Ducem, Socerum Illuſtritatis Veſtræ, noſtrum autem Conſobrinum charisſimum, litteras, noluimus prætermittere, quin ad Illuſtritatem quoque Veſtram una ſcriberemus. Quam ad rem antea ſponte noſtra ſusceptam, excitati etiam ſumus litteris Illuſtritatis Veſtræ, quæ nobis, cum has jam ſcribi mandaviſſemus, redditæ fuerunt. Itaque de adventu quidem ad nos Illuſtritatis Veſtræ, etſi Illuſtritas Veſtra legatos ſe mittere ad nos ſcribit, qui de fraterno negotio nobiscum tranſigant, tamen cum & res ipſa requirat Illuſtritatis Veſtræ præſentiam, & reditum in provinciam ſuam, & paulum admodum moræ atque incommodi hæc excurſio ad nos allatura videatur, neceſſarium eſſe judicamus, ut ad nos Illuſtritas Veſtra divertat. Id autem hoc maturius ſibi faciendum exiſtimabit, quod Ducatus Lithuaniæ Ordines, ſine quibus negotium confici non poteſt, diſceſſum hunc ſuum & reditum ad ſuos accelerare videntur, ne quid per ipſorum abſentiam a Magno Ducatu Lithuaniæ Reſpublica eorum detrimenti accipiat. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Varſaviæ die IX Decembris.

CCLXXIV.

DANIÆ REGI.

De ſocietate invicem facta ſibi gratulatur & fidem promittit reciprocam, tum in liberatione Chriſtopheri Ducis communium commodorum rationem ſe habiturum ſpondet, ac denique ut Comitem

a Tenczyn, quem in Sveciam profecturum interceperat, liberum dimittat, contendit.

SErenisſime Princeps, Domine Frater & Affinis noſter charisſime. Quæ ex proximis Serenitatis Veſtræ litteris, de Societate noſtra mutua a communibus Commiſſariis ſtabilita jam & firmata intelleximus, eadem ex Commiſſariis ipſis noſtris ad nos reverſis, & ex iis litteris, quas ſecum inde attulerunt, pridem cognoveramus; illud unum in litteris Serenitatis Veſtræ erat in hoc genere præcipuum, de quo tamen antea quoq; minime dubitabamus, daturam eſſe Serenitatem Veſtram operam, ut ſe eſſe Principem & pactorum ſervantisſimum & noſtri amicisſimum, per omnem occaſionem declaret & demonſtret. Quod item ut ſibi de nobis Serenitas Veſtra perſvadeat, magnopere cupimus. De ſucceſſu belli & negotiorum ſuorum, quod nos Serenitas Veſtra certiores faciat, pergratum eſt nobis. Cupimus equidem, ut Serenitati Veſtræ omnia ſuccedant ex animi ſententia. Nos hic adhuc Chriſtopherum, Megapolenſem Ducem, in cuſtodia habemus, cujus liberandi gratia per conditiones, venit ad nos Illuſtris Frater ejus Dominus Albertus, Megapolenſis Dux, facultate a nobis impetrata. Is quoniam adhuc in itinere eſt, nil dum de conditionibus liberationis ad Serenitatem Veſtram ſcribere potuimus. Cum quid certi habuerimus, non prætermittemus. Dabimus autem operam, ut in conditionibus & ferendis & ſuſcipiendis ratio communis noſtræ dignitatis

ntis atque adeo mutuæ ſocietatis habita eſſe videatur. Veſtra Serenitas quod in dimittendo ſuo milite eam proviſionem & adhibuiſſe ſe, & porro adhibituram eſſe ſignificat, ut profectio eius procul a noſtris fœderatorumque noſtrorum ditionibus conſtituatur, valde nobis jucundum fuit ex litteris Serenitatis Veſtræ intelligere. Interea quoniam rumor ille de ſtudiis nonnullorum Principum, ad pacificationem cum Sveco conſtituendam, nondum plane apud nos conquievit, etſi meminimus quid de ea re Serenitas Veſtra ad nos proxime ſuperioribus diebus perſcripſerit, tamen quoniam momentis temporis bella & ſuſcipiuntur, & geruntur, & finiuntur, fierique poteſt ut Serenitati Veſtræ, poſt ſuſceptas ad nos priores litteras, aliquid propoſitum ſit ejusmodi, quod illam ad pacis ſuſcipienda conſilia poſſit impellere, Serenitatem Veſtram rogamus, ut ſi quid ejusmodi in animum induxerit, tempeſtive nos faciat certiores: quemadmodum nos quoque ipſi, ſi evenerit, Serenitatem Veſtram certiorem facturi ſumus. Quo enim magis pacis quam belli cupidi ac ſtudioſi ſumus, quoque magis a profuſione tum ſanguinis Chriſtiani, tum etiam ſumptuum inanium, & ad effundendum Chriſtianum ſanguinem inſtitutorum abhorremus, bellumque omne, præcipue quod inter Chriſtianos geritur, jure potius & ratione, quam armis diſceptando, ſi fieri poſſit, finiri mallemus, hoc magis neceſſarium eſſe exiſtimamus, tempeſtive nos de iis conſiliis, ſi quæ ad pacem pertinerent,

fieri certiores. Quod autem nobis Serenitas Vestra de Magnifico Joanne Comite a Tenczyn, Palatino Belzensi ac Lublinensi & Vrzdovienſi Capitaneo per Admirandum Serenitatis Vestræ cum comitatu ſuo capto ac deprehenſo ſcribit, etſi id quoque aliunde intellexeramus, tamen nunc quoque in nuntiandis nobis iis rebus benevolentiam Serenitatis Vestræ erga nos agnoſcimus, præcipue quod Serenitas Vestra ad extremum litterarum appoſuerit, quicquid nos in eo velle cognoverit, id ſibi etiam gratiſimum fore, demonſtraturam eſſe. Quamobrem cum ejus rei gratia propediem ad Serenitatem Vestram Internuncium noſtrum miſſuri ſimus, pluribus verbis hoc tempore non utimur; a Serenitate tantum Vestra interim petemus, ut cum eum nullo malo conſilio in Sveciam proficiſci voluiſſe Serenitas Vestra intelligat, ipſum cum comitatu rebusque ipſius omnibus liberum noſtri cauſa dimitti jubeat, præſertim cum legibus Regni noſtri nobilitati noſtræ liceat, quoquo velit, in omnes orbis terrarum partes proficiſci. Quod Serenitatem Vestram noſtra cauſa libenter facturam eſſe, cum extremum litterarum ipſius intuemur, magnopere nobis pollicemur. Faciemus nos viciſſim, quod Serenitati Vestræ gratum aliquando fore intelligemus, quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ in Conventione Generali Regni noſtri X Decembris.

CCLXXV.

CCLXXV.

DUCI PRUSSIÆ.

Probat ejus consilium de Comite Tenczynensi, Prussorum cum Regno Poloniæ unionem vehementer urget, Germanum militem ob sumptuum defectum detineri non posse asserit, & tandem quod Ericum Ducem adventare audiat, eum transitu prohiberi serio hortatur.

ILlustris Princeps, &c. Cum litteras jam ad Illustritatem Vestram missuri essemus, quibus solicitudinem nostram de Illustritatis Vestræ valetudine testatam facimus, redditæ sunt nobis aliæ ab Illustritate Vestra, ad quas ita breviter respondemus. Primum probamus factum Illustritatis Vestræ, quod litteras nostras de Comite Tenczynensi ad Serenissimum Regem Daniæ scriptas, non miserit. Etsi enim ex litteris superioribus Illustritatis Vestræ ita intelligebamus, necessario nobis suspicionem ex hac Comitis legatione in animo Serenitatis ejus exortam diluendam esse, ejusque potissimum rei gratia litteræ illæ a nobis ad Serenitatem ejus scriptæ, ac ad Illustritatem Vestram missæ confestim fuerint, tamen eum hoc tempore suspicionem omnem sua sponte extinctam esse Illustritas Vestra nobis significat, dedimus hoc tum intercessioni Illustritatis Vestræ, tum precibus etiam Senatus nostri pro Comite ad nos factis, ut alias litteras moderatius scriptas ad Serenissimum Daniæ Regem decreverimus, quibus a Serenitate ejus postula-

mus, ut Comitem hominem juvenem, & amplificandæ veteris domesticæ ac majorum suorum laudis cupidum, cujus sibi viam pactione Svecicarum nuptiarum patefactam esse intelligebat, nullo malo consilio in Sueciam profectum, liberum nostra causa dimitti jubeat. Cujus rei apud Illustritatem ejus obtinendæ, hoc majorem spem habemus, quod litteras quoque a Serenitate ejus proxime acceperimus, quibus, quicquid nos velle in eo genere cognoverit, sibi quoque gratum fore Serenitas ejus ad nos perscribit. Quas nostras ad Serenitatem ejus litteras per Internuntium nostrum missuri sumus. Quod autem Illustritas Vestra ad nos scribit, ut in executione legum publicarum aliam Prussorum quam Polonorum rationem habeamus, id, qua ratione fieri possit, non videmus, cum & omnis Regni nostri Ordinum assiduis vocibus, & ipso adeo officio nostro, eo impellamur, primum ut Prussos item ac Lithuanos & Ossyecimenses ac Zatorienses ad unionem Regni adducamus: deinde, ut quoniam in Prussiæ terris ita reditus omnes nostri publici, ad privatos quosdam aversi sint, ut præter Marieburgum, vix quicquam in Prussia reliquum habeamus, demus operam, ut fisco nostro ab ea quoque parte provideatur, cum dignitatis ipsius Vestræ, tum etiam eorum onerum ferendorum causa, quæ nos pro Republica & istic & alibi magno sumptu sustinere oportet. Ac est id quidem ab ingenio nostro alienissimum, quæ semel sive a nobis sive a majoribus nostris concessa sunt,

quo-

quocunque tandem ea nomine conceſſa ſint, eadem rurſus repetere, cum nos ſemper largiendo quam capiendo illuſtriores haberi voluerimus, tamen cum nobis, uti diximus, leges publicæ & officium noſtrum & noſtra Regnique noſtri ac Reipublicæ dignitas ob oculos ponatur, quibus ſatisfieri, niſi hoc uno adhibito remedio, non poteſt, non videmus, quo modo ab eo propoſito diſcedere, aut Pruſſorum quam Polonorum aliam rationem ducere poſſemus. Illuſtrem Dominum Megapolenſem Ducem Varſaviam venire neceſſe eſſe exiſtimamus, eumque per litteras ad nos accerſimus; adventum ſuum ut acceleret, dabit etiam Illuſtritas Veſtra operam. Neque enim aut ſine Illuſtritatis Veſtræ prudentia, aut poſt diſceſſum a nobis Ordinum Lithuaniæ, qui profectionem hinc ſuam vehementer maturant, negotium Ducis Chriſtopheri commode confici poteſt. Quod de retinendis in Livonia Germanicis copiis Illuſtritas Veſtra ſcribit, ne nos quidem valde refragaremur; ſed cum neque a Livonis ipſis, neque a Pruſſis, neque a quoquam hominum ſumptu aliquo adjuvemur, neceſſitate plane ipſa adigimur, ad eum dimittendum. Cum autem ipſum quoque Sereniſſimum Daniæ Regem bonam copiarum ſuarum partem exautoraſſe ſciamus, hyberno hoc tempore adventante, non exiſtimamus, noſtram etiam Germanici iſtius militis dimiſſionem Serenitati ejus admirationi fore, præſertim cum in locum Germanici militis magnam his temporibus Polonorum manum in Livoniam miſe-

rimus,

rimus. Sed tamen, ut diximus, sumptus si suppeditaret, non gravate ad eum militem retinendum adduci nos pateremur. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Varsaviæ X Decembris.

SCHEDULA ADDITA DIE XI DECEMBRIS.

Intelleximus adventare ad Illustritatem Vestram Illustrem Dominum Ericum Ducem & nonnullos alios ex Principibus Germaniæ, quod etsi credibile nobis non est, passuram esse Illustritatem Vestram quenquam externorum sine nostris passuum litteris in ditiones nostras venire, præsertim cum id & contra instituta omnium gentium, & contra dignitatem nostram esse videretur, tamen quoniam id ita ad nos allatum fuit, admonere Illustritatem Vestram tempestive voluimus, ut ne id fieri ab illis, aut a quoquam patiatur, neque committat, ut sine permissione nostra quisquam Principum extraneorum in ditiones nostras possit penetrare. A quocunque enim id tentatum fuerit, is, siquid illi præter voluntatem acciderit, sibi ipsi adscribere debebit.

CCLXXVI.

NUNCIIS REGIS DANIÆ ANGLAM DESIGNATIS.

Legati constituto tempore cur non accedant, causam dicit, & brevi affuturos spondet.

Generosi & strenui, grate nobis dilecti. Impediti magnis & gravibus Regni nostri negotiis,

gotiis, sub hoc tempus Comitiorum, tardius aliquanto nuncios nostros designavimus, qui Anclam nostro nomine cum ratificatione pactorum inter nos & Serenissimum Daniæ Regem constitutorum proficiscantur. Qui quoniam & ipsi negotiis suis impediti postea fuerunt, factum est, ut ad Ferias Trium Regum, qui dies huic negotio destinatus erat, Anclæ esse non possint. Adhibebitur tamen ab eis omnis celeritas, ut istic paulo post eum diem esse possint. Quod Gr. Vestris significare voluimus, ut ne quid aliud ob absentiam illorum suspicentur, sed ut intelligant, eos brevi post istuc esse venturos. Datum Varsaviæ XXIII Decembris.

CCLXXVII.

DUCI PRUSSIÆ.

De nuntio victoriæ Danorum a Svecis deportatæ gaudet, nihilominus tamen de Danis cum Svecis, nulla sui ratione habita, conciliandis vehementer est solicitus.

ILlustris Princeps &c. Jucundum nobis fuit eum successum prælii, quod proxime in Dania ad Helmstetum inter Danos & Svecos commissum fuit, ex litteris Illustritatis Vestræ intelligere. Deum quæsumus, ut eam rem Serenissimo Daniæ Regi bene atque feliciter faciat evenire. Ad nos de pacificatione eorum Regum identidem nescimus quid adfertur, esse videlicet quosdam Principes, qui in eam incumbant. Quod si fit, ab Illustritate Vestra postulamus, ut nos de eo certiores

tiores faciat; Etsi enim pacis quam belli multo semper studiosiores fuerimus, tamen hanc quidem pacem sine nobis confici minime vellemus, & ratio ipsa societatis nostræ, cum Serenissimo Daniæ Rege nuper initæ, requirit, ne conficiatur. Mittimus propediem ad Serenitatem ejus Internuntium nostrum, confirmandæ ejus societatis gratia, quemadmodum inter communes Commissarios nostros convenerat, cui Internuntio commisimus etiam negotium Magnifici Comitis a Tenczyn apud Serenitatem ipsius nostro nomine procurare. Bene valere cupimus S. V.

CCLXXIIX.

INSTRUCTIO RERUM AGENDARUM NUNCIIS S. R. MAJESTATIS ANCLAM ITURIS, GENEROSIS VIDELICET FRANCISCO RUSSOCKI CASTELLANO NAKLENSI, ET JOH. ZAREMBA DATA, VARSAVIÆ, XX DECEMBRIS.

Priusquam Litteras Confirmationis Pactorum communium Danicis legatis Anclæ tradant, jubet eos diligenter explorare, si quæ Svecos & Danos inter componendæ litis consilia agitentur, tum & providere maxime, ne vetera Polonorum & Danorum pacta recentibus his abrogata videantur.

NUntii nostri in Pomeraniam se conferent, ut ad diem Epiphaniarum Anclæ præsto esse possint,

poſſint, qui locus & dies communi noſtrorum & Danicorum Commiſſariorum conſenſu conſtitutus eſt, ad ferendas tum a nobis, tum a Sereniſſimo Daniæ Rege ratificationes Pactorum Societatis noſtræ mutuæ, proxime Stetini per Commiſſarios communes conſtitutorum. Quod tempus quanquam extractum eſſe jam videtur ob negotia Commiſſariorum noſtrorum, tamen nuntii noſtri iter hoc inibunt, idque ita accelerabunt, ut non multo poſt diem conſtitutum Anclæ eſſe poſſint.

Interim autem quoniam ad nos perfertur, ſtudia quorundam Principum Germaniæ ad pacem inter Sereniſſimum Daniæ & Sveciæ Reges conſtituendam erecta ac excitata eſſe, diligenter invigilabunt, ut quidquid ſit de ea pacificatione, & quicquid agatur, certum habeant & exploratum.

Etenim ſi pacificationem eam procedere, diemque ei rei dictam ac locum aliquem certum deſignatum eſſe intellexerint, dabunt operam, ut omnibus poſtpoſitis rebus, ei negotio interſint, atque ſecundum rationem Societatis noſtræ, cum Sereniſſimo Daniæ Rege nuper initæ, providebunt, ne nos quoque ea pacificatione excluſi eſſe videamur.

Ad cujus rei pleniorem tractationem inſtruere ſe nuntii noſtri abunde poterunt, ex exemplo pactorum, quæ proxime inter nos & Sereniſſimum Daniæ Regem Stetini ſunt conſtituta, quod exemplum ex Cancellaria noſtra dari ipſis juſſi-

jussimus, ex quo cognoscent primum, pacificationem cum Svecorum Rege, tam a nobis, quam a Serenissimo Danorum Rege, alterutro nostrum inscio, aut invito fieri, aut institui nullam posse, deinde conditiones etiam cognoscent, quibus conditionibus ex parte nostra pacificatio illa institui recte posse videatur.

Providebunt igitur apud Commissarios Danicos, qui forte ei pacificationi nomine Regis sui præfuturi sunt, ne sine se atque adeo sine nobis ipsis ad pacificationem ullam descendatur, tum ut non aliter, quam conditionibus illis nostris salvis & integris, pax conficiatur, cujus quidem pacis cum semper alias, pro nostro perpetuo Christiani Regis more, atque instituto, studiosissimos nos fuisse, nec ab ulla re magis quam a Christiani sanguinis profusione abhorruisse dicent, tum ne nunc quidem propter Reipublicæ Christianæ commodum, & tranquillitatem, ab ea alienos esse, dummodo ad eam sine nostra fœderatorumque & subditorum nostrorum indignitate atque injuria perveniri possit. Quam rem ita ut diximus, nuntii nostri providebunt.

Quod si forte a Principibus Germaniæ, qui pacificationi studeant, eorumve Commissariis, conditiones tam nostras quam Serenissimi Daniæ Regis accusari ob earum difficultatem viderint, Danicosq; Commissarios de emolliendis suis conditionibus bono publico cogitare animadverterint, ipsi quoque ad nos citissimis itineribus referent, ut videamus, quid de nostris conditionibus

bnibus mitigari possit, ipsi autem in loco se continebunt, & negotiis nostris invigilabunt.

Quod si vero omnes isti, qui ad nos perferuntur, pacificationis istius rumores inanes fuerint, & nec dies ullus aut locus ei rei constitutus, nec res ipsa per quenquam tentata fuerit, tum nuntii nostri ad Ferias Trium Regum, aut si minus jam id fieri ad hoc tempus poterit, tum primo quoque tempore Anclam in oppidum Pomeraniæ se conferent, ut secundum constitutam Stetini rationem litteras confirmationis pactorum, inter nos & Serenissimum Daniæ Regem initorum, ultro citroque reddant atque accipiant.

Dicent igitur, etsi societatis istius ratio non satis æquis nostris conditionibus Senatui nostro videtur confecta esse ac constituta, se tamen nostram eorum pactorum confirmationem secum attulisse, amplissime uti res exposcebat, perscriptam, & sigillo Regni nostri, ac subscriptione manus nostræ, uti convenerat, roboratam. Requirent denique, ut vicissim a Serenitate ejus exhibeatur confirmatio eorundem pactorum, ad eandem hanc nostram rationem perscripta, & sigillo item Regni illius, ac manus Serenitatis ipsius subscriptione approbata.

Quæ confirmatio si ita ample, uti necesse est, perscripta fuerit, & clausulam de veteribus inter nostrum & Daniæ Regnum constitutis pactis firmiter conservandis appositam habuerit, tuto a Nuntiis nostris suscipi, omnisque reliqua ea de re difficultas præcidi ac negligi poterit: sin

autem aut adstrictius, quam par sit, perscripta fuerit, aut clausula de conservandis in robore veteribus pactis mutuis, ab ea abfuerit, protestabuntur Nuntii nostri, acquiescere se in ea non posse; Itaque si commode fieri poterit, immutari eam per eos, qui forte a Serenissimo Daniæ Rege missi illuc cum facultate ad eam rem fuerint, confestim procurabunt, clausulamque de veteribus Regni nostri cum Regno Daniæ pactis atque fœderibus retinendis, nec ulla in parte violandis, apponi studebunt, ad eum prorsus modum, quem nos in extremo confirmationis nostræ adhibuimus.

Cum enim vetera & perpetua pacta ac fœdera inter nos extent descripta litteris, quas & nos in Archivo nostro habemus, & Serenitatem ejus inter Regni sui monumenta habere arbitramur, æquum non esse existimavimus, per pacta hæc nostra recentia, & ad tempus duntaxat, aut victoriæ, aut transactionis duratura, quicquam veteribus illis Regnorum nostrorum & perpetuis pactis atque fœderibus derogari, præsertim cum id neque nostræ, neque, ut opinamur, Serenitatis ejus voluntatis, aut consilii unquam fuerit, vetera nostra pacta ac fœdera recentibus istis aboleri.

Quod si id Anclæ commode fieri non poterit, ut litteræ confirmationis ad eum modum immutentur, totum negotium confirmationis ad Serenitatem ipsius rejicere se dicent Nuntii nostri; eam enim clausulam, de excipiendis hoc loco & invio-

inviolatis conservandis pactis ac fœderibus nostris veteribus, ita nuntiis nostris Anclæ curæ esse volumus, ut sine ea, in nulla Anclensi confirmatione sibi esse acquiescendum, intelligant & cognoscant.

Itaque ad Serenissimum Daniæ Regem proficiscentur, ac inter cætera, quæ in peculiari Instructione præscripta habent, de ejusmodi etiam confirmatione obtinenda laborabunt, quæ vetera pacta ab his recentibus excipiat, illaque plane inviolata & inconcussa conservet. In quo si difficiliorem esse Serenitatem ejus viderint, acquiescent nostro nomine in nuda & plana Serenitatis ejus confirmatione. Senatus tamen nostri causa cupere se judicabunt, ut, si fieri possit, vetera pacta ab his recentibus excipiantur.

Nuntios tamen ipsos, etiamsi de confirmatione pactorum res ex voluntate & mandato nostro Anclæ confecta fuerit, proficiscí nihilominus ad Serenissimum Daniæ Regem volumus, atque ea agere & curare, quæ a nobis, ut diximus, præscripta habent.

CCLXXIX.

ALIA INSTRUCTIO LEGATIONIS AD SERENISSIMUM DANIÆ REGEM VARSAVIÆ XXIII DECEMBRIS.

De victoriis Danorum & Polonorum adversus Svecos, de Comite item Tenczynensi & de mittendo ad Finlandiæ Ducem legato.

Digitized by Google

PRincipio Nuntii nostri Serenissimo Daniæ Regi, Fratri, Affini & Fœderato nostro charissimo salutem dicent, prosperaque cuncta & felicia Serenitati ejus precabuntur; deferent denique nostro nomine omnia vicini, amici, & fœderati Regis studia & officia.

DEINDE DICENT

Allatum ad nos esse litteris Illustris Principis Domini Alberti in Prussia Ducis, Consobrini nostri charissimi, exercitum Serenitatis ejus prospere adversus Svecos in Daniam irrumpentes hoc tempore dimicasse, Helmstetumque obsidione liberasse, hostes numerosissimos ex finibus suis fugasse, septem & ultra millia eorum trucidasse, tormenta iis sexaginta ademisse. Quæ res quanquam ita ab Illustritate ejus ad nos perlata sit, ut auctores adhuc certos demonstrare non possit, tamen nobis quidem non ingratum extitisse.

De qua, siquidem ita habet, Serenitati ejus vere, atque ex animo gratulari nos, dicent; sin minus, Deum precari, ut ejus nuntii veritatem dignetur pro sua clementia confirmare.

Dicent etiam, arbitrari nos, accepisse Serenitatem ejus ab Henrico Ludinghausen, Vicesgerente suo in Livonia, nihilo deteriorem belli fortunam proximo Octobre expertos istic nostros esse. Nam cum Svecorum non contemnenda manus, duo videlicet equitum & tria signa peditum, arcem Loden, quam esse in ditione Ducis Magni Fratris Serenitatis ejus intelligimus, aliquot hebdo-

hebdomadibus gravi obsidione premeret, diebusque aliquot tormentis oppugnaret, adventantis exercitus nostri auxiliaris terroribus perculsa, repente obsidione soluta, in fugam se conjecit, sex tormentis maximis pulvere per festinationem summam, disjectis, globis autem tormentariis majoribus & curribus & aliis plerisque ad rem tormentariam necessariis rebus relictis. Qua de re & nobis quidem Vicesgerentem Serenitatis ejus significasse, & nos Deo Optimo Maximo e vestigio gratias egisse, dicent. Hæc autem ad Serenitatem ejus referre voluisse, ut Serenitas ejus intelligat, nos nec susceptæ semel erga Serenitatem ejus benevolentiæ, nec communium pactorum, ac societatis nostræ mutuæ rationi ulla in re deesse.

Cujus quidem societatis ac pactorum confirmatio si Anclæ secundum priorem Instructionem nostram confecta non fuerit, exponent causam ejus rei Serenitati ejus Nuntii nostri, eademque illa, quæ ad confirmationem eorum pactorum requiri a nobis, tum ex confirmationis illius contextu, tum ex superiori instructione nostra, agnoscent, diligenter apud Serenitatem ejus procurabunt, præcipue vero ut clausula apponatur de veteribus inter nostrum & Daniæ Regnum pactis atque fœderibus perpetuis inviolabiliter conservandis.

Deinde negotium quoque Magnifici Comitis in Tenczyn Palatini Belzensis & Lublinensis, Vrzedoviensis Capitanei, curæ habebunt, quem quod ex

litteris Serenitatis ejus captum esse, in Sveciam proficiscentem, ab Admiraldo Serenitatis ejus, & cum comitatu rebusq; suis ad Serenitatem ejus deductum intelleximus; quicquid in ea re fieri vellemus, id Serenitatem ejus per litteras prolixe arbitrio nostro permisisse, omniaq; causa nostra facturam se esse respondisse; pergratam nobis a Serenitate ejus hanc significationem voluntatis accidisse, Nuntii nostri testabuntur. Et indicata Serenitati ejus profectionis Comitis ipsius causa, juvenili quidem ardore instituta, sed ab omni mala suspicione aliena, expositisque breviter cum meritis majorum ipsius erga Divosque Majores & Rempublicam nostram, tum precibus ac intercessionibus amicorum ipsius atque Senatus totius pro ipso ad nos factis, procurabunt summo, quo poterint, adhibito studio & diligentia, interposita etiam autoritate nostra, ut per Serenitatem ejus liber inde cum comitatu rebusque suis universis dimittatur.

Hæc cum confecerint, dicent denique nos jam pridem, cum ex litteris Serenitatis ejus, & aliunde etiam ex rumoribus accepissemus, Illustrem Principem Dominum Joannem Finlandiæ Ducem, Affinem nostrum charissimum, a Fratre Sveciæ Rege captum, & in custodiam abductum esse, ejusque fortunæ comitem, Illustrissimam Dominam Sororem nostram, Conjugem ipsius, se addidisse, humanitatis nostræ esse existimavisse, & ejus necessitudinis, quæ nobis cum utrisque illis intercedit, ut nostrum aliquem eo ablegaremus, qui nostro nomine hanc utriusque fortunam adversam consoletur. At

At cum iter hoc pœne universum, partim hostilibus insidiis obnoxium, partim bellicis tumultibus impeditum his temporibus esse videremus, nec satis scire & intelligere possemus, num ea legatio, sine Serenitatis ejus aut communium rerum nostrarum incommodo, institui possit, a mittenda hac legatione prorsus nos hactenus abstinuisse.

Quoniam autem solicitamur assidue, tum officio ac necessitudine nostra, quæ nobis cum Illustribus Ducibus Finlandiæ hoc tempore intercedit, tum etiam hortationibus aliorum consanguineorum nostrorum, qui existimant, Illustrissimæ Sorori nostræ deesse nos in his ipsius angustiis non posse, perquirent Nuntii nostri ex Serenitate illius, utrum eam legationem ejusmodi arbitretur Serenitas ejus, citra suarum nostrarumque rerum incommodum institui a nobis posse; si enim Serenitas ejus posse responderit, mittent ad nos citissimis itineribus, nosque de hac sententia Serenitatis ejus facient quamprimum certiores. Etsi enim nostra magnopere interest, nos quam primum de statu Illustris Affinis Sororisque nostræ cognoscere, tamen id quidem præter scientiam Serenitatis ejus, Amici, Affinis & Fœderati nostri tentare nos dicent noluisse.

Meminerint etiam Nuntii nostri in familiaribus cum Serenitate ejus sermonibus pacificationis mentionem facere, quam inter Serenitatem ejus & Sveciæ Regem instituere velle dicuntur quidam ex Principibus Germaniæ, admonebunt-

Digitized by Google

que Serenitatem ejus nostro nomine, ut si ad eam ventum erit, nos quoque ipsi ad eam adhibeamur.

In quo gerent se Nuntii nostri secundum Instructionem priorem.

CCLXXX.

ADDITUM AD INSTRUCTIONES PRIORES NUNTIIS S. R. MAJESTATIS, SPECIATIM AD DUCES POMERANIÆ.

Queritur transmissum nuper contra pacta fuisse Germanicum exercitum & transportatum ad Svecos per Pomeranos commeatum, cupitque rationem pactorum deinceps meliorem haberi.

PRæter ea, quæ Nuntii nostri in Pomerania curaturi sunt, mandato nostro etiam Illustres Pomeraniæ Duces accedent, eosque amice salutabunt nostro nomine.

Primum autem exponent Illustritatibus eorum, pergrave nobis & peracerbum extitisse, quod autumno proximo exercitum Germanicum in terras & ditiones nostras per Ducatum suum transmiserint, nullis a nobis antea de ea re acceptis litteris. De quo etsi Illustritatibus earum diligenter postea scribi mandavissemus, rationemque ejus facti ab Illustritatibus eorum perquisivissemus, tamen hactenus rursum nobis ab Illustritatibus eorum perscriptum non esse. Quoniam autem res est magni momenti, & quæ inprimis

ad

ad rationem pactorum nostrorum communium pertineat, admonebunt Illustritates eorum, ut sibi deinceps ab ejusmodi rebus diligentius caveant, neque sine litteris & aperta significatione nostra, militem ullum per ditiones suas iter facere permittant, simulque, qua ratione autumno hoc proximo secus ab illis factum sit, nobis perscribant.

Deinde quum ad nos litteris Serenissimi Daniæ Regis, Fratris fœderati & Affinis nostri charissimi, allatum est, tota æstate proxima a Stralsundensibus subditis Illustritatum suarum commeatum in Sveciam supportatum esse, assidueque supportari, admonebunt Illustritates suas, subditos suos in officio contineant, secundum rationem pactorum nostrorum cum Illustritatibus eorum communium.

Cum enim nos Serenissimo Daniæ Regi receperimus commeatum ex Pomerania in Sveciam prohibere, idque & freti veteribus pactis terræ Pomeraniæ cum Regno Poloniæ, & adducti litteris & responsis Illustritatum suarum ad litteras & legationem nostram in hoc genere fecerimus, intelligunt Illustritates eorum, necessitatem nobis esse impositam ejus rei perficiendæ; In quo ut Illustritates eorum se nobis accommodent, postulabunt Nuntii nostri.

Alioqui si Stralsundenses pertinaciores extiterint, nos quidem ipsos commerciis ditionum nostrarum esse excluſuros, & alias rationes adversus eos ad tollendum hoc malum inituros esse. Quicquid autem responsi retulerint ab Illustrita-

tibus eorum Nuntii noſtri, id nobis primum per litteras, deinde ipſi quoque Serenisſimo Daniæ Regi, cum ad eum pervenerint, coram renuntiabunt.

Agent autem quoque cum Serenitate ejus poſt expoſitam legationem in priore Inſtructione contentam, ut quandoquidem nos ex parte noſtra conditionibus, ac pactis ſocietatis noſtræ mutuæ ſatisfacere prorſus ſtudemus; Serenitas quoque ejus ex parte ſua idem ſtudium declaret & oſtendat.

Inprimis autem ut libertatem mercimoniorum ſubditis noſtris, præcipueque Gedanenſibus, ita conſervet, ut ab omni pignoratione ſive arreſtatione navium, ac mercimoniorum ipſorum ſuos abſtinere faciat, neve nautas eorum invitos ſtipendia facere adigat, ſicut ſuperiore æſtate factum eſſe querelis Gedanenſium ipſorum aliquoties ad nos delatum fuit.

CCLXXXI.

CONFIRMATIO PACTORUM INTER MAJESTATEM R. ET REGEM DANIÆ INITORUM.

Rata habentur, quæ a Commiſſariis concluſa fuerant, & fœderi hac tamen conditione ſubſcribitur, ne vel veteribus pactis derogetur, vel adverſus Auſtriacam aut Brandenburgicam domum vel Henricum Juniorem, Ducem Brunſvicenſem, ullo modo inita ſocietas videatur.

In

IN nomine Domini, Amen. Nos Sigismundus Augustus, Dei Gratia, Rex Poloniæ, &c. Significamus per præsentes litteras nostras, quorum interest, universis, exhibitas nobis esse litteras, per Generosos Franciscum Russocki Castellanum Naklensem, Consiliarium, Gabrielem Grabovviecki Tribunum Lomzensem, & nobilem Michaelem Grunnovv de Quassovv Secretarios nostros, Commissariosque a nobis deputatos ad constituendam societatem cum Serenissimo Principe, Domino Friderico II, eadem gratia, Danorum Rege & Fratre Affineque nostro chariſſimo, belli adversus Sveciæ Regem suscipiendi. Quibus quidem litteris omnis ratio ejus societatis nostræ cum Serenitate ipsius communis omnesque conditiones abunde continentur; litteræ autem ipsæ, tum prædictorum Commissariorum nostrorum, tum Generosorum item Georgii Lucke de Offeurgarth, Equitis aurati, & Gasparis Paselich de Liddovv, Sereniſſimi Regis Daniæ prædicti Consiliariorum ac Commissariorum nomine confectæ, ac Stetini die V Octobris anni Domini MDLXIII, in pergameno scriptæ, manibus, ut videbatur, singulorum ex iis subscriptæ, & sigillis eorum pendentibus obsignatæ erant. Etsi autem ratio societatis ejus non satis æquis conditionibus nostris videtur esse constituta, nos tamen ejus amicitiæ, quæ nobis cum Serenitate ejus multis nominibus jam pridem intercedit, rationem habentes, faciendum nobis esse existimavimus, ut omnem eam rationem,

nem, quæ ibi præscripta est, omnesque & singulas Societatis dictæ conditiones, quæ litteris prædictis continentur, de meliore modo nostro nomine ad tempus approbaremus & confirmaremus. Etsi enim prædicti Commissarii nostri litteras commissionis nostræ manu nostra subscriptas habuerint, quibus sufficienter cautum erat, omne id quod per ipsos in hoc genere institutum, actum ac determinatum esset, nos ratum & gratum esse habituros, tamen cum inter eos ac Serenissimi Daniæ Regis prædicti Commissarios convenisse intelligamus, ut ea omnia, quæ per illos facta essent, nostris item ac Serenitatis ipsius litteris manibus utriusque nostrorum subscriptis, & signis Regnorum nostrorum conjunctis, confirmentur atq; approbentur, ex superabundanti, ut ajunt, eas litteras præsentibus litteris nostris confirmamus, volentes ac jubentes, ut non minus robur ac firmamentum ad ea, quæ in eis constituta sunt, obtineant, quam si hoc loco de verbo ad verbum insertæ, & per nos ipsos subscriptæ, ac nostro prorsus nomine confectæ essent. Pollicemur enim verbo nostro Regio, hisque adeo litteris nostris, omnes eas conditiones, quatenus a Serenissimo Rege Daniæ Fratre & Affine nostro charissimo, & a sociis atque adhærentibus Serenitatis ejus observatæ fuerint, nos ex parte nostra sancte ac firmiter ad tempus in ipsis subscriptum, videlicet ad victoriam usque, vel ad transactionem observaturos, nec ab eis dolo malo discessuros esse. Hac una

Digitized by Google

una conditione adjecta, ut ne quid ea re veteribus noſtris inter Poloniæ & Daniæ Regnum jam pridem conſtitutis, pactis atque fœderibus perpetuis, quæ nos prorſus inviolata eſſe volumus, derogatum eſſe videatur. Eam autem ſocietatem communem volumus nos quoque intelligi, neque contra Imperatoriam & Regiam Rom. Majeſtates, totamq; Auſtriacam familiam nobis jam pridem ſanguine & affinitate conjunctam, neque contra Illuſtres Dominos Marchiones Brandenburgenſes & univerſam illam domum multis neceſſitudinum vinculis nobiſcum jam pridem ſociatam, nec præterea adverſus Illuſtrem Dominum Henricum Juniorem, Ducem Brunſvicenſem, Affinem noſtrum chariſſimum, aliosve item Principes, Amicos & Conſanguineos noſtros, dominiaque noſtra univerſa per nos initam ac ſuſceptam eſſe. In quorum omnium fidem, &c.

CCLXXXII.

CONSTITUTIO COMMISSARIORUM PACIFICATIONIS TRACTANDÆ CUM REGE DANIÆ.

Ratum ſe habiturum, quicquid per eos tractetur, declarat.

UNiverſis quorum intereſt, nominatim vero Illuſtriſſimis Principibus cujuſcunque ſtatus, qui pacificationi inter Serenisſimos Daniæ & Sveciæ Reges præfuturi ſunt, quocunque in loco congregatis aut congregandis, amicis nobis chariſſimis, vel Commiſſariis eorum pergrate nobis dile-

dilectis significamus, quod etsi nos semper quieta consilia turbulentis antepoſuerimus, neque ab ulla re magis, quam a profusione sanguinis Christiani abhorruerimus; tamen cum jus nostrum adversus Sveciæ Regem Ericum XIV tueri quietis consiliis non possemus, atque ideo ad belli necessitatem delapsi essemus, eamque ipsam rationem juris sui adversus eundem Regem prosequendi Serenissimum quoque Principem Dominum Fridericum Secundum Danorum &c. Regem inivisse videremus, constitueramus societatem belli adversus præfatum Sveciæ Regem suscipiendi, cum prædicto Serenissimo Daniæ &c. Rege secundum pacta & conditiones inter nos per communes Commissarios nostros constitutas; quibus quidem pactis, quoniam id quoque expressum est, ut ne qua cum Svecorum Rege pacificatio, tam a nobis, quam a Serenissimo Danorum Rege, nisi utrisque nobis ad eam consentientibus possit institui; nos acceptis nuntiis de conventu hoc ad pacificationem tentandam constituto, nil potius aut antiquius habuimus, quam ut mittendis nostro nomine ad eam rem tam salutarem nostris Commissariis hoc illustri documento responderemus, nunquam per nos stetisse, quominus pax, & mutua animorum consensio inter Principes Christianos vigeat & conservetur. Itaque ne quid institutæ pacificationi propter absentiam Commissariorum nostrorum moræ aut difficultatis adferri possit, Generosos Franciscum Russocki Castellanum & Consiliarium, & Joannem Zaremba Aulicum

Aulicum & Secretarium noſtrum, Commiſſarios noſtros conſtituimus & ordinavimus, conſtituimusque & ordinamus per præſentes, cum facultate totum hoc negotium pacificationis noſtro nomine cum aliorum Principum & Regum Commiſſariis tractandi, deque eo conſultandi, proponendi, concludendi, & generaliter omnia & ſingula noſtro nomine faciendi, quæ ad eam rem neceſſaria videbuntur; promittentes verbo noſtro Regio, ratum gratum firmumque nos eſſe, habituros, quicquid per eos utrosque & ſingulos eorum in prædicto negotio actum, factum, transactum, confectum, concluſum fuerit, non ſecus ac ſi nos ipſi iis gerendis intereſſemus, aut ea ipſi gereremus. In quorum fidem manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillum apprimi juſſimus. Datum Varſaviæ XXIV Decembris.

CCLXXXIII.

LITTERÆ FIDEI COMMISSARIIS R. MAJESTATIS DATÆ AD REGEM DANIÆ.

SEreniſſime Princeps, Domine Frater, Affinis & fœderate noſter chariſſime. Mittimus Generoſos hos Franciſcum Ruſſocki, Caſtellanum Naklenſem, & Joannem Zaremba, Aulicum & Secretarium noſtrum ad Serenitatem Veſtram, quibus quod commiſimus nonnulla noſtro nomine cum Serenitate Veſtra agere, ab illa petimus, ut verbis illorum fidem habeat, & quæ ex eo intellexerit, ad ea ſtudium & voluntatem ſuam adjungat.

gat. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus. Datum Varſaviæ XXIV Decembris.

CCLXXXIV.

TURCARUM IMPERATORI.

Querelas Imperatoris querelis rependit, ſevere tamen ſe interdicturum promittit, ne quas amplius Poloni Turcis injurias inferant, & viciſſim ſimilia ab ejus ſubditis exſpectat.

ACcepimus non ita pridem Serenitatis Veſtræ litteras, quibus nobis ſignificat, vaſtari ovilia ſubditorum ſuorum ab hominibus noſtris, qui abigendis ac interficiendis gregibus nullum finem faciant, qua re cum conſtituta pacta & fœdera mutua noſtra violentur, tum etiam reditus & vectigalia Serenitatis Veſtræ mirum in modum minuantur. Ac quod quidem pacta noſtra & fœdera attinet, libenter acquievimus ſemper, atque etiam nunc acquieſcimus in amicitia Serenitatis Veſtræ, quam nobis a Majoribus noſtris relictam, atque adeo ab ipſo Divo Parente noſtro, qui fœdus cum Serenitate Veſtra ſuſceptum conſtantiſſime tenuit, & obſervavit, nos ipſi etiam multis officiis noſtris per omnem occaſionem colimus & obſervamus, ſubditisque noſtris omnibus, ut exemplo noſtro colant & conſervent, præcipimus ac mandamus; ſed tamen in locis finitimis quam difficile ſit in omnibus rebus hanc amicitiam & bonam vicinitatem ab utraque parte conſervari, res ipſa oſtendit. Quemadmodum enim ſubditi Serenitatis Veſtræ conquerun-

tur,

tur, ſibi a noſtris injurias inferri, ita noſtrorum quoque hominum aſſiduæ ad nos perveniunt querelæ, multa in ſe per vim & injuriam committi a ſubditis Serenitatis Veſtræ, ſicuti id Serenitas Veſtra ex multis noſtris litteris & ſermonibus Nuntiorum noſtrorum ſatis hactenus cognoſcere potuit, & ex Generoſo Georgio Jazlovvieski Caſtellano Camenecenſi & Capitaneo Czernovogrodenſi, quem ad Serenitatem Veſtram oratorem jam deſignavimus, plenius etiam cognoſcet. In cæteris rebus neque nos quicquam in amicitia Serenitatis Veſtræ magnopere deſideramus, nec Serenitatem Veſtram in amicitia noſtra deſiderare arbitramur. Quod autem attinet has injurias, quas nunc ex litteris Serenitatis Veſtræ intelleximus, etſi jam pridem in univerſum omnibus hominibus ſub poteſtate noſtra conſtitutis ſevere ediximus per litteras noſtras, ut jura vicinitatis cum ſubditis Serenitatis Veſtræ colant, & quemadmodum nos ipſi cum Serenitate Veſtra mutuam benevolentiam libentes conſervamus, ita illi quoque cum ſubditis Veſtræ Serenitatis eandem benevolentiam conſervent; tamen nunc etiam acceptis iſtis a Serenitate Veſtra litteris, denuo ſeverius multo quam antea mandavimus Capitaneis noſtris illorum locorum finitimis, ut ſubditos noſtros in officio contineant, neque ullam ſubditis Serenitatis Veſtræ tam in vaſtandis ovilibus, quam in aliis rebus omnibus injuriam facere permittant, ſub gravi animadverſione noſtra. Poſtulamus autem viciſſim a Sere-

nitate Veſtra, ut ipſa ſuis quoque hominibus ſevere edicat, eosque a vi & injuria ſubditis noſtris inferenda, diligenter coerceat; ſic enim exiſtimamus futurum, ut utrinque ſacra & inviolata pax conſervetur, cum utrinque ab injuriis mutuis fuerit temperatum. Confidimus id Serenitatem Veſtram eſſe facturam, quod ad utriusque noſtrorum dominiorum tranquillitatem conſervandam magnopere videtur pertinere. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus, eique omnia noſtra officia amica deferimus. Datum Varſaviæ XXIV Decembris.

CCLXXXV.

PRUSSIÆ DUCI.

Alexandri Suchteny cauſam ſe curaturum pollicetur.

ILluſtris Princeps, &c. Cauſam Alexandri Suchteny, Medicinæ Doctoris, quem nobis Illuſtritas Veſtra commendat, curæ haberi juſſimus ab iis, qui juri dicundo nomine noſtro præſunt. Cum igitur cognoſcendæ ejus dies advenerit, dabitur opera, ut commendationis Illuſtritatis Veſtræ, quantum maxime juſtitia patietur, ratio habeatur. De ſtipendio ipſius non ſatis meminimus; neq; enim arbitramur opera ipſius aliquando nos uſos eſſe, ſed tamen cum a publicis negotiis vacaverimus, omnia liquidius cognoſcemus, certiusque Illuſtritati Veſtræ reſpondebimus. Quam optime valere cupimus. Datum Varſaviæ.

CCLXXXVI.

Digitized by

CCLXXXVI.

DANIÆ REGI.

Victoriam ei gratulatus de ſuarum rerum ſucceſſu ſcribit, & actis Deo gratiis, de futuro belli apparatu nuntiat, paratum ſe nihilominus ad pacem addit, deque proditione Germanorum, in Livoniæ detecta, nec non de Duce Chriſtophero, & Finlandiæ Duce Johanne agit.

SEreniſſime Princeps &c. Etſi antea quoque intellexeramus de victoria Serenitatis Veſtræ, quam ex Svecis recens eſt conſecuta, tamen e litteris Serenitatis Veſtræ jucundum fuit nobis eam cognoſcere. Ac miſimus nos jam quidem his diebus ad Serenitatem Veſtram Internuntios noſtros, quibus mandavimus inter cætera eam victoriam Serenitati Veſtræ noſtro nomine gratulari, quam nunc etiam per litteras vere atque ex animo gratulamur, Deumque precamur, ut hos ſucceſſus Serenitati Veſtræ perpetuo fortunet. Noſtri quoque, quod ſe Serenitas Veſtra ſcribit accepiſſe, bene in Livonia rem geſſerunt, arcemque Lodenſem obſidione liberarunt, tormenta aliquot acceperunt, hoſtem denique ipſum intra muros coegerunt; ſocios autem, qui illic ſub auſpiciis Serenitatis Veſtræ militant, magnopere recrearunt, ac confirmarunt, quemadmodum de eo quoque per eosdem Internuntios noſtros Serenitati Veſtræ ſignificavimus. Quod cum ita

ita sit, ut societas nostra hæc non solum animorum consensione, sed etiam successibus ejusmodi divinitus confirmetur, debemus sane, consiliorum nostrorum fructum hunc capientes, Deo Optimo Maximo gratias agere, & nos ad reliqua, quæ supersunt, tanto fidentius præparare. Nos quod attinet, exercitum nostrum Livonicum in hyberna jam deduximus, impositis per oportuna loca præsidiis; Svecos enim quoque ipsos campis fugatos ad arcium aliquot præsidia accepimus confugisse. Vere novo bellum majoribus viribus redintegrare, exercitumque Poloniçi nominis conscribere constitutum nobis est, nisi quid aliud intervenerit; neque enim adhuc rumor ille conquievit de studiis Principum Germaniæ ad pacificationem tentandam excitatis, a qua nos neque unquam abhorruimus, si modo id, quod nostrum est, tenere quiete potuissemus, neque nunc etiam pro nostro Christiani Regis more atque instituto abhorremus, si nobis liceat, quæ bello repetimus, per pacem obtinere. Equidem si eo ventum fuerit, neque nos quidem quicquam inconsulta Serenitate Vestra tentabimus, neque a Serenitate Vestra præter voluntatem atque scientiam nostram tentatum iri arbitramur; quemadmodum in conditionibus societatis nostræ præscriptum extat. Quod attinet naves ab Illustri Domino Prussiæ Duce Serenitati Vestræ subministrandas, meminimus nos quoq; jam pridem cum Illustritate ejus ea de re egisse. Videbatur autem Illustritas ejus difficultatem

tatem allegare. Agemus tamen nunc etiam iterum; quicquid vero responsi retulerimus, faciemus Serenitatem Vestram certiorem. Nuper allatum ad nos est, proditionem in Livonia eorum, qui ab Illustri Domino Finlandiæ Duce arcibus nonnullis præfecti illic fuerunt, detectam esse. Fere fit enim, ut in provincia illa Livonia magnæ suspiciones proditionis a Germanica natione oriantur, sicuti & in multorum aliorum, & in Fürstenbergii negotio cognitum est, qui in Livonia Magistrum gerens a suis Germanis desertus ac Moscovitis proditus est. Itaque de nonnullis arcium istarum proditoribus, & proditionis conscüis nuper Rigæ supplicium sumptum est; de autore ipso proditionis Comite ab Arcz sententia nostra expectatur. Equidem videndum nobis esse existimamus, quatenus cuique deinceps fidendum sit, eaque res commovit nos, ut vere ipsum militem nostrum potius quam externum in Livoniam adducamus. De Duce Christophero Megapolensi, præter id quod nuper etiam Serenitati Vestræ significavimus, nihil accidit novi; laboratur pro eo a quibusdam Germaniæ Principibus. Inter cæteros autem affuturus est hic propediem Illustris Dominus Joannes Albertus, Frater ipsius. Cum nobiscum de conditionibus dimittendi ipsius actum fuerit, certius aliquid Serenitati Vestræ significare poterimus. De Illustri Domino Duce Finlandiæ, Affine nostro chariſſimo, præter id, quod nobis stipen-

diarius noſter Svvarczynski e Serenitate Veſtra retulit, interemptum illum eſſe, nihil certi cognoſcere poſſumus. Si quid Serenitas Veſtra habuerit, ad nos perſcribi jubebit; Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ XXIV Decembris MDLXIII.

FINIS EPISTOLARUM SIGISMUNDI AUGUSTI REGIS POLONIÆ.



Epi-

Epistolæ quædam Stephani Bathori ineditæ ad Carncovium, Senatorem Regni, ad ejus præsertim electionem spectantes.

I.

STEPHANUS BATHORI VAIVODA TRANSTLVANIÆ STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Gratam sibi esse ejus in se voluntatem significat, & ut sua & Reipubl. commoda ulterius promoveat, rogat, de itinere quoque proxime in Poloniam suscipiendo spem faciens.

REverendissime Domine, amice nobis honorande; salutem & benevolentiæ nostræ commendationem! Ex Dominis Legatis, a statibus ordinibusque amplissimis Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ huc missis, summum studium summamque animi erga nos ejusdem propensionem intelleximus. Quæ quidem apud nos tanti est, quanti ea esse debet; quæ videlicet sponte a clarissimo viro proficiscitur, cui pace publica saluteque patriæ nihil antiquius est. Optandum esset, alios quoque eo pacis studio teneri; ad quod præter alias gravissimas causas vel ipsa religio Catholica omnium maxime sacratos viros excitare debet, quæ vigente pace efflore-

ſcit, artiumque ſtudia ſeminaria & ornamenta Rerumpublicarum excoluntur, cum ex adverſo belli tempore exploſis legibus, ſublata item religione, luctu & planctu omnia miſceantur. Quare rogamus D. Veſtram R. ne quidquam remittat de ſuſcepto conſilio, nec moveatur adverſariorum ſiniſtro judicio, qui nihil penſi habent, modo legibus antiquis Regni Poloniæ libertateque Nobilitatis cum ſumma Regni pernicie oppreſſa, id quod male aggreſſi ſunt, perficere queant; quinimo tales homines pro ſuo officio ſuaque autoritate bonis rationibus ad concordiam revocare D. V. R. conabitur. Qua re D. V. R. ſummam laudem apud omnes ſibi parabit, nosque hac ſua conſtanti voluntate adeo ſibi devinciet ut quam maxime. Porro rebus publicis hic cum Dominis Legatis abſolutis, iisque quæ ad hujus Regni incolumitatem & quietem ſpectant, procuratis, brevi Polonico nos accingemus itineri. Interim bene valere R. D. V. ex animo optamus. Datum in civitate noſtra Meggies 1 Februarii, A. 1576.

II.

STEPHANUS, ELECTUS REX POLONIÆ, STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Ejus in ſe ſtudium laudat, tum de divendendis honoribus conſilium probat, & tardioris adventus ſui cauſas exponit.

Binæ

Binæ nobis redditæ ſunt a Sinc. Veſtra litteræ, quarum priores ſummam voluntatis & ſtudii ſui erga Rempublicam teſtificationem, alteræ vero præclariſſimum conſilium de diſtribuendis honoribus & muneribus Regni continent. Quod ad priores attinet, dici non poteſt, quam gratiſſimum officium Sinc. Veſtræ nobis fuerit, quod ſponte nullaque noſtra antea benevolentia incitata ſuam Sententiam in celeberrimo conventu declaraverit, in eoque reliquis ſe præcipuum ducem præbuerit. Quo quidem ſtudio S. Veſtræ magnam rebus acceſſionem factam, nutantesque hominum animos plurimum confirmatos eſſe, unus ex Legatis Regni nobis copioſe atque cum ſingulari commemoratione virtutum ejusdem indicavit. Quapropter eidem gratias agimus maximas, nec vero vel tam noſtra cauſa, quam Reipublicæ, cui S. Veſtra præ cæteris magna cum laude & omnium applauſu conſuluit. Qua ex re merito immortalem gloriam S. Veſtra ſibi apud omnes peperit, maxime autem viros Eccleſiaſticos, quibus, defenſa libertate nobilitatis, procurataque ſalute Reipublicæ, patriam inteſtinis malis, ordinem ſacratum ab imminentibus periculis eripuit. Decet autem ordinem Eccleſiaſticum omnibus temporibus talem ſe præſtare, ut reliquis cum vita inculpata, tum moribus ſpectatiſſimus antecellat, inque quiete publica ſuam dignitatem & ſalutem ſitam eſſe cogitet. Cujus curam cum jam S. V. in ſe ſuſceperit, ac plane perfecerit, hortamur eandem, velit idem ſtudium

in conciliandis aliorum hominum animis ſtudiisque conferre. Porro perplacet S. Veſtræ ſententia, ut & alterius Epiſtolæ caput breviter attingamus, de dividendis honoribus, de quibus nos ante adventum noſtrum nihil ſtatuere debere ſuaſit. Quod quidem etſi jam antea conſtitueramus facere, tamen libenter ſequemur optimum conſilium ejusdem, nempe cui de cujusque erga Rempublicam meritis probe conſtet. Cæterum S. Veſtra ſibi perſvadeat, nos & ſibi & in gratiam ejus fratribus propinquisque ſuis benevolentiam & gratiam noſtram abunde declaraturos. Quod ad profectionem noſtram in Poloniam attinet, eam ſecunda die Martii ſuſcipiemus, in qua nil prætermittemus, quod ad celeritatem pertinebit. Porro in Comitiis Andreovienſibus nuper inſtitutis coronationi noſtræ breviſſimus ſane erat conſtitutus dies, ad quem iſtuc impoſsibile erat pervenire. Pactis enim octavo die Februarii jurejurando præſtito ſolenniter firmatis, neceſſarium erat in conſtitutione Regni hujus negotiorum aliquot dies conſumere, ne ſcilicet per abſentiam noſtram inopinatus aliquis caſus Regnum hoc alioqui diverſis hoſtibus oppoſitum opprimere poſſit. Quin imo etiamſi eodem die pactorum firmatorum iter ingreſſi fuiſſemus, non tamen ad eum diem conſtitutum, propter temporis brevitatem, itinerisque longinquitatem, pervenire potuiſſemus. Qua de re commodius Senatus decernere poterit, cum ad fines Regni accedemus,

Digitized by Google

mus, facta temporis computatione diligenti. Bene valere S. Vestram ex animo optamus. Datum in civitate nostra Alba Julia XX Februarii, A. 1576.

III.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO UL ADISLAVIENSI.

De discessu suo Cracovienſi præfatus, consilia adversariorum sibi communicari cupit, ideoque eum Petricoviam invitat.

TArdius quam constitueramus Cracovia discessimus, quod post discessum S. Vestræ novæ nos difficultates excepissent: qua de causa conventus Regni paulo diutius extractus est. Verum omnia demum cum Nuntiis terrestribus concluſa & constituta sunt. Cum vero jam in itinere simus, & perendie Petricoviam venire constituerimus, hortamur Sinceritatem Vestram, ut nos de rebus & consiliis eorum, qui adhuc a nobis dissentiebant, certiores reddat: nam S. Vestram sedulo curasse, pro sua erga nos & Rempublicam fide ac prudentia, ut ea perspecta & explorata haberet, plane confidimus. Deinde vero a S. Vestra postulamus, ut sine ulla mora ad nos Petricoviam veniat, ut ejus consiliis de rebus, quas prius, quam proficiscamur Petricovia Varsaviam, perficere in animum induximus, uti possemus; nec vero diu illic subsistere volumus. Itaque non dubitamus S. Vestram cunctatione

one ſua negotia noſtra & Reipublicæ ac inſtitutum iter noſtrum non moraturam. Bene valere Sinceritatem Veſtram cupimus. Predbory 3 Junii, A. 1576, Regni I.

IV.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Eandem ſibi quam Epiſcopo mentem eſſe lætabundus aſſerit; de rebellibus debellandis bene ſperat, & Uladislaviam eum vocat, tum in poſt ſcriptis de Dantiſcorum inſolentia graviter conqueritur.

BInas eodem tempore a S. Veſtra accepi litteras, quibus cum conſtantius erga nos ſtudium teſtatur, tum ſuæ erga perſonam noſtram, univerſamque Rempubl. vigilantiæ, ſedulitatisque fidem ac diligentiam abunde declarat. Quæ nobis eo acciderunt jucundiora, quanto ab his, quæ animo noſtro voluimus, minus diſcedere videntur. Etſi enim locorum intervalla nos ſeparent, conſiliorum tamen atque cogitationum ſimilitudo adeo conjungit, ut non alia, quam quæ animo pridem conceperamus, litteris S. Veſtræ exprimantur, a noſtroque S. V. judicium nihil plane diſcrepet. Cujus erga nos dignitatemque noſtram, ſicut ab ingreſſu ipſo in Regnum præclara eximiaque ſemper exſtitit voluntas: ita hac conſiliorum ſolertia perſpicacitateque eum ſe exhibet, ut merito de S. Veſtræ erga nos animo majo-

majora indies polliceamur, dolere quidem, tamdiu hoc negotium extractum esse, satis non possumus, nec nobis accidere quidquam optatius potuisset, quam si statim lenioribus rationibus, vel, cum eæ non succederent, necessariis obviam ire huic malo licuisset; quod tum nobis omnia opportuniora, hosti vero difficiliora fuissent. Nunc vero premunt nos variæ difficultates. Deum tamen exactissimum rebellionis omnis vindicem atque ultorem in causa justissima nobis non defuturum speramus. Non parum itidem præsidii olim in S. V. tum reliquorum Dominorum consiliariorum, quos Uladislaviam convocavimus, consilio atq; ope collocandum existimamus. Quo cum S. Vestram venturam minime dubitemus, de his uberius agendi coram dabitur opportunitas. Budzinius, quem S. Vestra ad nos misit, fuit nobis pergratus, & ab eo, quæ nos cognoscere conducebat, libenter intelleximus: cujus cum erga patriam tum personam nostram pietatis ac fidei, quam par est, gratitudinem declaravimus, & quo ad perpetuo sibi devincendam patriam alacrior & promptior redditus, meliorem operam nobis navaret, honorario eundem afficere voluimus. Bene valeat S. V. Datum Bidgosty die XXI Februarii.

P. S. Accepimus, Gedanenses Olivæ Monasterium igne ac machinis admotis prorsus diruisse, interfecto etiam uno sacerdote & altero servitore domini Abbatis, tribus sacerdotibus in captivitatem abductis: alios nudos & male mul-

mulctatos ac cruentatos reliquerunt. Hæc certe talia sunt, ut vix ab ipsis Scythis acerbiora sperari possint. Miror tamen adhuc aliquos esse, qui nobis benignissimi patris filios suos castigantis exemplum proponant, culpamque omnem in nostram (ut ipsi volunt) intempestivam exacerbationem potius, quam improborum civium longam temeritatem, alteque conceptum in nomen Polonum odium referant. Sed utut sint, qui aut livore, aut errore ita labantur, nos tamen non desperamus de æquissima causa tum nostra, tum Reipubl. dummodo Poloni pristinæ virtutis memores ac suæ nobilitatis & autoritatis veri æstimatores esse velint &c.

V.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Supplicem libellum civitatis Nevensis ei transmittit &, causas indicti Uladislaviam Majorum Consiliariorum conventus indicat.

CIvitas nostra Nevensis dedit nobis supplicem libellum, cujus quæ sit sententia, ut planius Sinc. Vestræ constaret, eundem hisce nostris litteris inseruimus : quas etiam idcirco scripsimus ad S. Vestram, ut illa, quid sit optimum hac in causa factu, ad nos perscribat, de eoque informet. Videtur & illud S. V. significandum esse, nos, cum pro tempore & causa Reipubl. locum idoneum convocationi Majorum Consiliariorum,

ad

ad XXIII Martii neceſſario indicendæ, quereremus, deſignaſſe ex eorum ſententia, qui locorum opportunitatum erant periti, Uladislavienſem Civitatem ditionis S. V. Quæ cum cæteris commodis ad tantam frequentiam hominum tuendam, hæc quoque duo maxima commoda habet, quod & proxima ſit huic provinciæ, in qua nos intereſt Reipublicæ cauſa hoc tempore verſari, & alluatur Iſtula ad omnes res neceſſarios, abunde ſuppeditandos flumine opportuno. Hoc idcirco S. Veſtræ ſcripſimus, ne illa putet, quicquam nos aliud in hoc conſilio capiendo quam Reipublicæ & neceſſitatem & commodum ſpectaſſe. Qua ex re ne ullo aut S. Veſtra aut ejus ſubditi incommodo afficiantur, providebimus, quippe cum ſtatuerimus, nullum eo militem adducere, ſed cum Majoribus tantum Conſiliariis noſtris de Republ. deliberare. Quod ſupereſt, S. Veſtram valere cupimus. Datum Bidgoſty XVI Febr.

VI.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

De ſuorum adverſus Gedanenſes victoria nuntiat, & quando a Tartaris ſibi parum metuendum credit, deſtinatam in illos expeditionem eſſe omnino aſſerit.

PLenius & certius jam cognovimus de prælio a noſtris cum Gedanenſibus commiſſo; victoria

ria Divina benignitate a noſtris eſt parta, ſummo tamen labore & virtute militum noſtrorum, quibus paucis cum majori quam quadruplo hoſtium numero res fuit, & cum bene armato & tormentis majoribus inſtructo. Si tardabimus, putamus eos ſibi ſupplementa a civitatibus Anſeaticis & aliunde comparaturos, unde de novo quaſi rem gerendam, ſi vero celeritate utamur, brevi nos iſtius belli reliquias conficere poſſe. De Tartarico periculo cum cogitamus, videmus eos, cum habeant equos ſtrigoſos, non poſſe ditiones noſtras, niſi ſub meſſem aut paulo ante invadere. Præterea etiam credimus jam a Turcarum Imperatore mandata ad illos de pace ex pactis ſervanda data, cujus injuſſu id factum apparet ex eo, quod nullus Bialogrodenſium & aliorum Tartarorum Cæſaris Turcarum in hac excurſione adfuerit. Præterea ſignificatum nobis eſt, venire ad nos a Tartaro Legatum. Ita ut ex dilato hoc Gedanenſi negotio, propter incertos de Tartaris nuntios, tunc cum verum periculum aderit, ita ut nunc diſtineremur ancipiti periculo, nec Ruſſiæ terris auxilium juſtum ferre poſſemus. Perfecto autem hoc negotio paucis, ut credimus, diebus illuc cum numeroſiore exercitu venire poſſemus. Id quod certe Deo volente faciemus, eoque recta contendemus, ac efficiemus, ne is perfidus hoſtis in poſterum noſtris nocere poſſit; ac ſi Deus juverit, fortaſſe etiam vindictam perfidiæ de illo ſumemus, facere ſane id enitemur. Nunc vero verſus Gedanium

XXVIII.

XXVIII die hujus Menſis contendemus. Hortamur igitur Sinceritatem V. ut copias, quas nobis promiſit, quam primum mittat. Facturam id S. Veſtram pro ſua ſingulari erga nos obſervantia confidimus. Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ XXIII April.

VII.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO, EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Ob præſentes neceſſitates paratam pecuniam ſibi repræſentari cupit.

DE ſincera ac conſtanti S. Veſtræ erga nos & Rempublicam pietate non dubitamus. Scimus etiam S. Veſtram Senatorem prudentiſſimum, & diu in negotiis Reipublicæ verſatum, optime videre, qui ſit præſens hujus Regni ſtatus, quæ, urgente illic a Tartaris, hinc a perduellibus bello, difficultates. Cum igitur præſenti ope Respublica indigeat, hortamur, ut S. Veſtra operam det, ut in ſubſidium ærarii non aliqua contributio, quæ & quantum conficeret incertum eſſet, & non niſi longo temporis intervallo exigeretur, ſed certa ſumma pecuniæ, quæ quamprimum nobis repræſentetur, decernatur. Curaturam id ſummo ſtudio S. Veſtram confidimus. Huic vero S. Veſtræ ſtudio nos quoque pari benevolentia ſatisfaciemus. Bene diuque valere S. Tuam cupimus. Datum Brodnitiæ XI Martii.

Circa diſceſſum hujus cubicularii rediit ad nos Dominus Secretarius Major, qui & litteras

R. V. D. nobis reddidit, & oretenus omnia retulit. Quemadmodum autem ab initio, ita nunc quoque agnoſco promptum R. D. V. bene merendi ſtudium, omnesque actiones ac conſilia, cum noſtro adeoque Reipublicæ incremento eſſe conjuncta. Quo nomine D. R. V. gratias agimus, noſtramque gratiam de meliori nota commendamus. Cras Deo duce nos hinc movebimus, & recta Marieburgum deſcendemus. Cuperemus enim occaſione uti: antequam novis copiis aucti animum reſumant.

IIX.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO, EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Poſtquam vanam ſpem redeundi ad officium feciſſent Gedanenſes, ſerio oppugnantur, inde rerum a penultima die Junii ad diem Julii decimamquintam in ea oppugnatione geſtarum ſeries enarratur.

ETſi in animum induxeramus, Laternam initio expugnare, tamen de noſtra ſententia decedere nos fuit neceſſe; quod nunciaretur nobis de promiſſis quorundam Gedanenſium de redeundo ad officium. Cum ad Gedanum acceſſiſſemus, prima die ſtatim ex munitionibus, quæ ſub urbe erant, hoſtes in urbem compulimus, tormenta admovimus. Poſtridie Vejerus longius milliari a noſtris caſtris adverſum Laternam ex altera ripa Lenivvca cum ſuis Germanis ſe collocarat.

carat. Inde induciæ a rebellibus impetratæ: quindecim dies colloquiis consumpti, nihilo meliores facti rebelles. Finitis induciis penultima Junii fuit velitatio sub mœnibus. Hostes nunquam longe a muro elici potuerunt: concurrerunt cum iis tyrones pedites Poloni, nihilominus virtute inferiores non erant. Tertia Julii negligentiane an proditione excubiarum Germanicarum factum, ut ad Vejeri stationes ante lucem advenirent navibus, priusquam ab aliis sentirentur. Germani segnius rem gesserunt, ita ut tormenta quædam ad quatiendam Laternam ad ripam Lenivvcæ posita, præcipitarent in aquam hostes. Restiterunt pedites Poloni, etsi centum & quinquaginta tantum istic essent, ii tyrones non bene juvantibus Germanis repulsi, etsi Vejerus, ut probus miles, nihil non ageret, omnibusque periculis se exponeret, ac suos ad resistendum strenue hosti adigeret: adventante post in subsidium Generoso Martino Cazanovio cum equitibus hastatis, hostes pulsi ex statione Vejerana, ut cum trepidantes naves conscenderent, una cum non paucis militibus submergerentur. Ex nostris tamen non adeo multi perierunt, ac prorsus haud plures, quam hostes, utrinque ad centum cæsi. Inde nos cum videremus, illos nulla ratione, quam vi ad officium reduci posse, consilium cepimus urbem jam serio oppugnare, qua expugnata compedes urbi injectas vere aliquis possit dicere. Traducimus igitur exercitum ad Laternam per Insulam minorem.

Flumen ad Glovam in Neringam trajeciemus, Deum orantes ut nobis ac Reipubl. adsit. Hodie cum mutaremus castra, hostes ex urbe excesserant, ita tamen ut prope ad ipsas portas se continerent. Equites triginta, qui longius progressi erant, vix non a decem tantum in præcipitem fugam acti: quorum unus occisus est, alter hasta trajectus. Nec pedites potiores fuere, pedes quidem noster gregarius turrim ligneam succendit. Quid deinceps geretur, S. Vestræ pro occasione significabimus. Bene valere S. Vestram cupimus. Datum ex Castris nostris ad Gedanum, 15 Julii, A. 1577.

IX.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO, EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

Curam Ducis Prussiæ & ditionis illius Marchioni ab Anspach committere se velle declarat, & ut una cum cæteris Commissariis iter ingrediatur cupit.

LAtere S. Vestram nolumus, nos jam post tractatus istos, quos nunc cum oratoribus Germanicis habuimus, in eo esse, ut juxta deliberationem & conclusionem Uladislavienſem, cura Ducis Prussiæ & ditionum illius Illustriss. D. Marchioni ab Anspach committatur, & ut jam ea in re Commissarii nostri in terras illas mittantur, qui cum ordinibus terrarum illarum conferant, & rem ac negotium totum perficiant & ad

ad debitum effectum deducant. Inter quos Commissarios cum S. Vestram adesse quoque cuperemus, non quod illam non sciamus nostri & Reipublicæ causa multa hoc tempore non sustinuisse, ac majoribus curis ac impensis illam onerari vellemus: sed quod neminem alium melius ac utilius negotium hoc obire posse existimemus, pro illius prudentia ac negotiorum nostrorum experientia, qua illam Deus inter alios præcellere voluit. Itaque si hoc commode sine magno dispendio & jactura rerum S. Vestræ fieri potest, hortamur S. Vestram, nostri & Reipublicæ causa hoc munus Commissariale in se suscipiat, & in terras illas una cum aliis sub finem Octobris descendere non gravetur. Numeroso comitatu non opus esse S. Vestræ ad iter illud perficiendum existimamus: imo quanto minori suorum numero illud absolvere poterit, vellemus, ut id perficiat, ut etiam posthac eo celerius ad nos in conventum Regni, qui fortasse sub illud tempus quoque celebrabitur, redire, ac relationem omnium facere possit. Rem ut necessariam ita nobis gratam & toti Reipubl. huic perutilem S. Vestra faciet. Quam bene valere cupimus. Datum Marieburgi 26 Septembris A. 1577.

X.

STEPHANUS REX POLONIÆ STANISLAO CARNCOVIO, EPISCOPO ULADISLAVIENSI.

De synodo celebranda & Gedanensibus moram fraudulenter quærentibus. Gra-

GRatiſſimo animo accepimus ea, quæ nobis S. Tua ſignificavit de concluſa ſynodi celebratione. Rem eam exiſtimamus Eccleſiæ Dei, nobis & Reipublicæ fore utiliſſimam. Cupimus autem quamprimum ſcire de die, tempore ac loco celebrandæ ſynodi; ut iſthuc, more ac conſvetudine veteri, ablegemus Nuncium noſtrum, qui ea cum Ordine Sacro, nomine noſtro communicaturus ſit, quæ illi committemus. Quem autem S. Tua cenſeat ablegandum, utrum perſonam Eccleſiaſticam, an vero ſæcularem, nobis conſilium det; unus etiam, an bini ſint mittendi, cupimus a S. Tua cognoſcere. Quæ bene valeat. Datum Bidgoſty 20 Januarii A. 1577.

Roſenbergus cum certis pacificationis conditionibus Gedanum ſub fide remiſſus, ut in octiduum re concluſa rediret, fidem fregit eriſipelatis morbo ſe correptum eſſe mentiens; & quamvis per quendam Syndicum reſponſum reportari promittat, tamen nemo non videt, omnes eorum actiones vanas & fraudulentas ad extrahendum ſaltem tempus eſſe accommodatas.

* * *

E re viſum eſt his epiſtolis ejusdem Stephani Regis orationem, quam coram univerſis Poloniæ Ordinibus ore ſuo protulit, adjungere, qua ſuæ Polonis vitia magnopere exprobrat.

ORATIO STEPHANI BATORI, REGIS POLONIÆ.

Excan-

EXcandeſcit animus, dum ad vos verba facio, o Poloni, quoniam Deus inprimis, & benevolentia veſtra, Regem non dicam me creavit, nec fecit, ſed ſubſtituit, veſtrisque præeſſe voluit non ſolum facultatibus, ſed libertatibus. (Si tamen libertatis nomine ea digna ſunt, quæ licentiæ innituntur, aut ſatius malæ ordinationis fundamento.) Non culpæ igitur conſcius animus coram vobis erubeſcit loqui: culpa enim quantacunque eſt, in libera Republica, liberam non præcludit homini loquendi facultatem; ſed omnium veſtrum triſtes intueor facies, palloris ſigna advertens. Ut pallorem depellam & rubeam ſuperinducam ſuperficiem, (quæ virtutis indicium eſt) hæc præmeditati res eſt conſilii.

Me non pictum aut fictum benevolentia veſtra fecit Regem, o Poloni. Mihi per vos datum eſt non ſolum Veſtram libertatem, ſed etiam Regiam tueri dignitatem, ne dicam Majeſtatem; ſed quæ Majeſtas inter arma, quæ pacatæ nunquam cedunt togæ? Sanguinem, ut intelligo, veſtrum doletis, o Poloni, ſi tamen ſanguis veſter is eſſe potuit & dici meruit, qui in opus abominandum, ſatius dicam, & formidandum excrevit & excreviſſet, niſi vigor legum veſtrarum ſerio & ſolertia Regni procerum obviaſſet, ac impetus veloces, temerarios, crudeles & nefarios refregiſſet. Mortuus canis non conſvevit mordere. Mordeat ſane. Mortui nil nocet virus, cum nec effundi nec diffundi poſſit.

Jactat nobis quasdam domus Zborovia minas,

at locus & dignitas non cervos ſed leones Reges eſſe voluit: pro veritate & juſtitia etiamſi mori me oporteat, mortem nusquam formidabo. Felix mors, cui veritas parat viam, & juſtitia nectit coronam. Ligaſtis mihi manus, o Poloni, non funibus, ſed veſtris legibus. Solvite mihi eas, ſolvite obſecro, ut liberæ ſortis palma aſpectu feroces, re tamen ipſa imbelles adverſariorum ſufferat inſultus: & anceps hic mucro, in inimicas paratus cædes, hoſtium tantummodo ſitiat ſanguinem. Sed dum affectus excurrit, mens oportuna derelinquit: credant ſuſurrones, norint ſuſurrones, exſangue corpus ſæpe piſcium eſcam fuiſſe, & quos ſanguis non commerſit, fluctuantes hos procelloſæ texerunt undæ.

Bellum nobis non inteſtinum, quod putatis, ſed Moſcoviticum illud grande, periculoſum, dubium imminet. O Poloni, trepidatis? At fortes non decet trepidatio. Timetis? At timore non vincuntur ſed ſtabiliuntur hoſtes. Pavetis? at in Polono quis laudet pavorem. Gaudetis? ſed triſtes cum geritis vultus, quis gaudii in vobis ſignum aſſeveret. Et timere & gaudere deberetis, o Poloni: timere, nam belli dubius eventus, gaudere, nam tempus offertur, quo inclyta veſtra juventus ad viriles facile poteſt aſſueſcere occupationes & avitam bellicoſitatis imitari virtutem. Parcatis obſecro, quæ dicam: juventus veſtra, quam numeroſam habetis, (proh dolor) quam abominabilis, quam moroſa, quam effœminata? Moroſam

roſam illam, quin & vos ipſos (date veniam veritati) abominabiles, effœminatos conſveta effecerunt vitia, quæ cunctis in univerſum adeo ſunt communia, ut horreſcat animus, dum Regias ad aures ea perveniunt, quæ non liberam deceant Rempublicam, ſed trucem redoleant carnificinam. Luxus vos effœminat, o Poloni, quem dum colitis, in vitiis facile deliteſcitis. Superbia vos profligat; qui dum ſummopere ambitis, contempti, abjecti, ruinisque humiles exiſtitis. Sæpe contingit, dum præeminere contenditis, cædes, rapinas, tumultus & ſimilia his ne dicam anhelatis, ſed fabricatis. Præſumptio vos enervat, o Poloni, in qua dum confiditis, ſæpe miſere peritis, & patrimoniis exuti, ad paupertatem & extremam inopiam pervenitis: hæc non florentis Reipublicæ ſunt præludia. Hac via pleraque Regna in maximam prolapſa amentiam, aut exciſione ſublata fuerunt, aut gentile ferox jugum in hæc usque tempora excutere non potuerunt. Multa vobis poſſem adducere exempla, at hiſtoriis non eſt certandum, ubi conſiliis opus eſt certare & armis.

Veſtra quidem, o Poloni, non imperio, quod timetis, non dominio, quod horretis, ſed fato quodam regitur Reſpublica; ſed vereor, ne nonnunquam cum legibus defendetis immunitatis veſtræ prærogativas, aurea libertas in ferream vertatur ſervitutem. Sed hominum ego Rex ſum, non Deorum. Mihi regnare non divinare datum eſt. Veſtra libertas, o Poloni, libertas ve-

Digitized by Google

ſtra, pro qua tantopere zelatis, grande quoddam donum eſt. In toto orbe uti rara, ita cara. Verum mihi credite, quot articulos geritis libertatis, tot vobis ab externis imminere putate hoſtilitatis. Multi equidem ſunt, qui cum veſtram libertatem penſare videntur, ſemper vos veſtrasque oras ſuæ adjungerent ſervituti. Ac utinam in viſceribus Regni non invenirentur ejusmodi, qui cum pari cum vobis libertate utantur, impiam in vos liberosque velint inducere ſervitutem. Avertent fata, ut confido, me præſente, ea mala, o Poloni, & quicquid ad avertendum tam grande malum pertinuerit, in eo me nunquam defuturum, quoad potero, putatote. Poſt meum obitum ſi quid horum perſenſeritis, non mihi, ſed factis veſtris imputabitis. Diverſos proceres diverſa ut plurimum manent ut exitia ita rerum ſucceſſus. Regibus quidem & legibus ſtare ſolent Regna, ſed & leges & Reges nemo unquam vidit tam fortunatos, qui lapſu temporum viciſſitudinem non patiantur. Me duce nil fortunatum geſtum habetis, o Poloni, (abſit nobis vana gloria) ſed nihil quoque adverſum, ex quo me imperio præfeciſtis, veſtra pertulit Reſpublica: utrum pari mihi vobiscum vivendum ſit fortuna, eventus aliquando probabit. Habetis me ad omnia alacrem, o Poloni; & vivere mihi vobiscum & commori dulciſſimam mihi futuram rem putatote. Dummodo vita mea vel mors mea veſtræ Reipublicæ non decrementa ſed ampla afferat incrementa. Deorum hæc non noſtrum ſunt conſilia, quorum

nutu

nutu humiles in amplas creſcunt Monarchias, permiſſu vero Monarchiæ in irrevocabiles cadunt ruinas. Faciendum tamen homini, quod in eo eſt: volentibus non refragantibus fata ſecunda eſſe conſveverunt. Vellem ego, o Poloni, florentiſſimam vobis reddere Rempublicam, ſed dum florentes cupio in ea ſerere herbas, vos videte ne floribus inimicas objiciatis ſpinas, & ne plus pungere quam florere velitis, & marceſcibilem reddatis coronam. Pupugi fortaſſis & ego vos, ſed ſi ſanguis ebullivit, ſalvam rem veſtram putatote, memoria ſanguinis veſtri facile vos a vitiis abſterrere poterit; nam cum Polonos vos dicatis, facile vobis perſuadere poteſtis, vos Polo ſimiles eſſe debere.

Odit vero Polus nec inquinatos capiunt placida aſtra corymbos. Quanquam nonnunquam videre eſt vos e Polonis factos eſſe polares, cum altis cogitationibus, elatis conſiliis, quaſi ſub ſydera vos efferatis elatosque animos alta ſua faciatis exiſtimatione; ſed ſæpe fit, ut Icarum imitantes ab ejus caſu non immunes exiſtatis: qui id fiat, aut unde proveniat, difficile eſt in hac parte ominari. Malum quo magis latet, eo difficiliorem habet medelam. Medicas non in una re vobis oportet apponere manus, vitiis multum, veſtra eſt impleta Reſp. parcite ſi enarrabo. Veſtrum eſt, cum nobis ſunt arma tractanda, conſiliis extrahere moras, & conſiliorum moras variis tumultuantium ſufferre exultationibus. Veſtrum eſt, cum obediendi & parendi legibus tempus

pus eſt, præeminentiæ privatæ commodo & contra vim legum ne dicam perturbare, ſed exturbare. Conſilia quæ ſunt, talia ſunt, aut tarde prolata, minime valitura, aut mature coordinata diſcordibus oblata animis exitu fruſtrari videntur. Hac in re num ingenia, num conſiliorum perplexitas culpanda ſit, difficile eſt eloqui. Quanquam ſi voluntati veſtræ nos conformare voluerimus, utrumque cauſabimus. Ingeniorum veſtrorum ſubtilitas quoties vos fallere conſvevit, o Poloni, hinc proficiſci ſolet, ut licet ſana Reipublicæ ſentiatis, ea tamen privatis magis ſentientes quam publicis commodis, tacetis: aut ſi eloquamini, verbis coloratis & nebulis inutilibus Solem neceſſarium obſcuratis.

In hoc vero ampliſſimo Senatu, cum de bello diſcurritur, quot, qui ſapit, artes ingenii inveniet? Pace veſtra dixerim, Senatores, a ſenio nomen, ut Poeta canit, trahitis, ſed ſeniles perſonas in conſulendo detrahitis, juveniles inducitis. Clarius dixerim, reſpectus vos non veritas mutos facit, quos tamen neceſſitas aliquando loquaces poſtulabit. Molem imperii tractare vobis mecum commiſſum eſt; videte igitur, ne imbecillitate veſtra ei interitum afferatis. Omnis quidem ruina periculoſa, ſed dum fundamenta ruunt, dum ærati labuntur coloſſi, gravior caſus ſperatur & conſequitur. Nolite inducere in animum Regum reſpectum, o Proceres, qui ex Regibus ſæpe Tyrannos, ex ſubditis liberis multos fecerunt ſerviles. Fronte capillata, poſt hæc occaſio calva; facilius malum inducitur, quam extirpatur. Quis

Quis ſcit nonnunquam nanciſcemini Regem, qui veſtras liberas voces levipendens, quanquam ſe morigerum conſiliis oſtentabit, tamen ab illis deviabit; quod facile ſane fiet, ſi vos non veritatis, ſed favoris buccas non dicam crepantes, ſed ſuſurrones deprehendet. Multos licentia deteriores fecit; at quis ſit legum vigor?

Dixi.

* * *

Quoniam Stephanus Bathori nactus eſt ſucceſſorem Sigismundum III, juvabit hic ſequentia adjungere, quæ mandato Ordinum Regni Poloniæ Cracoviæ, ex officina Lazari, A. 1587 prodiere, ob raritatem & elegantiam rerumque pondera non minori, quam cætera anecdota, pretio habenda:

Ordinum Regni Poloniæ, nonnullorumque eius Magiſtratuum, de Electione Sereniſſ. Principis Sigismundi tertii, Regis, ad diverſos Principes Chriſtianos legationes, epiſtolæ, reſponſa.

Digitized by Google

I.

EPISTOLA ORDINUM REGNI POLONIÆ, POST ELECTIONEM SIGISMUNDI TERTII REGIS ADMINISTRATAM, AD SUMMUM PONTIFICEM SIXTUM V E COMITIIS VARSAVIENSIBUS MISSA.

Causas electi Sigismundi allegant, & ut curam adhibeat, quo minus Maximilianus Archidux per schisma electus turbas dare in Polonia possit, obnixe rogant.

SAnctissime ac beatissime Pater & Domine, Domine clementissime. Post oscula pedum beatorum, nostrumque humilimam commendationem; primum illud S. V. significandum existimamus, cum post mortem laudatissimæ memoriæ Ser. Stephani Regis, novo Regi deligendo diem edixissemus, ad eundemque legitime convenissemus, more institutoque Regni hujus pristino, liberis suffragiis nostris electum in Regem a nobis esse Ser. Sigismundum Principem, electumque Regem Sveciæ. In quo, etsi multa a nobis spectata sint, ut propinqua cum Iagellonibus prioribus Regibus nostris cognatio: memoria lectissimæ fœminæ matris ejus, Reginæ, quæ in hunc diem in Regno nobiscum est, Sororis germanæ: Regni deinde tam vicini, & cum quo præsertim non leves Regno huic controver-

siæ

ſiæ intercedant, conjunctio; non minus tamen, quod in omnibus rebus familiam ducit, religionem, pietatemque ejus propoſitam in eo habuimus, quodque ita a præſtantiſſima fœmina matre ſua inſtitutum ſciremus, ut Sanct. V. ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ autoritatem omnibus in rebus ſecuturum, dubitare non debere videremur. Quibus nominibus cum de tali Rege non modo nobis, verum univerſæ Chriſtianitati merito gratulari deberemus, quo minus perfecta gratulatio hæc ſit, paucorum quorundam ſive cupiditas, ſive diſſenſio facit, qui cum ab initio ob privatas quasdam rationes ſuas omnes fere publicas actiones impediviſſent, atque ita rem duxiſſent, ut magna pars nobilitatis, cujus in electionibus Regum præcipua autoritas eſſe ſolet, dilaberetur; tandem Senatus fere omnis, ac maxima pars nobilitatis ejus, quæ ſubſtiterat, re inter ſe communicata, in eam ſententiam neceſſario eundum ſibi ſtatuerunt, ut nulla ulteriore mora interpoſita, ad electionem tandem accederent. Itaque Archiepiſcopo, qui moribus Regni hujus, & vivo Rege illi proximus, & eodem mortuo princeps dignitate in Senatu eſt, præeunte, cæteris Epiſcopis, Senatoribusque omnibus fere aſſentientibus, nobilitate autem maxima poſtulante, eundem Sereniſſimum Principem Sigismundum Regem renunciarunt. Quo omnium conſenſu etſi nemo erat, quin alios ab inſtituto ſuo facile deductum iri exiſtimaret: tanta tamen eorum obſirmatio fuit, ut cum ſeptem ſoli Senatores

ſenten-

ſententiam dixiſſent, quinque, reliquis duobus abſentibus, ex nobilitate autem non pluribus ſexaginta, partim familiaribus, partim conſanguineis ſuis aſſentientibus, cæteris vero, etiam ex iis, qui aliorum conſiliorum illorum ſocii fuerant, publice proteſtantibus, præterea autem exulibus & proſcriptis contra leges Regni omniumque gentium jus adhibitis, Sereniſſimum Archiducem Maximilianum, alium Regem, per unum ex numero ſuo Epiſcopum Kiovienſem, in Epiſcoporum ordine poſtremum, eundemque nondum a Sanct. V. conſecratum, non tam renuntiare, quam invitis & reclamantibus omnibus imponere auderent, quo non tam jus aliquod, quam cauſam armorum alicui minus fortaſſis juris atque pacis amanti, qualem Sereniratem ſuam eſſe minime exiſtimamus, præberent. Itaque cum Serenitatis ſuæ pietatem atque prudentiam cogitamus, ut tale Regnum, quod primum alterius ſit, deinde eo modo, ac per tam paucos homines, partim etiam conquiſita nonnullorum infimorum hominum ſuffragia, delatum ſibi ſit, cum ſuo tum univerſæ Chriſtianitatis periculo accipiat, adduci ſe paſſurum, minime nobis perſvademus. Cum vero legatorum ac familiarium ejus ſtudia conſideramus, ne ab aliis Serenitas ejus ſeducta ulterius fortaſſis, quam vel ſibi, vel Regno huic, vel etiam univerſæ Chriſtianitati expediat, progrediatur, non poſſumus non vereri. Id autem, cum Serenitatis V. ut univerſæ Chriſtianitatis parentis autoritate maxime

avert

averti non ſolum poſſit, verum etiam dabeat; ut inter graviſſimas cogitationes ſuas non minimum huic curæ temporis S. V. impertiatur, quo diſſidium id non tam tollatur, quam ſine cauſa non ſuſcipiatur, diligenter Sanctitati V. ſupplicamus. Præterquam enim, quod inter duas gentes vicinas, & quæ non minimam partem Chriſtianitatis conſtituant, non ſine periculo dimicari poſſet, hujusmodi etiam cauſam hanc eſſe ſine dubio Sanctitas V. perſpicit; quæ non modo Chriſtianos populos inter ſe commiſſura eſſet, verum Orientis fortaſſis etiam arma alieniſſimo Chriſtianitatis tempore, in Chriſtianos commotura; quo magis pro paterna ſua cura ac pietate nihil intermiſſuram Sanctitatem V. nobis perſvademus, quo præſenti periculo obviam eatur. De Rege noſtro, nobisque omnem viciſſim obſervantiam S. V. ac Sanctæ ſedi Apoſtolicæ polliceri multis non debemus; cum ea ſine ſcelere intermitti a nobis non poſſit. Illud autem confirmare non dubitamus, ſi quis ad debitam noſtram pietatem, ex hac etiam Sanctitatis V. pro nobis atque Regno hoc cura, cumulus accedere poſſit, facturos nos omnibus rebus; ut gratiſſima mente beneficia ſua complecti nos S. V. intelligat. Cui nos omnes atque ſinguli Regni hujus ſalutem atque rationes humiliter commendamus.

Ad Varſaviam die 26 Auguſti,
A. 1587.

II.

PRÆSCRIPTUM LEGATIONIS ORDINUM REGNI POLONIÆ, AD S. CÆS. M. JCANNI BOGUSS, CASTELLANO CZEOHOVIENSI, ET REVERENDO JOANNI GNIAZDOVVSKI, SUFFRAGANEO GNESNENSI, ABBATI MOGILNENSI DATUM VARSAVIÆ DIE XXVI MENS. AUGUSTI A. MDLXXXVII.

Quare Sigismundum potius, quam Maximilianum Poloni elegerint, recenſent, & vim omnem modeſte deprecantur.

LEgati noſtri mandatis hiſce acceptis, ut quamprimum ad Cæſ. Maj. perveniant, operam dabunt, facultatemque adeundæ ejus nacti, in hanc ſententiam apud Majeſtatem ejus legationem ſuam exponent: Sacra Cæſ. Majeſtas, Domine Clementiſſime: Illuſtriſſimus Senatus atque ampliſſimi Ordines Regni Poloniæ, inprimis, ut obſervantiam, officia, atque paratiſſimam in Sac. Cæſ. Maj. V. voluntatem eorum, Sacræ C. M. V. deferremus, nobis mandarunt: deinde vero, priusquam de reipſa, cujus cauſa ad S. M. V. C. nos miſerunt, aliquid ſignificaremus; ut quæ eorum in S. M. V. C. auguſtiſſimamque domum ejus obſervantia, quisque animus ſemper fuerit, paucis oſtenderemus, voluerunt. Id igitur ſemper judicium illorum de ea fuit, ut cum

pro

propter generis majestatem, tum ob prudentiam, humanitatem singularem, cæterasque virtutes Regias, non modo Regno Poloniæ, sed quibusvis Regnis amplissimis dignissimam eam judicarent. Iidem autem de Sacra Cæsarea etiam M. V. omnino sibi persvadent, facile pro prudentia sua eam perspicere, Regna atque Imperia, non tam ex competitorum dignitate, sed ut plurimum, ex utilitate populorum tradi solere: maximam vero partem ex Dei solius hominum mentes atque cogitationes, quo illi videatur, impellentis arbitrio atque voluntate constitui. Itaque primum, cum Regni Poloniæ competitores Ser. etiam Fratres Maj. V. fuerint, quod præ illis Sereniſſimus Sveciæ Princeps & electus Rex, Sigismundus, in Regem a Polonis electus fuerit, non ita M. V. interpretabitur, quod dignitas eorum, Sereniſſimæque domus Austriacæ, neglecta ab illis fuerit, sed primum, quod Dei voluntas ita tulerit, deinde vero ipsius etiam Regni Poloniæ commoda, atque rationes id postulare existimarent. Spectata autem ab aliis hac in re maxime sunt, cum generis propinquitas, qua proxime defunctos Reges Ser. sua attingeret: quæ res ad animos populorum conciliandos, omninoque in pace continendum Regnum, alioquin multis difficultatibus obnoxium, plurimum faceret; tum tam vicini Regni, cum quo præsertim non leves controversiæ Regno Poloniæ intercederent, conjunctio, controversiarumque omnium obliteratio; maxime etiam,

quod potentiorem aliquem vicinum minus ejus electione irritatum iri sibi persvaderent, cum quo nihil omnino dissensionis aut controversiæ haberet. Non tam igitur aliorum dignitas electi Regis dignitati postposita ab illis est, quam publica commoda atque rationes plurimum apud eos valuerunt. Ita autem electa ab illis in Regem Ser. sua fuit; ut primum Archiepiscopo, tanquam principe Senatus præeunte, cæteris autem Episcopis atque Senatoribus fere omnibus assentientibus, nobilitate autem maxime id efflagitante, ab ipso Archiepiscopo renunciaretur. Renunciatus econtra triduo post ab uno Episcopo Kioviense, qui præterquam, quod in Episcoporum ordine postremum locum obtinet, ne consecratus quidem adhuc est, & non multo pluribus quinque Senatoribus, ex nobilitate autem solis sexaginta partim familiaribus, partim consanguineis horum assentientibus, cæteris vero omnibus reclamantibus, præterea autem exulibus & proscriptis, contra leges Regni, omniumque gentium jus adhibitis, Ser. Archidux Maximilianus Sacræ Cæs. Maj. V. Frater fuit: si renunciare id Regem est, ac non potius privato consilio, ob privatas rationes, contra morem majorum, invitis omnibus, pauciſſimos Regem imponere velle. De qua quidem renunciatione, pluribus non agemus; cum partim ex aliis, partim ex ipsis notiorum hominum subscriptionibus, (de quorundam enim etiam infimorum hominum suffragiis conquisitis non dicimus;) facile cogni-

turam

turam S. C. M. V. Ordines sibi persuadeant, quomodo & a quam paucis hominibus administrata ea fuerit; ut, qui hoc jure Regnum adire velit, non jus aliquod suum tueri, sed causam armorum quærere velle videatur. Quibus de causis, etsi Serenitatem suam nihil temere facturam, aut aliquo progressuram, unde non sine gravi periculo recipere se posset, vel etiam Sacram Cæs. M. V. tale quicquam suscipi permissuram omnino Ordines statuant; cum tamen non modo hujus Regni, sed universæ fere Christianitatis periculum hac in re versari videant, non prætermittendum existimarunt, quin quamprimum nos etiam ad S. C. M. V. ea de re mitterent. Nemo illorum tam ab omni humanitatis sensu remotus est; ut non, quis sensus fraternus sit, quid non modo fratri, verum universæ augustissimæ domui suæ Sacra Cæs. Maj. V. debeat, intelligat: verum iidem ea pietate ac prudentia S. C. M. V. esse sciunt, ut neque de potentia domus suæ periculo Christianitatis dimicari velit, neque si privatæ etiam utilitatis ratio ducenda sit, non utiliorem sibi, ditionibusque suis, amici, ac conjuncti Regis amicitiam esse posse perspiciat, quam Regnum primo incertum, deinde multis gravibusque difficultatibus implicatum; quod deinde non modo intestino bello petendum sit, sed gravioris etiam hostis in universam Christianitatem arma commovere possit. Quæ, cum omnia pro eximia prudentia sua rectius S. C. M. V. perspicere sciant, etsi pietas ejus rogare eos hujusmodi in re

non patiatur, communis tamen periculi avertendi causa, vel diligentissime etiam S. C. M. V. rogare non dubitant, ipsa etiam cum autoritate sua, tum omni ratione efficere, prohibereque velit, ne sine ulla causa, aut hujusmodi causa interposita, non modo hominibus liberis, Sac. Cæs. autem Maj. V. omnisque augustissimæ domus ejus observantissimis ulla vis fiat, verum etiam publica pace semel sublata, in gravius aliquod periculum universa Christianitas, in eaque cum hoc Regnum, tum non minus S. C. M. V. ditiones ipsius vocentur. Quod, cum omnino sibi de S. C. M. V. Ordines polliceantur, ut eadem de re scripto etiam responso nobis dato sententiam suam testari illis velit, quanto possumus studio, a S. C. M. V. petimus.

Quæ cum dixerint, responsum urgebunt, idque ut scriptum quamprimum secum deferant, operam dabunt.

III.

EORUNDEM ORDINUM AD PRINCIPES ELECTORES SINGULOS, UNO EXEMPLO EPISTOLA.

Ut pacem servari curet a Maximiliani assectis, hortantur.

ILlustrissime Princeps, Domine observandissime. Quomodo electio Regis nostri peracta a nobis fuerit; non dubitamus Illustrissimam Cels. V. ex legatis suis, quos ad eum conventum miserat, jam ante perspexisse: simul autem illud

lud cognoviſſe, cum Sereniſſimus Sigismundus Princeps & electus Rex Sveciæ, communibus omnium fere Senatorum, ac maximæ partis nobilitatis ſuffragiis, in noſtrum quoque Regem electus, atque ab Archiepiſcopo, ut Senatus principe, Rex renuntiatus eſſet, triduo poſt Sereniſſimum etiam Archiducem Maximilianum a quinque circiter Senatoribus, pauciſſimis autem ex nobilitate, iisque magna ex parte illorum familiaribus, cæteris omnibus invitis ac reclamantibus, Regem proclamatum fuiſſe. Quem etſi eo nomine pro prudentia ejus nihil magnopere vel juris ſibi vindicaturum, vel gravius etiam quid tentaturum nobis perſvadeamus; ut omnia tamen vereamur, cum familiarium ejus ſtudia faciunt, tum commune periculum Chriſtianitatis, quod ſine dubio univerſa Chriſtianitas ventur[illegible], nos ſollicitos habet. Non modo enim duo vicina eaque potentiſſima Chriſtianitatis Regna mutuo atque inteſtino bello implicarentur; verum ne Orientis etiam arma, quæ melioribus temporibus vix ſuſtinere Chriſtianitas potuerit, nunc alieniſſimo ejus tempore commoveantur, verendum videmus. Hiſce igitur rebus adducti, non committendum exiſtimavimus, quin ad Ill. etiam Celſ. V. ea de re ſcriberemus. Diligenter autem ab ea quoque petimus; ut pro eo loco, quem in imperio hoc, & quaſi ſtatione orbis Chriſtiani tenet, ipſa etiam autoritate ſua efficiat, prohibeatque, ne quid a quoquam ſuſcipiatur, quo non modo pax cum vicinis a multis

ſeculis culta violetur, verum ſalus etiam publica in diſcrimen aliquod adducatur. Id etſi cum univerſæ Chriſtianitatis commodo maxime conjunctum erit; non minus tamen nos etiam plurimum ſemper eo nomine debere nos Illuſtriſſimæ Celſ. V. ſtatuemus, cui omnia fauſta ac felicia a Deo Opt. Max. precamur. Ad Varſaviam 26 Auguſti, A. Dni. 1587.

IV.

JOANNIS ZAMOYSKI, R. P. CANCELL. ET EXERCITT. PRÆFECTI, AD SER. REGEM ELECTUM SIGISMUNDUM III EPISTOLA.

Cracoviam atque adeo univerſam Poloniam in ejus fide eſſe nuntiat, tum de favore populi & Senatu certiorem facit, & caſtigata quodammodo Regis inertia, ut tandem adventum maturet, excitat & hortatur.

SEreniſſime Rex, Domine clementiſſime. Quanto omnium fere Ordinum atque provinciarum conſenſu, delatum M. V. Regnum ſit, cum ex legatis, qui publice ad M. V. miſſi ſunt, tum ex meis atque aliorum litteris, jam ante M. V. cognoviſſe non dubito: quo in ſtatu nunc res ſint, hiſce litteris ſignificandum M. V. exiſtimavi. Quemadmodum igitur prioribus litteris meis M. V. oſtendi, poſt electionem peractam, nihil prius potiusque habui, quam ut Varſavia Cracoviam recta cum iis copiis, quas tum mecum habebam, contenderem, non modo quo Cra-

Cracoviam ipſam, ut quæ & domicilium ac ſedes Regni eſſet, & in qua cum Reges ipſi more, inſtitutoque majorum inſignia Regni accipere ſoleant, tum inſignia ipſa ea depoſita eſſent, in poteſtate haberem; verum etiam, ut ſi qua ab adverſa parte in finibus vis fieret, quam maxime propinquo e loco opem Reip. ferre poſſem. In itinere cum ex ſermonibus hominum, qui omnium ordinum me convenerunt, tum litteris atque fama ipſa, ſummam omnium in M. V. voluntatem atque ſtudium perſpexi; ita, ut non minorem abſentium in probanda M. V. creatione conſenſum, quam eorum, qui ipſi creationi præſentes præfuiſſent, in imperio M. V. deferendo promptitudinem fuiſſe perſpiciam. Idem non minus Cracoviæ deinde animadvertere potui: ita enim omnes animatos reperi, ut nihil in ea civitate M. V. nomine auguſtius, ipſaque M. V. exſpectatius ſit. Præter enim Palatinum, Reip. ac M. V. ſtudioſiſſimum, tum præfectum, in cujus cuſtodia atque cura arx atque præſidium eſt, & cum quo, cum arctiſſima neceſſitudine conjunctus mihi ſit, hoc tamen quaſi ſanctius quoddam neceſſitudinis vinculum mihi intercedit, quod pari in M. V. fide atque obſervantia ſit; cum cleri etiam, cujus ſumma in ea civitate autoritas eſt, tum Academiæ, & Magiſtratus, atque populi univerſi ea in M. V. obſervantia eſt, ut nulla major eſſe poſſit. Jam vero, non ſolum ſua ſponte in M. V. propenſa ea civitas eſt, verum a nobis etiam M. V. addictiſſimis tenetur. Eodem autem

modo in finibus etiam cura adhibetur; ut neque repentini periculi facile aliquid exiſtere, &, ſi quid exiſtat, non difficulter propulſari id poſſit. Quæ, cum omnia tanta ſint, quanta M. V. ea eſſe facile æſtimare poteſt, non debeo equidem vereri, ut propter nominationem forte Sereniſſimi Archiducis Maximiliani, ab aliis quibusdam paucis privato conſilio poſtea interpoſitam, ab adeundo Regno vel abſterreri ſe M. V. vel in eo inſtituto ſuo dubitationis aliquid objici ſibi patiatur. Primum enim, quantum inter utriusque electionis jus interſit, facile pro prudentia ſua M. V. perſpicere non dubito, quod cum omne in conſenſu Senatus atque nobilitatis poſitum ſit, non video, quid quisquam juris vindicare ſibi poſſit, cui, contra conſenſum potius omnium, a paucis quibusdam, nomen Regium impoſitum ſit. Ita enim Serenitas ſua electa eſt, ut, cum a non multo pluribus quam quinque, aut ad ſummum ſeptem Senatoribus nominata eſſet, vix ſexaginta homines, eorundem partim conſanguinei, partim familiares, conſenſum in nominationem eam præſtarent; cæteri omnes, etiam ex iis, qui aliorum conſiliorum illorum ſocii ac participes fuerant, publice ei contradicerent. Itaque in tam amplo Regno, quod numero ac multitudine nobilitatis nullo alio Chriſtianitatis Regno inferius eſt, vix ſexaginta hominum ſolorum Rex Serenitas ſua facta videri poſſit. Cum e contra Maj. V. primum maxima parte Senatus aſſentiente, flagitante autem reliqua nobilitate omni, provinciis

Digitized by Google

vinciis præterea, ac civitatibus adjunctis, ab Archiepiſcopo, principe Senatus, more inſtitutoque majorum, renunciata ſit. Quodſi forte a nonnullis inducta, a jure nihilominus Serenitas ſua diſcedere, aut ex ea nominatione juris aliquid uſurpare vellet, cum omnia tamen M. V. habeat, Serenitatem ſuam omnibus rebus deſtitui video. Primum ſtudiis hominum, quæ non modo in M. V. propenſa, verum a Serenitate ſua averſa etiam atque alienata ſunt: firmitudine deinde partium, ut quæ a multitudine ipſa deſerantur: ad extremum etiam autoritate; cum omnes fere Senatores, omnes Magiſtratus, ad M. V. autoritatem ſe adjunxerint; ab illa parte, unus Epiſcopus ſolus, non modo inter Epiſcopos loco infimus, ſed idem non pleni etiam juris: præter eum autem, ut nihil de aliis gravius dicam, quod negari tamen non poteſt, primum paucisſimi, deinde exules etiam atque proſcripti ſint. Accedit huc, ut omnia præterea præſidia, omnes civitates, portus, provinciæ totæ in M. V. poteſtate ſint: in Majeſtatis enim V. poteſtate eas eſſe ſtatuo, cum in eorum poteſtate ſunt, qui M. V. fidem ſuam addixerunt; illi e contra nullam urbem, nedum provinciam ullam totam, aut præſidium ſuæ poteſtatis habeant, ita, ut M. V. omnia pateant, Serenitas ſua nec ubi pedem in Regno ponere poſſit, habeat; ſatisque proviſum ſit, ne, ut maxime vi id occupare conaretur, ſine maximo tamen molimento atque periculo, multo tempore conari id poſſet. Habet igitur M. V. primum

mum animos atque voluntates hominum, quæ non modo ſtudio M. V. ſed etiam odio aliorum incenſæ ſunt. Quid enim indignius videri hominibus poſſit, quam eum, qui in alio aliquo hæreditario Regno proximus ſucceſſor futurus fuiſſet, ſuperiorumque Regum optime de Regno univerſo meritorum memoriam proxima cognatione referat; cum in libero hoc Regno, in quo non ſucceſſione, ſed ſuffragiis Reges fiunt, omnium fere conſenſu electus eſſet, ab extraneo, paucorum quorundam conſpiratione, contra omnium conſenſum, Regno privari? Habet deinde Senatum, ac Magiſtratus, præſidia omnia, civitates, ac provincias totas, ad extremum coronam atque inſignia ipſa Regni. Quæ cum per ſe firmiſſima ſint, multo tamen eadem firmiora erunt, ſi quamprimum M. V. venerit; maxime autem, cum ad diem quintam menſ. Octobris, novus conventus nobilitatis Viſiciam inductus ſit, ſi ante eum conventum M. V. in Regno fuerit. Si quid forte difficultatis in nonnullorum animis adhuc reſideat, minime dubitandum eſt, quin quamprimum in Regno M. V. eſſe, auditum fuerit, ſola fama adventus ſui omne id explicatura ac ſublatura penitus ſit. In id igitur unum omni ſtudio incumbendum M. V. eſt, ut cum ad ſummam adeundi Regni facilitatem nihil omnino illi deſit, ne ipſa ſibi defuiſſe videatur: eamque opinionem ad poſteros de ſe tranſmittat, tam nobile Regnum, quod præſertim majorum ipſius fuerit, ſummo omnium ordinum conſenſu

ſibi

sibi delatum, M. V. vel metu reliquisse, vel inertia perdidisse. Quæ opinio, cum semper M. V. vitanda esset, tum nunc multo magis, quod post Divum Stephanum Regem electa est, qui, cum neque Regio genere natus esset, neque eas opes haberet, quas M. V. habet, ita autem in Regem electus esset, ut primum omnem fere Senatum, deinde provincias, ac civitates aliquas, ad extremum autem potentissimum adversarium honori suo adversum haberet, jure tamen liberorum suffragiorum nobilitatis fretus, ea animi magnitudine fuit, ut neque minis ab adeundo Regno se absterreri, neque ullis difficultatibus impediri, neque quamvis ingentibus promissis tardari se passus fuerit. Quod ut apud omnes summæ laudi illi fuit, ac perpetuo erit, ita, nisi in multo majoribus opibus, maximo autem omnium consensu, ac summa apprehendendi Regni facultate, eandem constantiam M. V. præstiterit, ne parum id ad posteritatem etiam honorificum illi sit, etiam atque etiam videndum illi est. Verum pluribus hortari eam non debeo, ne vel de constantia ejus, vel de animi magnitudine dubitare videar. Itaque unum hoc solum adjiciam, quod delatum Majestati Vestræ Regnum sit, multi fortunæ tribuere poterunt: quod id retinuerit, nemo nisi virtuti: retinendi autem ejus, non solum una, verum facillima etiam ratio est, si quam primum M. V. venerit, omniaque in celeritate posita habuerit. Hac & suorum animos, quorum maxima multitudo est, confirmabit, & dubios

bios facillime adjunget: & adverſariorum cogitationes atque conſilia, jam ante infirmiſſima, maxime debilitabit. Hac una enim fere ſola ſpe, cum ſe adhuc ſuſtentant, tum aliorum animos tentant, quod M. V. adventum in dubium apud aliquos vocent: quæ dubitatio, cum ſublata fuerit, nihil omnino, in quo vel ſpei aliquid amplius ponant, vel quod moliantur, illis relinquetur. Quod reliquum eſt, ut M. V. quamprimum ſalvam atque florentem videam, ex animo a Deo precor. Cracovia die X Septembris Anno Dni. MDLXXXVII.

V.

ANDREÆ COMITIS IN TENCZYN, PALATINI CRACOV. ZATOR. ET RUBIESSOVIENSIS CAPITANEI, JOANNIS ZAMOTSKI, REGNI POLONIÆ CANCELL. ET EXERCITT. PRÆFECTI, NICOLAI ZEBRZYDOWSKI, GENERALIS CRACOV. ET BOLESLAVIENSIS CAPIT. AD EPISCOPUM URATISLAVIENSEM EPISTOLA.

Significant pro vicinitate mutua, quæ Polonis cum Bohemiæ Regno intercedat, ſi quid violenti a Maximiliano tentetur ſe ſimili ratione in ipſius fines progreſſuros.

REverendiſſime Domine, amice obſervandiſſime. Cracoviæ ita ſumus, nos quidem, Palatinus,

latinus, & Capitaneus Cracovienſes, tanquam Ordinarii Magiſtratus loci hujus: ego autem Cancellarius & generalis exercitum Regni præfectus, ut cui non modo pro præfectura ea Regni copiarum, finium cura incumbat, verum cui peculiariter etiam publica autoritate ab ordinibus mandatum ſit, ut finium ab hac parte curam haberem. Quam cur diligentiorem, hoc potiſſimum tempore, ſuſcipiendam ordines putarint, pluribus ſignificare neceſſe non arbitramur, cum jam ante Reverendiſſ. D. V. notum ſit, qua ratione Serenisſimo Sveciæ Principe Sigismundo jam a Senatu atque nobilitate electo, pauci quidam Serenisſimum etiam Archiducem Maximilianum contra omnium conſenſum triduo poſt, & intempeſta jam nocte, renunciarint. Etſi autem ex hujusmodi nominatione Serenitatem ſuam pro prudentia ſua nihil magnopere juris ſibi vindicaturam nobis perſvadeamus, majoremque cum æquitatis, tum conjuncti Principis amicitiæ, pactorumque, quæ privatim etiam cum Jagellonica familia Serenisſimæ familiæ Auſtriacæ intercedunt, publicæ denique pacis ac tranquillitatis, quam privatæ potentiæ ſuæ, ut maxime eam aſſequi poſſet, rationem habituram: incitari tamen atque accendi ab aliis Serenitatem ſuam audimus. Cujus rei fama adducti, non modo pro communi gentium jure, verum mutua etiam, quæ cum Regno Bohemiæ nobis intercedit, vicinitate, haſce ad Reverendisſim. D. V. litteras dandas putavimus, quibus neceſsitatem

nobis

nobis impositam ostenderemus, si quid ab ea parte violenti tentaretur, simili ratione in ipsorum fines progrediendi. Hostilitatis autem loco nobis erit, si versus fines Regni hujus vel Serenitatem suam, vel copias ejus movisse audierimus. Cæteroquin studia officiaque nostra, Reverendisim. D. V. commendamus. Cracoviæ die XXV Mensis Septembris Anno Domini MDLXXXVII.

VI.

JOANNIS ZAMOTSKI, R. P. CANCELLARII, ET EXERCITT. PRÆFECTI AD SERENISS. PRINCIPEM, ET DOMINUM, D. MAXIMILIANUM, ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, &c.

EPISTOLA.

Post conventum Visiciensem se plenius responsurum scribit, utique ad Ordinum voluntatem se componens, & ne interim longius progrediatur, monet.

SEreniſſime Princeps, Domine clementisime. Litteræ Serenitatis Vestræ, a propinquo meo, Generoso Domino Barsi, recte mihi redditæ fuerunt. Ex quibus, quod Serenitatis Vestræ erga me benignum atque propensum animum perspexi, gratisimum mihi fuit. Ea autem, quæ Varsaviæ in proximis comitiis gesta fuerunt, vellem aliter Serenitati Vestræ renunciata fuissent, quam renunciata illi esse, ex iisdem litteris ani-

animadvertere mihi visus sum. Ad me quidem quod attinet, nihil sane omnibus iis in rebus, vel privatim a me, vel proprii commodi causa factum fuit, aut adhuc fit: sed quemadmodum alias semper, ita in hac quoque electione, & consequentibus temporibus, si quid a me administratur, non modo autoritate, verum jussu etiam Ordinum Regni hujus administratur. Quæ res facit, ut ne nunc quidem de Republ. ad me Serenitati Vestræ scribenti, privatim mihi respondendum putem. Cum vero iisdem de rebus ad diem V proximi mensis Octobris universæ nobilitatis conventus sub Visticia futurus sit, ad litteras quidem ipsius plenius, re cum Senatoribus communicata, ex ejusdem conventus sententia respondebo. Ejusdem vero exitum ut Serenitas quoque Vestra exspectet, neque interim aliquo longius progrediatur; cum prudentia ejus dignissimum mihi fore videtur, tum id ut faciat, multis de causis monere etiam atque hortari eam non dubito. Datum Cracoviæ die XXIIX mensis Septembr. Anno Domini MDLXXXVII.

VII.

AD EUNDEM SERENISS. ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, ORDINUM REGNI EPISTOLA.

De electione Regis Sigismundi ejusque adventu nuntiant, & ut veteris amicitiæ leges servet, suisque legatis fidem habeat Maximilianus, hortantur.

SEreniſſime Princeps, Domine obſervandiſſime. Sereniſſimum Sueciæ Principem, Sigismundum, etſi unanimi omnium noſtrum conſenſu Regem a nobis electum jam ante etiam Ser. V. cognoverit: cum tamen deinceps per ſuos quique Palatinatus ita etiam conveniſſemus, ut in eandem electionem denuo conſenſum ſumma omnium voluntate præſtaremus; non modo idem iterum S.V. nunciandum, verum in Regnum etiam eum jam veniſſe, atque per Pruſſiam adventare ſignificandum putavimus. De Serenitatis Veſtræ nominatione, ab aliis quibusdam deinde interpoſita, pluribus quidem nunc cum Serenitate Veſtra diſputare nolumus: ipſam enim pro prudentia ſua, cum a quot, & a quibus, tum quomodo nominata ſit, æſtimaturam nobis perſvademus: eo magis autem mirum nobis viſum eſt, eo S. V. a pauciſſimis quibusdam impelli ſe paſſam eſſe, ut vi etiam Regnum ingredi conata ſit. Nos quidem pro priſtina amicitia, quæ inter nos & vicinos Sereniſſimæ domus Auſtriacæ populos a multis ſeculis jam interceſſit, adhuc hortari S.V. non dubitamus, ut potius eam amicitiam, quam S. V. majores cum Regis noſtri majoribus Jagellonibus ſemper coluerunt, ipſa quoque colere malit; quam ut Regnum alienum contra omnium fere eorum, qui conferre id debeant, voluntatem, certo periculo, incerto autem eventu adjungere conetur, perſvaderi ſibi patiatur. Quod cum prudentia ejus atque juſtitia digniſſimum erit, tum ut nobis perſvademus, non

modo

modo Sereniſſimæ domus Auſtriacæ ditionibus, verum univerſæ Reipubl. Chriſtianæ utiliſſimum. Quid enim jure gentium ipſo, ſi S. V. ulterius progrediatur, ſuſcipiendum nobis ſit, S. V. videt; majorum nimirum noſtrorum exemplo atque inſtituto, non modo de propulſandis injuriis, verum iisdem referendis cogitandum nobis eſſe. Pluribus cum S. V. legati noſtri Magnifici & Generoſi Joannes Tarlo de Sczekarzovice, Palatinus Lublinenſis, Stanislaus Bykovvski, Caſtellanus Konarienſis, Georgius Radoſſovvski, Succamerarius Velunenſis, Stanislaus Rozen de Roznóvv, Adamus Gorayski de Goray agent: quibus ut plenam fidem S. V. adhibeat, rogamus. Quod reliquum eſt, ſtudia, ac paratiſſimam voluntatem noſtram S. V. deferimus. Sub Viſiſcia, in conventu generali, die IIX menſis Octobris, Anno Dni. MDLXXXVII.

IIX.

SERENISSIMI PRINCIPIS ET DNI. D. ARCHIDUCIS MAXIMILIANI RESPONSUM, MAGN. DNO. JOANNI TARLO, PALATINO LUBLINENSI, DATUM.

Cauſam affert, quare reſponſum in aliquot dies differat, interim Palatinum Lublinenſem, ut valetudinem curet, in urbem dimittit, & ſimul operam dare cupit, ne Poloni in ſua viſcera ſæviant, aut litteras ac nuntios ſuos intercipiant.

SErenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Maximilianus Electus Poloniæ Rex, Magnus Dux Lithuaniæ, Archidux Austriæ, &c.

Quæ intervenerint atque impediverint, quo minus Sacra Regia Majestas, &c. Dominus Dominus noster clementissimus, Dominos oratores eorum, qui electioni suæ legitime factæ adversantur, audiverit, ac deinde auditos expedierit, Magnificus Dominus Palatinus Lublinensis ex consiliariis ejus Majestatis intelligere potuit. Nunc vero etsi Majestas sua dat operam, ut audita eorum legatione, & probe intellecta, responsum eis dare velit: tamen cum tota hæc res ejus momenti sit, certis de causis, ut longiorem deliberationem cum Senatoribus & aliis nobilibus Polonis & Lithuanis, qui penes ejus Majestatem sunt, desiderare videatur, quæ tamen non est diuturna futura, Regia Majestas hoc responsum & dictorum D. Oratorum expeditionem in aliquot dies reservat, benigne postulans, ut non longi temporis morulam æquo animo ferre velint.

Quum autem acceperit dictum M. D. Palatinum Lublinensem & ætate senili, & morbo infestari, quam etiam hæc tempestas & diversoriorum incommoda augere possunt, quod quidem omnibus cum D. Palatino commune hoc tempore est; pro sua innata benignitate permisit, ut dictus D. Palatinus cum filiolo suo in urbem ad suos redeat, ut valetudinem suam rectius curare possit, quam ei ex animi sententia succedere Majestas sua optat. Postulat autem Majestas sua perbeni-

benigne, ut dictus D. Palatinus, quum ad ſuos reverſus fuerit, pro ſuo in charisſimam ſuam patriam amore, & Chriſtiana pietate, ac tranquillitatis publicæ ſtudio, diligentem operam dare velit, ne ii, qui ſuæ Majeſtatis electioni adverſantur, tam immane ac hoſtiliter in miſeros Regnicolas ſæviant, neve villas, prædia, atque ædificia, incendiis ac direptionibus vaſtent, ſed Chriſtianos ſe eſſe meminerint. Majeſtas certe ſua, cui publica pax, & ſalus hujus Reipubl. antiquisſima eſt, nunquam permiſſura eſt, ut a ſuis hominibus talia publice aut privatim damna inferantur.

Deinde etiam D. Palatinus id efficiat, ne internuntii & litteræ, atque homines ſuæ Majeſtatis intercipiantur, ac duriter poſthac tractentur, ut hactenus ſæpe factum eſt, & in dies fieri ſolet; ne & ſua Majeſtas tandem par pari referre cogatur, quod tamen, quæ ejus pietas eſt, libenter vitaret. Atque tales quidem interceptiones, non levem cauſam præbuerunt ejus Majeſtati, hos quoque Oratores diutius detinendi. Quodſi autem ocyus Majeſtatis ejus internuntii reſtituentur, cauſa Majeſtati quoque ſuæ adferetur, ut eo citius hi Domini oratores cum ſuo reſponſo dimittantur. Hæc ſunt, quæ breviter Domino Palatino reſpondenda videntur: reliqua collegis ejus ſuo tempore ſignificabuntur. Cæterum ſua Majeſtas D. Palatino benevolentiam & gratiam ſuam ad gratificandum promptam benigne ac prolixe defert. Ex prædio Rakovvicza 17 die Octobris, Anno Dni. 1587.

IX.

AD SUPERIUS SCRIPTUM ORDINUM REGNI RESPONSUM.

De detentis legatis, & positis prope Cracoviam castris, hostilique adeo conatu graviter conquerun-tur, causamque excussorum nuntiorum nulla auctoritate accedentium afferunt, & ne vim libertati suæ inferat, etiam atque etiam hortantur.

SErenissime Princeps, scriptum Magnifico Domino Palatino Lublinensi, legato nostro, sub nomine & signo Serenitatis Vestræ traditum, ab ipso Domino Palatino publice nobis propositum vidimus. In quo id primum alienum nobis visum est, quod causa interposita ulterioris deliberationis, cum ipsum Dominum Palatinum cum collegis suis diutius hactenus a se tretentum, tum reliquos legatos adhuc retineri ostendat. Ea enim num satis justa causa sit, in tantis cum aeris, tum aliis incommodis, quæ ab hominibus ea & ætate, & dignitate perferenda eo loco fuerunt: deinde vero, quod maximum est, contra voluntatem eorum legatos retinendi, Serenitatem Vestram ipsam æstimare, quam nos ipsos definire malumus. Non fugere enim Serenitatem Vestram potest, id apud omnes gentes jus legatorum esse, ut non modo ipsi nulla re violari, sed ne libertas quidem eorum imminui debeat, sique ita illis videatur, ut etiam sine responso ad suos se recipere velint, cum aliis commerciis omni-

mnibus ſublatis, cum legatis tamen liberum commercium relinquatur, eadem libertate, qua venerint, etiam in bello, & ab hoſtibus, quominus id ſuo commodo facere poſſint, ſine publici juris imminutione, impediri non poſſint. Accedit huc, ut, etſi maxime diem ad deliberandum ſumendam ſibi S. V. exiſtimaſſet; tamen vel eos ipſos legatos ad diem ad ſe redire jubere potuiſſet, vel per ſuos deinde legatos reſponſum nobis dare. Quos certe quotiescunque Serenitas Veſtra ad nos mittendos exiſtimarit, non modo nulla illis injuria a nobis inferetur, verum nullum etiam humanitatis officium, quod jure publico legatis præſtari debeat, deerit quo minus certe ſuo commodo, atque arbitratu, cum ad nos venire, tum ad S. V. tuto atque ſecure recipere ſe poſſint, per nos nihil fiet. Verum S. V. ipſam facile intelligere exiſtimamus, qui deliberat aliqua de re, illum omnia integra ſibi ſervare, quod totum ſecus a S. V. fit. Cum enim hæc ſumma legationis illorum fuerit, ne contra ordinum omnium voluntatem fines Regni S. V. ingrederetur, non modo armata fines jam ingreſſa S. V. eſt, verum tot jam dies in conſpectu noſtro, atque urbis hujus hoſtilem in modum caſtra poſuit. Qua de re, cum eo ipſo ſcripto S. V. cauſam ejus nobis præbeat, locus nobis videtur cum S. V. querendi. Neque tamen de jure nominationis ipſius pluribus jam agemus, quod & ante aliquoties publice jam id fecimus, & deinceps fortaſſis etiam pluribus faciemus.

Hoc ſolum, quod S. V. ipſam minime præterit, nunc dicemus: nulli dubium eſſe, quin, cum omne Regni jus, in eorum, qui Regnum conferant, conſenſu atque voluntate poſitum ſit, eum, qui non modo maximæ partis, verum omnium fere conſenſu deſtituatur, nihil juris uſurpare ſibi poſſe. A qua parte conſenſus Ordinum, atque omnis fere nobilitatis Regni hujus ſtet, etſi Serenitas Veſtra vel ex eorum ipſorum, qui Serenitatem Veſtram nominarint, qui iidem & legatos ſe crearint, & legati ad Regnum accipiendum eam invitarint, qui ad fines gratulandi cauſa obviam illi proceſſerint, omnium denique qui circa eam ſunt, cum paucitate, tum genere ipſo hominum æſtimare poſſit, tamen ſatis etiam in omnibus fere conventibus Palatinatuum nobilitatis, & proximo Viſicienſi declaratum eſt, tum nuperrime etiam internuntius S. V. Magnificus Felicianus, Baro ab Herberſtein, frequentiſſimo in conventu noſtro, ex omnium noſtrum ſtudiis ac voluntate perſpicere potuit. De ea igitur re, cum minime dubium S. V. eſſe potuerit, tamen ne id quidem fecit, quod etiam dubia in re homines non inconſiderati facere ſolent, ut totam cauſam integram ſibi ſervaret, ac non modo fines ipſos, contra antiquiſſima fœdera, quæ cum Sereniſſima domo Auſtriaca Regno huic intercedunt, invitis nobis armata ingreſſa eſt, verum, qua iter fecit, jurejurando, etiam per vim, homines ſibi obſtrinxit, quod ne ab iis quidem, qui omnium conſenſu legitime electi ſunt,

ante-

antequam insignia Regni acceperint, more majorum fieri solet: arma denique, atque castra, in conspectum nostrum protulit. Hæc omnia, non tam Serenitatis Vestræ consilio, de cujus prudentia atque virtute optime sentimus, quam aliorum instinctu fieri facile intelligimus. Est tamen nonnulla ejus rei causa penes Serenitatem, etiam Vestram, quod aliorum pernicioſis consiliis obsequatur. Verum ut ad legatos, de quibus maxime hoc tempore agendum nobis intelligimus, redeamus, deliberationem Serenitatis Vestræ minime satis justam causam, contra voluntatem eorum, legatos retinendi esse, Serenitatem Vestram ipsam satis perspicere nobis persvademus. Quam autem præterea etiam ejus rei causam significat, quod in eodem genere nonnulli a nobis etiam Serenitatis Vestræ internuntii atque litteræ interceptæ sint; eam nullam a nobis præbitam esse, nos ipsi optimi testes nobis esse possumus. Ad exploratores enim & litteras quod attinet, cum hujusmodi tempore omnia, quæ ad Rempubl. pertineant, providenda nobis sint, eorum nonnullos a nobis excussos esse, & adhuc observari, non possumus diffiteri. Verum præterquam quod id publico gentium jure a nobis institutum sit, quo periculosis Reipubl. temporibus omnes operam pro se dant, ut & adversariorum consilia contra Rempubl. cognoscant, & ne sua ab illis cognita detrimenti aliquid Reipubl. afferre possint, vel ipsius etiam adversæ partis exemplo a nobis fit, quæ non modo privatorum tabel-

larios, atque litteras, quotiescunque ejus rei facultas data illi fuit, sed ipsius Regis nostri electi, Sereniſſimi Sigismundi III, detinere atque excutere non dubitarit. Qui autem jure legatorum ad nos, vel quempiam nostrum, a S. V. missus fuerit: qui scilicet vel transitum petierit, vel litteras, quibus mandata a S. V. se habere ostenderet, protulerit, publice denique pro internuntio ejus se gesserit, eorum nullum a nobis aliter tractatum, quam jus legationis postulet, constanter confirmare possumus. Quod vel in proximo internuntio ejus, Domino Herbersteinio, satis apparuit. Qui cum jam humaniſſime dimissus esset, incidissemus autem sub idem tempus in litteras quorundam, quibus autores Serenitati Vestræ erant, ut nostros legatos apud se retineret, per unum quidem atque alterum diem, verum sine ulla injuria retentus a nobis fuit. Etsi autem id legatis nostris jam eveniſſe, quod evenit, cum ex re ipsa, tum vel ex litteris legatorum nostrorum, pro certo jam haberemus; freti tamen fide atque constantia ipsius, sola sponsione ab eo accepta, qua vel ut legati dimitterentur, se effecturum, vel iterum apud nos sese staturum promitteret, sine ulla injuria atque molestia illum dimisimus. Itaque non modo nunc, quod S. V. significare videtur, quantum nos sciamus, nullus internuntius ipsius a nobis detinetur: verum ante etiam nullus ulla unquam injuria violatus a nobis fuit. Quare primum, ne contra omnium populorum morem atque instituta, diuti-

diutius legatos noſtros S. V. retineat, iterum quam diligentisſime a S. V. petere non dubitamus, neque id noſtra magis, vel ipſorum legatorum, quam S. V. ipſius dignitatis cauſa. Eo loco S. V. nata eſt, ut nihil tam auguſta familia indignum ſua ſponte admiſſuram eam ſtatuamus: verum tamen, ut de exiſtimatione atque dignitate ſua, ſuo potius quam alieno judicio utatur, rogamus. Deinde etſi tot rebus jam, quot S. V. intelligit, priſtina amicitia, quæ inter nos ac vicinos Sereniſſimæ domus Auſtriacæ populos a multis annis fuit, læſa ſit; pro eadem tamen amicitia, ut, quod aliorum, ut nos arbitramur, inſtinctu commiſſum hactenus eſt, corrigere S. V. quam exulcerare malit, eam hortamur. Id ita faciet, ſi quamprimum extra fines Regni hujus ſe receperit. Nam ut ad id, quod reliquum in ſcripto eo eſt, quo poſtulat S. V. ne villas atque ædificia incendiis, ac direptionibus deinceps vaſtemus, nunc reſpondeamus; facile S. V. ſtatuere ſecum poteſt, non tam inimico in noſtros, nosque ipſos, animo nos eſſe, ut quaſi ipſi manum nobis inferre, ac noſtra ſponte ſævire in nos velimus; eosdem tamen nos ita etiam ſtatuere exiſtimabit, ut omnia damna, præ ſervitute, levia ducamus. Itaque detrimentorum quidem eorum omnium, non nos quidem, ſed ii, qui defendendæ libertatis noſtræ neceſſitatem nobis afferunt, cauſam ſuſtinebunt: nos tamen ita animatos S. V. omnino ſibi perſuadebit, ut non modo poſſeſſiones, fortunasque omnes noſtras, ſed vitam ipſam pro liberta-

bertate, ac fide ea, quam ſemel Sereniſſimo Regi electo noſtro addiximus, in diſcrimen adducere non dubitaturi ſimus. Quo magis, ut non modo, quid Regno huic, verum ſibi ipſi etiam, tum vicinis Sereniſſimæ domus Auſtriacæ ditionibus, ad extremum univerſæ Reipubl. Chriſtianæ expediat, diligentius ſecum cogitet, iterum atque iterum eam hortamur. Cæteroquin obſervantiam ac ſtudium, ut erga univerſam Sereniſſimam domum Auſtriacam, ita S. V. omnibus rebus illi demonſtrare parati; cui proſperam valetudinem a Deo Opt. Max. precamur.

Majoris fidei cauſa, nos infra ſcripti deputati ex eorundem ordinum autoritate ſubſcripſimus, ſignaque noſtra appoſuimus. Datum Cracoviæ, die XX menſis Octobr. Anno Domini MDLXXXVII.

X.

SERENISSIMI ARCHIDUCIS MAXIMILIANI AD CAPITULUM CRACOVIENSE EPISTOLA.

Ut legitimæ ſuæ electioni adhæreat, & villarum incendiariis obviam eat, hortatur, privilegiorum confirmatione promiſſa.

MAximilianus Dei gratia, electus Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Archidux Auſtriæ, &c. Reverendiſſime, Reverendi, Venerabiles, ſincere nobis dilecti. Quam obſervantiam Regibus Poloniæ omni tempore venerabile Capitulum

lum declaraverit, cum non ignoremus; idem erga nos quoque ſtudium Devot. Veſtrarum plane promittimus. Quæ cauſa eſt, ut benigne eis ſignificare voluerimus, nos Oratorum a Regni iſtius, ac Magni Ducatus Lithuaniæ ſtatibus, & ordinibus, ad nos ex Comitiis Varſavienſibus, in quibus legitime electi fuimus, magnis precibus adductos, juramento præſtito, conditionibus nobis ad utilitatem, & ornamenta Reipubl. pertinentibus, ſine ulla reluctatione, benigne acceptis ac promiſſis, in Regnum hoc progreſſos eſſe. Quomodo autem a quibusdam accepti fuerimus, qui hoſtiliter miſeros incolas, villas, ædificia, direptionibus, incendiisque ſine cauſa vaſtarunt, Dev. V. ipſæ prope oculis inſpexerunt. Nos certe, quibus nihil niſi pax publica, & quæ ex pace fluunt bona cordi ſunt, non ſine magno dolore vidimus. Horum conatibus ut Dev. Veſtræ pro ſua pietate & in religionem & patriam ſtudio, omnibus rationibus, quibus poſſunt, obviam ire velint, benigne hortamur & requirimus. Nihil autem dubitamus, hæc Dev. V. quoque conſilia iplorum tam violenta, & a publico bono magnopere abhorrentia, diſplicere. Quare iterum Dev. V. benigne monemus, & poſtulamus, ut legitimæ noſtræ electioni aſſentiant, eamque pro ſua autoritate promoveant. Quod ſi ut ſperamus, factum fuerit; benigne Dev. V. promittimus, nos non ſolum privilegia veſtra, quæ a Divis prædeceſſoribus noſtris accepiſtis, confirmaturos, ſed plura inſuper adjecturos, quæ & emolumenti, & dignitatis

tatis plurimum Venerabili iſti Capitulo afferent. In privatas quoque perſonas veſtras, tantum gratiæ & benignitatis conferemus, quantum merita earundem a nobis poſtulaverint. Dev. V. bene valere optamus. Datæ ex prædio noſtro Rakovvicza decima ſeptima die Octobris, Anno Domini Octuageſimo ſeptimo.

XI.

EPISTOLA CAPITULI CRACOVIENSIS PER REVEREN. ET GENER. D. JOANNEM KRASSINSKI DE KRASSNE, CANTOREM CRACOVIENSEM, INTERNUNTIUM, MISSA, QUA PRÆCEDENTI EPISTOLÆ RESPONDETUR.

Significat ſe ſequi ſententias Epiſcoporum eoque Sigismundum Regem agnoſcere, Deum vero orare, ut pacem conſervet.

SEreniſſime Princeps, Domine, Domine Clementiſſime. Accepimus Serenitatis Veſtræ litteras, favoris & benevolentiæ erga capitulum hoc noſtrum plenas. Quo nomine Serenitati Veſtræ majores, quas poſſumus, agimus gratias: eamque S. V. erga nos clementiæ teſtificationem amplectimur. Quod vero negotium electionis attinet, cujus S. V. in eisdem litteris ſuis facit mentionem, nos ſane ea in re jam inde ab initio Rever. Dominorum Epiſcoporum noſtrorum ſententiam ſecuti ſumus, una cum quibus Ser. Sigis-

Sigismundo, Sveciæ Principi, fidem noſtram obſtrinximus: a qua ſemel data, quam nobis ſalvo honore, & conſcientiis noſtris non liceat diſcedere ipſa S. V. pro ea, qua pollet prudentia, facile judicare poterit. Dolenter ſane præſentem Chriſtiani orbis tempeſtatem ferimus, eamque quod nunc facimus, profuſis ad aras lachrymis, ſedare etiam atque etiam in poſterum quoque curabimus, certoque nobis pollicemur, Deum Opt. Max. piorum precibus aliquando placatum, priſtinam pacem, & tranquillitatem Regno huic redditurum. De Serenitate autem Veſtra, quam ſingulari erga Deum religione, & pietate eximia, præditam novimus, non dubitamus eam ejusmodi conſilia amplexuram eſſe, quibus profuſio Chriſtiani ſanguinis vitari poſſit: quam mentem, ut Deus Opt. Max. in S. V. promoveat, ad omnia iſtius urbis templa devote ſupplicabimus. Sic nos una cum orationibus noſtris, in gratiam S. V. commendamus. Cracoviæ die XX Octobris, A. MDLXXXVII.

XII.

SERENISS. ARCHIDUCIS MAXIMILIANI, AD ACADEMIAM CRACOVIENSEM EPISTOLA.

Electionem ſuam & adventum in Regnum nuntiat, utque ſuam cauſam promoveant, hortatur, largiſſimis promiſſis privilegiis.

MAximilianus Dei gratia, electus Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Archidux Auſtriæ,

Digitized by Google

ſtriæ, &c. Magnifici, Reverendi, excellentes, nobiles, & clariſſimi viri, fideles nobis dilecti. Quod Academia veſtra, a primis initiis, ſingulari ornamento toti Poloniæ Regno fuerit, & ex gremio ſuo viros præſtantiſſimos, ad Eccleſiæ & Reipubl. functiones protulerit, cum non ignoremus, nos quoque erga eandem clementer affecti ſumus. Cum itaque in urbe iſta noſtra non poſtremum obtineatis locum, & de veſtro in nos, cauſamque noſtram, ſingulari & benevolo animo nihil dubitemus, ſignificandum vobis duximus, nos hiſce diebus, quod Deus Reipubl. fauſtum eſſe velit, ultra fines Regni hujus noſtri, ad cujus gubernacula legitime electi ſumus, proceſsiſſe: ut primo quoque tempore, de more majorum noſtrorum gubernacula capeſſamus, & diademate ſacro accepto Regno inauguremur. Quomodo autem heſterna die in ipſo ad urbem iſtam aditu, a quibusdam excepti fuerimus, qui privatis potius affectibus, quam publica utilitate ducuntur, vidiſtis. Quorum pernicioſa conſilia omnia, direptionibus & incendiis miſerandum in modum vaſtantium, vos approbare perſvadere nobis non poſſumus: contra vero confidimus, vos non alieno a nobis animo, legitimaque noſtra in Regem Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ electione eſſe: quippe quibus nihil aliud propoſitum ſit, quam pax, & dignitas, ac commoda, ſalusque nobiliſſimæ hujus Reipubl. ut ex juramento a nobis præſtito, & conditionibus acceptis ſatis aperte appatet; quæ omnia his adjuncta legere poteſtis. Quare benigne

nigne vos hortamur, ut publicæ incolumitatis ratione habita, legitimam noſtram cauſam, quantum in vobis eſt, promoveatis. Quod ſi, uti ſperamus, factum fuerit, immunitates, & privilegia veſtra, quæ a Divis prædeceſſoribus noſtris accepiſtis, non ſolum confirmabimus, ſed alia quoque inſuper, quæ rei litterariæ veſtræ uſui eſſe duxeritis, adjiciemus, & modis omnibus enitemur, ut vetuſtiſſima & nobiliſſima Academia veſtra, novo quodam ſplendore illuſtretur, & multas alias uti antiquitate, ita quoque dignitate excellat. Quicquid etiam privatim ſingulis gratiæ, & benignæ voluntatis declarare poterimus, ea in re nos vobis non defuturos eſſe certo polliceri poteſtis. Bene valere vos optamus. Datum ex prædio noſtro Rakovvicza, decima ſeptima die Octobris, Anno Domini octuageſimo ſeptimo.

XIII.

ACADEMIÆ CRACOVIENSIS AD PRÆCEDENTEM EPISTOLAM RESPONSUM, PER REV. DOM. NICOLAUM DOBROCIESKI I. V. D. PRÆPOSITUM S. AGNETIS, &c. INTERNUNTIUM, MISSUM.

Cauſas prælati Sigismundi Regis afferunt, Maximilianum nihilominus laudant, eique ſe ſtudioſe commendant.

SEreniſſime Archidux Maximiliane, Domine, Domine ac ſtudiorum fautor Clementiſſime,

Si nobis per fidem jam ante Sereniſſ. Sigismundo, Regi, Sveciæ Principi, datam, licitum eſſet: aut ſi membro uni a toto reliquo corpore diſcedere expediret: aut ſi vera eſſent, quæ apud S. V. de electione referuntur, nihil prius & antiquius haberemus, quam te, Principem omni ex parte præſtantiſſimum, litterarumque & litteratorum ſtudioſiſſimum, huic & cuiuis alteri celſiſſimo loco præfectum eſſe. Verum hæc omnia contra evenire plane videmus. Nam ad Varſaviam primum, ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quibus nos tanquam patribus, Sancta ſedes Apoſtolica, aut ſubjectos, aut adjunctos eſſe voluit, totoque Senatu; exceptis iis, prout ex receſſibus omnium conventuum percepimus, quos nunc ad latus ſuum S. V. habet, frequentiſſimo nobilitatis conventu, Sereniſſimus Sigismundus, Rex Poloniæ declaratus, ac renuntiatus eſt: & poſtea in Palatinatuum Regni, & Ducatuum ejus conventibus, tandem & ad Viſſiciam, univerſa Regni nobilitas, miſſis nuntiis, qui etiam in hanc urbem convenerunt omnes, eidem electo Regi voluntates ſuas adjunxit, & qui electioni ejus contradicerent, hoſtes patriæ declaravit. Quæ cum ita eſſent, nos, quibus pax & ſalus Reipubl. maxime cordi eſt, eidem electo, de cujus in Regnum adventu certos jam nuntios habemus, totiusque Reipubl. conſenſioni, animos, & ſtudia, fidemque noſtram obligavimus. Eſt tamen & illud noſtrum peculiare, quod Academia hæc noſtra, a D. Jagellonibus, Regibus Poloniæ, ex quorum ſangvi-

ſangvine Sereniſſimus Sigismundus electus maternum genus ducit, fundata, privilegiis, libertatibus, & beneficiis ornata, ac in eum, in quo nunc eſt, ſtatum adducta, hactenus etiam ab iisdem ornari non prætermittitur. Quare ignoſcat S. V. officio noſtro, patiaturque nos cum majoribus noſtris, Senatu, ac Ordinibus Regni, pro Jagellonio Rege, ſecundum fidem ſemel datam ſentire. Ser. V. optima omnia, & celſiſſimos in Republ. Chriſtiana honores a Deo precamur: cujus gratiæ nos ſtudioſe & obſervanter commendamus. Datum ex Academia Cracov. XXI Octob. MDLXXXVII.

XIV.

SERENISSIMI ARCHIDUCIS MAXIMILIANI, AD SENATUM CRACOVIENSEM EPISTOLA.

Hortatur ad fidem & obſequium ſibi præſtandum.

MAximilianus Dei gratia, electus Rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Archidux Auſtriæ, &c. Prudentes, ac circumſpecti, ſincere nobis dilecti. Cum non ignoretis, legitime nos in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ electos, ſignificamus vobis, nos diebus hiſce, ut divinæ vocationi, & oratorum, qui ab ordinibus & ſtatibus Regni Poloniæ & Magni Lithuaniæ Ducatus ad nos miſſi ex ipſis Varſavienſibus Comitiis fuerunt, magnis precibus morem gereremus, Regnum hoc ingreſſos, ut de more Divorum prædeceſſorum noſtrorum ſacro dia-

demate accepto, ad gubernacula accederemus. Cum vero quidam, nulla quidem justa causa, sed affectibus ducti, legitimæ nostræ electioni sese opponant, nosque paci præcipue publicæque tranquillitati studentes, modis omnibus oppugnent, hostilia in nos arma inferant, ac miseros incolas direptionibus affligant, villas ipsas circumjacentes, atque ædificia vestra miserabiliter, atque atrociter in cineres convertant; benigne vos hortamur, ut ab horum, vobis & Reipubl. perniciosis consiliis, vos sejungatis & patriæ vestræque saluti atque dignitati & emolumentis studentes, nos pro electo Rege vestro agnoscatis, atque in urbem recipiatis. Quod si factum fuerit, ne dubitetis, id ipsum in vestrum patriæque vestræ bonum multipliciter redundaturum esse. Intelligetis enim re ipsa, nos urbis vestræ & libertatum privilegiorumque omnium maximam rationem habituros esse. Incumbemus præterea in eam curam, ut omnia, quæ ad incrementum & ornamentum urbis vestræ a nobis præstari poterunt, benigne a nobis promoveantur. Privatim etiam vobis omnibus omnem gratiam & benignitatem exhibebimus. Quid autem spectemus, quid cum gratia Dei propositum nobis habuerimus, & semper habituri simus, quantopere dignitatem, & commoda, atque ornamenta omnia Reipubl. nobis cordi sint, ex juramento nostro, atque ex conditionibus a nobis sancte promissis, quæ his adjunximus, ulterius intelligere poteritis. Datæ ex prædio nostro Rakovvicza,

kovvicza, decima ſeptima die Octobris. Anno Domini 1587.

XV.

SENATUS CRACOVIENSIS AD PRÆCEDENTEM EPISTOLAM RESPONSUM, PER NOBILEM ET SPECTABILEM D. MARTINUM VALISSEVVSKI, URBANKOVVICZ DICTUM, EJUSDEM URBIS SENATOREM, INTERNUNTIUM, MISSUM.

A fide Sigismundo Regi data recedere ſe poſſe negant, de cætero nulla damna formidantes.

SEreniſſime Princeps, & Archidux Auſtriæ, Maximiliane, &c. &c. Domine Clementiſſime. Ea ſemper fuit majorum noſtrorum erga Rempubl. Regni hujus, Reges ac Principes ſuos, fides ac obſervantia, ut potius extrema omnia pati maluerint, quam aliquid contra fidem Regibus & Principibus ſuis debitam, præſumere & facere: vel eos, licet in ſummis ipſorum difficultatibus, deſerere. Quam fidem & integritatem, nobis a majoribus noſtris traditam, uti hactenus ſemper ſancte conſervavimus, ita etiam hoc, licet difficili tempore, nihil minus cogitamus, quam ab ea recedere, vel ipſam in minimo quopiam puncto violare. Cum itaque in comitiis electionis Regiæ, Varſaviæ proxime celebratis, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Sigismundus, Princeps Sveciæ, ab omnibus

bus ordinibus Regni hujus, libere, & legitime, in Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lithuaniæ, Ruſſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. &c. electus, & per Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Gneſnenſem, Primatem Regni, ibidem in loco publico, cum aſſenſu omnium ordinum, & nobilitatis Polonicæ, & Lithuanicæ nominatus, ac deinceps in conventibus particularibus terrarum Regni, tum etiam in conventu Regni generali ad Viſſiciam nuper tranſacto, confirmatus ſit; nos uti non poſtrema pars Reipubl. Regni hujus, qui cum equeſtri ordine uniti, & pari prærogativa ferendorum in conventibus Regni ſuffragiorum decorati ſumus, tam Varſaviæ ſuæ Majeſtatis electioni, per internuntios noſtros ſubſcripſerimus, quam deinceps iteratis vicibus, cum tota communitate civitatis hujus aſſenſerimus, neminem alium Regem & Dominum noſtrum agnoſcere, vel in urbem hanc recipere, ſalva fide noſtra poſſumus, nec debemus; præter eundem Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Sigismundum tertium, Dei gratia electum Regem Poloniæ, &c. Dominum noſtrum clementiſſimum. Cujus adventum, uti fauſtum ac felicem a Deo Opt. Max. precamur, & præſtolamur; ita etiam parati ſumus, pro ſuæ Regiæ Maj. dignitate, ac Regni, & Reipubl. hujus incolumitate, fortunarum omnium vitæque periculum, ſi neceſſitas expoſtulaverit, ſubire. Proinde Serenitas Veſtra nos excuſatos eſſe velit, quod eis, quæ a nobis requirit,

rit, assentiri nequeamus: hocque sibi certo persvasum habeat, uti omnes ordines Regni, ita & nos, non solum ob hæc damna & incommoda, quæ propter accessum Ser. V. ad urbem hanc passi sumus, & huc usque patimur, (quæ tamen nobis tanquam in thesauro Reipubl. Regni hujus recondita esse, ac per Serenissimum Regem nostrum, & omnes ordines Regni hujus, cum fœnore restitutura iri, nihil dubitamus) sed etiam propter extrema quæque, a fide & integritate, quam Serenissimo Regi electo debemus, non recessuros: quod etiam nos præstituros sancte pollicemur, atque profitemur. Deum vero Opt. Max. ardentibus votis precari non desistemus, ut ipse hæc omnia in melius convertere, atque Regno huic & toti Christianitati optatam pacem & tranquillitatem restituere dignetur. Hisce Serenitatem Vestram quam optime vivere, & valere cupimus. Datæ Cracoviæ, die vigesima Mensis Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

XVI.

SERENISS. PRINCIPIS, ET D. D. MAXIMILIANI, DEI GRATIA ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, AD ORDINES REGNI EPISTOLA.

Quæ de violata pace & detentis Legatis objecta fuerant, diluit, & quietem utilitatemque Reipubl. inprimis se spectare asserit, & ut suo Legato fides habeatur, postulat.

REverendisſimis, Illuſtribus, Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, ſincere nobis dilectis N. iis omnibus, qui ex ſtatibus & ordinibus inclyti noſtri Regni Poloniæ in urbe Cracovienſi congregati ſunt, Maximilianus, Dei gratia electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Archidux Auſtriæ, &c. Reverendisſimi, Illuſtres, Spectabiles, Magnifici, Generoſi, Nobiles ſincere nobis dilecti, ſalutem & benevolentiæ noſtræ affectum. Sicuti pridie D. Palatinam Lublinenſem cum reſponſo noſtro, ad veſtra poſtulata ſalvum ad vos remiſimus; ita etiam cum his noſtris reliqui ejus collegæ, viri ornatisſimi, ad vos venient. Ex quibus quidem, quo animo erga hoc inclytum Regnum affecti ſumus, intelligere poteritis. Cæterum quoniam nos nuper ex relatione oratoris noſtri Feliciani Baronis in Herberſtein percepimus, S. Veſtras in congregatione illa veſtra, ad quam per vos vocatus fuit, conqueſtos eſſe, quod nos contra compactata Regnorum Poloniæ & Bohemiæ, huc armata manu, ea intentione veniremus, ut Regnum violenter occupemus, ac libertates veſtras, & aliorum Regnicolarum infringamus ſupprimamusque, & idcirco Serenitates Veſtras petiviſſe, ut tale noſtrum propoſitum ex mala informatione manans, in melius commutare, ſanioraque conſilia amplecti, ac ad Regni confinia reverti velimus: ea ſane res præter omnem expectationem nobis accidit. Nam plane nobis perſvademus, plerisque ex vobis ſatis ſuperque conſtare, nihil alienius ab inclyta

clyta noſtra domo Auſtriæ, nobisque ejus conſortibus omnibus eſſe, quam aliena & ad nos nullo jure pertinentia ullo modo invadere, ſed potius aliis, quibus ejusmodi aliquando injuria facta fuit, omni noſtra poſſibili opera & adjutorio ſuccurrere. Prout ſpecialiter nos Deum Opt. Max. teſtem vocamus, quod potius hujus veſtri ampliſſimi Regni tranquillitatem, quietem, incolumitatem, ſalutem, & inprimis libertatis veſtræ conſervationem, ac fidelem tutelam, quam vel minimam ejus læſionem, imminutionem, ſeu infrinctionem, ex animo optemus; & ita quidem, ut pro ea ac communi veſtra proſperitate, vitam ac ſanguinem ipſum, profundere ſemper quam paratiſſimi futuri ſimus, nedum contrarium, ut præfertur, in animo habeamus. Et propterea S. V. omni ſtudio quam enixiſſime hortamur ac requirimus, ut aliud de nobis a nemine ſibi perſuaderi ſinant, ſed de hac noſtra aſſertione ac declaratione, plusquam certisſimæ eſſe, ac absque omni hæſitatione plane ſibi de nobis polliceri velint; nobis ipſarum & totius Regni ſalutem, felicitatemque perinde ſemper ac vitam noſtram propriam commendatam futuram; nosque adeo libertates, immunitates, prærogativas, jura, decreta, conſtitutiones, ſanctiones, ac conſvetudines veſtras omnes ac ſingulas, perpetuo, quam firmisſime, non ſolum ipſos obſervaturos, ſed etiam apud alios earum manutentionem fideliter procuraturos; & ut ſummatim dicamus, totum noſtrum regimen ita inſtituturos eſſe, ut omnibus

bus præsentibus, ac posteris, liquido appareat, nos nihil proprii, sed rem ac utilitatem saltem vestram & totius Regni agere ac quærere: prout parati sumus de eo Ser. Vestris omni meliori modo ac forma sufficienter cavere, & si de eo per aliquot suos legatos ulterius nobiscum aliquid tractare voluerint, gratissimi ii nobis erunt. Et cum haud gravatim cum iis de omnibus rebus vel personaliter, vel per aliquot nostros consiliarios conferemus; tum vobis hisce nostris sancte recipimus, ipsos adeo liberos, tutos, ac salvos futuros, ut singulis horis, quandocunque illis libuerit, ad vos ac nos redire, & iterum reverti poterint, sine omni fraude & dolo. Et hæc sunt, quæ S. V. ad relationem dicti Baronis ab Herberstein, amanter replicare voluimus. Et sicuti vobis omnibus ac singulis gratia nostra optime propensi sumus, ita etiam S. V. bene feliciterque valere optamus. Prout etiam ipsum Baronem de Herberstein hac de re ad vos remittere voluimus, cui in iis, quæ vobis oretenus exponet, S. V. omnimodam fidem secure habere poterunt. Ex prædio Rakovvicza vigesima die Octobris, A. Dni. 1587.

XVII.

ORDINUM REGNI AD EUNDEM SERENISS. ARCHIDUCEM EPISTOLA.

Litteræ fidei.

Sere-

SErenisſime Princeps, Domine obſervandisſime. Mittimus ad Serenitatem Veſtram legatos noſtros Magnificos & Generoſos Dominos, Joannem Myskovvski, Caſtellanum Zarnovienſem, Chriſtophorum Milenski, Dapiferum Calisſienſem, Adamum Gorayski ſeniorem, Joannem Lipski, qui omnibus de rebus ſententiam noſtram, cum coram S. V. exponent, tum legationem ſuam ſcriptam illi tradent. Iis igitur, ut plenam fidem S. V. adhibeat, rogamus; ad eorundemque legationem ipſa etiam ſcripto & directe quamprimum nobis reſpondeat. Cæteroquin obſervantiam paratisſimaque ſtudia noſtra S. V. deferimus, optimamque valetudinem a Deo Opt. Max. illi precamur.

Majoris fidei cauſa nos infra ſcripti deputati ex omnium ordinum autoritate ſubſcripſimus, ſignaque noſtra appoſuimus. Datum Cracoviæ, die XXIII menſis Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

XIIX.

ORDINUM REGNI CRACOVIÆ CONGREGATORUM PRÆSCRIPTUM LEGATIONIS, JOANNI MISKOVVSKI CASTELLANO ZARNOVIENSI, CHRISTOPHERO MILENSKI DAPIFERO CALISSIENSI, ADAMO GORATSKI SENIORI, JOANNI LIPSKI, AD ARCHIDUCEM, MAXIMILIANUM, DATUM CRACOVIÆ, DIE XXIII MENS. OCTOBRIS, ANNO DOMINI MDLXXXVII.

Nullo

Nullo eum jure uti in Regnum posse probant, & ut ad fines propere discedat, deque vi nulla Polonis facienda caveat, rogant.

LEgati noſtri quamprimum ad Sereniſſimum Archiducem Maximilianum pervenerint, facultate Serenitatis ſuæ adeundæ quamprimum poſtulata, inprimis obſervantiam, ſtudiaque noſtra Serenitati ſuæ deferent, deinde in hanc ſententiam legationem ſuam exponent: Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime. Ad reſponſum, cum quo Magnificum Dominum Palatinum Lublinenſem ad ordines S. V. remiſit, peculiari ſcripto hoc, quod S. V. tradimus, S. V. ordines reſpondent. Ex iis autem litteris, quas Magnificus Dominus Felicianus Baro ab Herberſtein a S. V. illis reddidit, recte id ab illis S. V. eum renunciaſſe perſpexerunt, quod de adventu in Regnum hoc S. V. queſti cum illo fuerint. Per ſe enim, ne quid earum rerum, quæ hic actæ eſſent, S. V. fugeret, minime ſtetiſſe putant; diligenterque curatum a ſe eſſe, ut omnibus de rebus accurate S. V. edoceretur. Nam & ab initio legati cum S. V. tum uniuerſæ S. domus Auſtriacæ, & poſtea Sacra Cæſ. Majeſtas ipſa legatis Varſavia ab illis miſis, Epiſcopus autem Uratislavienſis, tanquam & Capitaneus Sileſiæ, & communium pactorum cuſtos, cum e minoribus nonnullis nobilitatis conventibus, tum a præcipuis aliquot Regni hujus Magiſtratibus, ad extremum e proximo conventu Viſicienſe, gene-

generali, S. V. ipſa, de Ser. Regis noſtri Sigismundi tertii electione, omniumque ordinum voluntate, diligenter certior facta fuit. Tam teſtata tamen eorum declaratione poſtpoſita, & nominationem eam S. V. accepit, quæ a paucisſimis quibusdam tertio demum die poſt, contra morem majorum interpoſita fuit, & in Regnum ita deinde venit, ut neque præmitteret ſuorum aliquem hominem gravem, qui, quo in ſtatu res eſſent, cognoſceret, & arma atque ſigna in conſpectu noſtro explicaret. Quod cum contra antiquisſima fœdera, quæ Regno huic cum vicinis Ser. domus Auſtriacæ ditionibus intercedunt, & libertatem noſtram, a S. V. ſuſceptum ſit, queſti ſane non mediocriter ea de re ordines fuerunt: non minus autem de eo, quod omnino jus aliquod ex hujusmodi nominatione S. V. uſurparet. Jam quo in ſtatu res ſint, S. V. videt. Sereniſſimus Sueciæ Princeps, Sigismundus, unanimi omnium ordinum conſenſu, Rex electus in Regno jam eſt: a Regno atque jure ſuo, neque ille ſine ordinum conſenſu recedere poteſt, neque ordines Regem eum, qui contra legitima ſua ſuffragia voluntatemque in Regnum venerit, niſi convulſis e fundamento juribus libertateque ſua recipere poſſunt: mori prius & poſſunt, & ſi ita ſors ferat, parati ſunt. Quæ autem magnitudo animi Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum eſt, ne eos ipſos quidem, ut maxime conſequi id poſſint, vi occupare Regnum hoc velle, ſibi perſvadent. Hæc autem cum ita ſint, ut

ut nulla hujusmodi ratio, qua S. V. in Regno maneat, reperiri poſſit; neque ordines videnţ; neque vero etiam, ut S. V. de ea cogitet, cenſent. Ut autem quamprimum S. V. extra fines rurſum ſe recipiat, cum multis aliis de cauſis eam hortantur, tum quod tanquam ad commune incendium reſtinguendum, undique jam concurritur, & ut aliunde non conveniretur, tamen cum in hac rerum incertitudine omnia ſuſpecta ſint, & quisque pro ſe rerum ſuarum ſatagaţ, quam multa evenire poſſint, S. V. videt. Si quid deinceps vero, cum ex Regno exceſſeriţ, tractare ſecum S. V. voluerit, quæ aliis omnibus exteris patet, eadem Serenitatis quoque Veſtræ legatis humanitas ordinum patebit, ut & libenter ab illis audiantur, & reſponſum publice ex omnium ordinum ſententia illis detur. Interim vero, ſi quod S. V. iterum atque iterum hortantur, pacate recipere ſe voluerit, ut S. V. ſine maleficio diſceſſuram ſe illis caveat, a S. V. poſtulant, pacemque publicam in omnibus finibus vicinarum Sereniſſimæ domus Auſtriacæ ditionum, quæ ad Regni hujus fines pertinent, publicandam curet; quod ipſi viciſſim a ſua parte præſtituros ſe recipiunţ.

Quæ cum dixerint, eandem hanc legationem ſuam ſcriptam etiam Serenitati ſuæ tradent: utque ab eadem, cum ſcripto itidem reſponſo, quamprimum ad nos remittantur, poſtulabunt.

XIX.

XIX.

FRIDERICI A ZIEROTHIN BARONIS, AD ORDINES REGNI EPISTOLA.

Cupit Legatis a Maximiliano ad eos deſtinatis ſalvi conductus litteras mitti.

REverendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Nobilibus, Generoſis, Prudentibus, N. N. Ordinibus, & Statibus Regni Poloniæ, nunc Cracoviæ congregatis, Dominis & amicis honorandiſſimis. Rev. Illuſ. Magn. Nobiles, Generoſi Domini, & amici honorandi: ſalutem, & obſequiorum noſtrorum commendationem. Sereniſſimus Rex, Dominus noſter Clementiſſimus, ad legationem D. Veſtrarum, ut ſe facturum recepit, reſpondere conſtituit, per Ill. & Magn. D. Dominos Ladislaum Poppel Baronem a Lobkovvicz, Dominum in Zbirovv, ſupremum camerarium, Danielem Princz, Sac. Cæſ. Maj. ac ſuos conſiliarios, Franciſcum Maslovvski, Terræ Velunen. notarium, ac Caſparum Kempinski, dapiferorum ſuorum præfectum. Id autem, ut quamprimum fieri poſſit, neceſſarium fore videtur, ut quemadmodum D. V. ſalvus conductus antea hinc miſſus fuit, ita eædem quoque prædictis Dominis in eandem formam conceptum huc mittendum curent. Quod ſimul ac factum fuerit, Regia Maj. dictos Dominos oratores ſuos iſthuc miſſura eſt. Quod reliquum eſt, nos officiaque noſtra D. V. deferimus, & easdem feliciter valе-

valere cupimus. Ex Monaſterio Mogilano XXV Octobris, Anno Dni. MDLXXXVII.

Fridericus a Zierothin Baro, Dominus in Selovvicz & Pausdrzany, Sacræ Cæſ. Maj. a conſiliis bellicis, equitum cataphractorum ſummus præfectus, nec non ſuæ Regiæ Majeſtatis intimus conſiliarius, & ejusdem curiæ Magiſter ſupremus, &c.

XX.

AD EPISTOLAM SUPERIOREM ORDINUM REGNI RESPONSUM, AD SERENISS. ARCHIDUCEM MAXIMILIANUM MISSUM.

Litteras ſalvi conductus miniſtris ejus transmittunt, cur vero Polonis ab ejus partibus ſtantibus idem beneficium præſtare non poſſint, cauſam aſſerunt.

SEreniſſime Princeps, Domine obſervandiſſime. Redditæ nobis litteræ ſunt conſiliarii S. V. Magnifici, & Generoſi Friderici a Zierothin Baronis: quibus, ut fide publica legatis, quos S. V. ad nos miſſura ſit, caveamus, a nobis poſtulat. Mittimus S. V. litteras in eos, quos ex externis, conſiliariis nimirum S. V. Dominus Zierothinus a S. V. ad nos venturos nobis ſignificat: qui fide publica libere atque ſine ulla moleſtia ad nos venient, & a nobis redibunt. In Polonos, quos Dominos Zierothinus nominat, propterea litteras nullas S. V. mittere poſſumus, quod conſtitutione univerſæ nobilitatis, quæ ut antea Andreioviæ, ita proxime ſub Viſſicia ſancita

eſt,

eſt, donec Reſp. amplius de illis ſtatuat, omne commercium cum illis ſublatum ſit. Quod pro prudentia & humanitate ſua in optimam partem S. V. accepturam confidimus; cui cæteroquin ſtudia officiaque noſtra paratiſſimo animo deferimus, optimamque valetudinem precamur. Cracoviæ die XXVI menſis Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

XXI.

FRIDERICI A ZIEROTHIN AD ORDINES REGNI ALTERA EPISTOLA.

Formulam ſalvi conductus rectius conſignari cupit, Polonis ab eo neutiquam excluſis

REverendiſſ. Illuſtres, Magnifici, Nobiles, & Generoſi Domini, amici honorandi: ſalutem, & officiorum noſtrorum commendationem. Ex litteris D. V. ad Regiam Maj. Dominum noſtrum clementiſſimum, & ex ſalvo conductu intelleximus, eas, non in ea verba, neque iis cautionibus adhibitis, quæ his temporibus neceſſariæ videntur, & in eo fidei publicæ ſcripto inſertæ ſunt, quas ſua Maj. Dominis oratoribus D. V. nuper dedit, dictum ſalvum conductum perſcriptum eſſe. Deinde quod majus etiam eſt, quum Regia Maj. nullo delectu habito, eos admiſerit, & benigne audiverit, quos D. V. huc ablegarunt, D. V. tamen Maj. ejus præſcribere voluiſſe videntur, ut non ex ſuo ſed ipſarum arbitratu legatos iſthuc mitteret. Quare omiſſa nunc

Digitized by Google

illa cauſa, quam adferunt impedimento eſſe, quominus quosdam ex Polonis, quos ejus Maj. nominavit, admittere poſſint, homines alioquin omni honore digniſſimos, D. V. iterum amice hortamur, & petimus, ut ſalvum conductum, in hanc quam mittimus formam, qui datus fuit Dominis oratoribus veſtris, conſcriptum pro iisdem, qui in prioribus litteris a nobis nominati ſunt, quamprimum mittere velint: ut eo citius mentem Regiæ Maj. ad nuperam legationem ſuam intelligere poſſint. D. V. feliciter valere optamus.

Mogilæ vigeſima ſexta die menſis Octobris Anno Domini MDLXXXVII.

XXII.

EPISTOLA ORDINUM REGNI AD SERENISS. ARCHIDUCEM MAXIMILIANUM, QUA PRÆCEDENTI EPISTOLÆ RESPONDETUR.

Polonos legatos admitti poſſe pernegant, ceteros vero de vi omni ſecuros eſſe prorſus volunt.

SEreniſſime Princeps, Domine obſervandiſſime. Ex litteris Friderici a Zierothin Baronis, non ſatisfeciſſe S. V. perſpeximus ſalvum conductum eum, qui in legatos, quos ad nos miſſuram ſe oſtendit, heri a nobis S. V. transmiſſus fuit. Maxime quidem id requirere S. V. animadvertimus; quod Polonos, qui circa S. V. ſint, exclu-

excludamus. In quo non tam Serenitati Veſtræ a nobis præſcribitur, quam univerſæ nobilitatis decreto potius, quantum ea in re a nobis fieri poſſit & debeat, nobis ipſis præſcriptum eſt. Itaque ne S. V. in aliam partem id accipiat, ampliusve id a nobis contendat, quod in noſtra ipſorum poteſtate non eſt, iterum a S. V. petimus. Aliis rebus ita cautum legatis, quos præter Polonos miſſura ad nos S. V. eſt, exiſtimamus; ut nihil in eo genere amplius deſiderari a nobis poſſe ſtatuamus, niſi forte familiæ legatorum, & commorationis eorum, diſerta mentio a nobis requiratur; quorum altera ſub ipſorum legatorum nomine ſatis comprehendi, altera non neceſſaria nobis videbatur. Cum enim tempora hæc nullam moram ferre videamus, quantum in nobis erit, quamprimum legationem ſuam expoſuerint, ut ſine mora ad S. V. eos remittamus, operam dabimus. Quod ſi tamen hac quoque in re amplius a nobis caveri illis debet, vel harum litterarum autoritate præſtare id non dubitamus: ut quos præter Polonos, legatos ſuos mittendos ad nos S. V. duxerit, eos omnes & ſingulos, cum familiaribus ſuis, tute ac ſecure ſine omni periculo ad nos venturos, & donec a nobis dimiſſi fuerint, commoraturos, inde autem ſine ulla injuria ſuo commodo atque arbitratu, cum omni comitatu ſuo, ad S. V. ſalvos & incolumes ſe recepturos, ſancte & firmiter, ſub fide & honore noſtro promittamus, caveamusque, quemadmodum vi præſentium cavemus, ſpondemus-

que. Serenitati cæteroquin Veſtræ obſervantiam ſtudiumque noſtrum, paratiſſimo animo deferimus, optimamque valetudinem a Deo Opt. Max. precamur. In ſuperiorum autem omnium fidem, qui a nobis eam ad rem deputati fuerunt, hiſce manibus ſuis ſubſcripſerunt, ſignaque ſua appoſuerunt. Datum Cracoviæ, die XXVII Menſis Octobris, Anno Domini MD LXXXVII.

XXIII.

ORDINUM REGNI CRACOVIÆ CONGREGATORUM, AD CONVENTUM ORDINUM REGNI UNGARIÆ POSSONIENSEM EPISTOLA.

Rogant, ne vetera diſſolvant fœdera, & Maximiliano opem adverſus Polonos ferant.

REverendiſſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, & nobiles Domini, amici obſervandiſſimi. Qvemadmodum contra publicum Regni hujus jus, omniumque noſtrum libertatem, Ser. Archidux Maximilianus, triduo poſt, quam Ser. Sigismundus Princeps Sueciæ legitime jam electus fuiſſet, a pauciſſimis quibusdam nominatus fuit, ita nunc non minori univerſæ Chriſtianitatis periculo, quam noſtro, a pauciſſimis iisdemque nonnullis proſcriptis, cæteris fere decoctoribus, armatus in fines Regni hujus introductus eſt. In quo inſtituto ſuo adjuta Serenitas ejus, contra antiquiſſima pacta atque fœdera, a Sileſiæ atque Moraviæ incolis quibusdam fuit.

fuit. Cum autem, ut eodem exemplo D. Veſtræ quoque eam juvent, ſolicitari eas audiamus, haſce ad eas dare voluimus, quibus, cum antiquiſimorum fœderum, tum amicitiæ perpetuo inter nos cultæ eas commoneremus, longeque juſtius, ut nobis videtur, ab iis poſtularemus, ut majorem, non modo perpetuæ amicitiæ, verum etiam publicæ pacis rationem, quam cujusquam ſtudii habeant. Quæ fœdera jam a temporibus Sigismundi & Jagellonis utrinque nobis intercedant, D. V. vident; hujusmodi nimirum, ut etiamſi inter ipſos Principes bellum, vel cauſa belli oriretur, populi tamen cupiditatem eorum, ſi retinere non poſſent, adjuvare non debeant, neque ullam opem Principibus, in privata controverſia, contra alterum ferre. Verumtamen ii fere commemorare ea ſolent, qui acceptam a majoribus amicitiam, nullis ipſi officiis inter ſe proſecuti ſint. Quæ cum omni tempore ſumma atque teſtatiſſima utrinque nobis interceſſerint; ut & horum potius, & antiquiſimæ amicitiæ memores eſſe velint, neque in hujusmodi cauſam contra fœderatos, atque antiquiſimos non modo amicos, verum ſocios etiam ſuos ob cujusquam ſtudium deſcendere, non noſtra modo, verum etiam univerſæ Reipubl. Chriſtianæ utilitatis cauſa, iterum quam diligentiſime ab illis petimus, optimamque valetudinem a Deo iis precamur. Cracoviæ die XXVIII menſis Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

XXIV.

SERENISS. PRINCIPIS ARCHIDUCIS MAXIMILIANI AD ORDINES REGNI POLONIÆ EPISTOLA.

Legatos suos commendat, & scripta sua publice prælegi postulat.

MAximilianus, Dei gratia electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Archidux Austriæ. Rever. Illust. Spectabiles, Magnifici, Nobiles, & Generosi, sincere & grate nobis dilecti. Mittimus oratores nostros ad S. V. Ladislaum, Poppel, Baronem a Lobkovvicz, supremum camerarium nostrum, commendatorem Joannem, Kobenzl de Prossek & Mossa, intimos consiliarios nostros, & Danielem Princz, Sac. Cæs. Maj. ac nostrum consiliarium, qui nostram de iis, quæ per oratores suos nobis scripto obtulerunt, sententiam, scripto item comprehensam, ipsis traderent, atque ubi opus fuerit, coram verbis quoque eam uberius explicarent. Quibus ut plenam fidem adhibeant, & quæ secum deferent scripta, omnia publice perlegenda curent, ut omnes proceres, ac nobiles, atque omnis conditionis homines probe intelligere possint, quibus rationibus freti huc venerimus, S. V. benigne hortamur. Ad ea autem, quæ responsionem requirunt, ut quamprimum respondeant, oratoresque nostros ad nos sine longiore mora remittant,

tant, benevole poſtulamus. Datum ex Monaſterio Mogilano XXVIII die Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

XXV.

EJUSDEM SERENISSIMI PRINCIPIS AD SUPERIOREM ORDINUM LEGATIONEM RESPONSUM.

Sua in Regnum jura prolixe explicat, & majorum quoque beneficia Polonis collata allegat, tum, ut a vi abſtineant, multis modis, & minis quoque ſubinde additis, hortatur.

SEreniſſimus Princeps, Dominus, Dominus Maximilianus, electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Archidux Auſtriæ &c. Dominus noſter clementiſſimus, ad legationem Magnificorum & Generoſorum Dominorum Joannis Miskovvski, Caſtellani Zarnovienſis, Chriſtophori Milenski, dapiferi Caliſſienſis, Adami Gorayski ſenioris, Joannis Lipski, nomine ordinum Cracoviæ congregatorum, ſcripto comprehenſam, ut petitioni ipſorum ſatisfiat, ſcripto quoque reſpondet. Quod ad electionem in Regem Poloniæ, & Magnum Lithuaniæ Ducem, ſuam attinet, miratur Regia Majeſtas, eam ab ordinibus Cracoviæ nunc congregatis etiamnum in dubium, atque adeo in controverſiam vocari. Nam quin ea rite, legitime, ex Regni ipſius legibus, ac præſcripto peracta fuerit, dubitare nemo debet, niſi is, cui plane ignota ſunt ea omnia, quæ in proxime præteritis Comitiis Varſavienſ. acta, transacta ſunt. Ibi enim loco ad electionem, com-

muni omnium ordinum, tum Regni hujus, tum Magni Lithuaniæ Ducatus conſenſu, atque approbatione, deſignato, ac conſecrato, extra quem D. Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primas Regni &c diris omnibus devovit, & ſacrorum communione ſolenniter excluſit omnes, ſi qui forte Regem eligere auderent: illo, inquam, loco, ubi etiam exterorum Principum oratores omnes auditi ſunt, ab omnibus utriusque nationis ordinibus, unanimi conſenſu, magno applauſu, atque alacri omnium acclamatione electam ſe fuiſſe, non tantum a Sac. Cæſ. Maj. Domini & fratris ejus chariſſimi, atque aliorum Principum, qui eam commendatione ſua proſequuti ſunt, verum etiam a ſuis oratoribus, atque aliis quam plurimis nobiliſſimis viris tum Polonis, tum Lithuanis, Maj. ſuæ renunciatum eſt. Poſtea etiam ampliſſimi iisdem ab ordinibus legati, ad eam venerunt, decretum electionis, non paucorum quorundam, (ut Sinc. Veſtræ innuere videntur) ſed plurimorum primariæ nobilitatis virorum ſubſcriptione, & ſigillis communitum, obtulerunt; atque a Maj. Regia, ut ad Regni gubernacula capienda adveniret, magna contentione efflagitarunt. Regia itaque Maj. nihil præpropere, nihil inconſiderate, nihil ſine Sac. Cæſ. Maj. & cæterorum inclytæ domus Auſtriacæ, tum aliorum Chriſtiani orbis ſummorum Principum conſilio, atque autoritate ſuſcepit, ſed ſumma omnium voluntate, ac cohortatione, dictorumque oratorum ad ſe ablegatorum, precibus adducta, juramento

prius

prius Olomucii præſtito, & conditionibus acceptis, in hoc Regnum, amico, & ad omnem benignitatem propenſiſſimo, ac patriæ hujus veſtræ, dignitatis, commodorum omnium, ſalutisque cum primis ſtudioſisſimo, non hoſtili, ut quidam calumniantur, animo venit. Quomodo autem in ipſis ſtatim finibus, deinde quum iſtam urbem præteriret, ab iis, qui in ea rerum hoc tempore potiuntur, excepta fuerit, notum eſt omnibus, qui miſerabilis illius incendii, quo vicinæ villæ, & nobilisſima ædificia conflagrarunt, ſpectatores fuerunt. Omnia direptionibus flammisque atrociter, ac ſane nulla de cauſa, confeſtim vaſtata ſunt: nulla certe (ne quid amplius dicamus) perſonæ Maj. ejus, cui pace publica nihil antiquius eſt, nulla eorum, qui honoris & officii cauſa, eam comitati venerunt, amplisſimorum hominum, ratio habita eſt, tormenta in nos directa, & exploſa, milites ad pugnam educti, noſtri pacifice progredientes, ad certamen lacesſiti, vulnerati etiam aliqui fuerunt. Ante hoc autem tempus, & poſtea quoque, quum nihil ſibi hoſtile metuerent, ut qui longe alio ſe propoſito huc veniſſe non ignorarent, palantes noſtri, & ſecure ad nos pergentes, ex inſidiis petiti, trucidati, & omnia extrema experti ſunt, non minus quam ſi Chriſtiani nominis hoſtes eſſent, atque vi ad ſubjugandum hoc Regnum intraſſent. Quæ certe, niſi Maj. Regia (quæ ipſius eſt pietas, ac pacis ſtudium) a cæde & ſanguine Chriſtianorum abhorreret, longe alium exitum

habuiſſent, quam ii fortaſſe exiſtimant, qui nimis præfidenti animo Maj. ſuæ tam hoſtiliter adverſati fuerunt: ſed maluit, ut ſemper factura eſt, pietatis innatæ, humanitatis, ac benignitatis rationem ducere, quam par pari referre, cum pernicie hominum, & Reipubl. detrimento. His ſimilia indies perpetrantur: nuntii ad diverſos dimiſſi intercipiuntur, ut ante, quam in Regnum veniſſet Maj. Regia, etiam Generoſus Joannes Luſiczki, ad Sereniſſimam Reginam miſſus, in itinere, excuſſis litteris, retentus fuit. Non ita male profecto, jam inde a multis ſeculis merita eſt inclyta domus Auſtriaca, de nobiliſſimo hoc Regno, ut Maj. ſua; & nobiliſſimorum procerum ac nobilium comitatus, etiamſi nulla de cauſa huc veniſſet, nullum omnino jus obtineret, tam inhumaniter, tam hoſtilem, ac plane barbarum immorem, accipi debuerit. Nota ſunt paſſim, tum alibi, tum in hoc Regno D. Imperatorum, proavorum, tum avi D. Ferdinandi, tum parentis etiam D. Maximiliani Cæſaris, erga hanc gentem, merita quæ privatim, & publice, in animis hominum defixa ſunt, ut nihil nunc dicatur de iis Regibus, prædeceſſoribus Maj. ſuæ Jagellonibus, a quibus genus ducit. Vel horum certe memoria, tanti apud vos eſſe debuit, ut longe aliter in Maj. ſuam, nosque omnes, animati eſſetis, præſertim cum id ſemper ſtuduerit, Dei beneficio, ut ab majorum ſuorum pietate, humanitate, benignitate, amore ac ſtudio in hanc gentem plane ſingulari, nulla in parte degeneraret. Quare

huma-

humanitatis veſtræ atque officii fuerat, ut parem illis in ſuæ Maj. perſona gratiam referretis, inclytæque domui ejus cauſam præberetis, ut de Sinc. V. publice, & privatim, amplius etiam mereri non deſinerent. Quod a vobis prætermiſſum eſſe, ut reprehenſione juſta non caret, ita In ſpem Maj. ſua venit, fore ut quum ſiniſtras de ipſa, atque a natura bonitateque ſua alienas ſuſpiciones, ex veſtris, & aliorum, qui falſis malevolorum calumniis faſcinati ſunt, animis exemeritis, longe aliam mentem ſuſcepturi, atque alia, dignitati ſcilicet, ſalutique Reipubl. magis conſentanea conſilia capturi ſitis. Cogitate etiam atque etiam, num altera illa electio, qua ii, qui in proximis comitiis ſeceſſionem a reliquo Regni corpore ibi congregato, fecerant, Ser. Sueciæ Regis filium nominarunt, ſuo loco, num rite, num ex legum præſcripto, facta fuerit: per tumultum ſane omnia, vi & armis, non quo decuit ordine, non more majorum, acta ſunt. Nullus ibi Lithuanus fuit, quum tamen nobiliſſima illa natione invita, ac diſſentiente, nemo legitimus Rex, nemo Magnus Lithuaniæ Dux, etiam ex unionis ac fœderum pacto, eſſe aut dici poſſit, aut debeat. Nam quod in ſcripto veſtro adducitur, de provincialibus, & nuper ad Viſſiciam congregatis congreſſibus nobilitatis, illud in univerſum recte reſponderi poteſt, quod ſapientum omnis ætatis Jurisconſultorum obtinuit autoritate, & paſſim pervulgatum eſt, id, quod initio nullo juris fundamento nititur, progreſſu tempo-

ris

ris non fieri firmum. Adde quod Regiæ Maj. partibus faventes, (qui per totum Regnum, & magnum Lithuaniæ ducatum plurimi sunt) illos vestrorum congressus adire noluerunt, neque sua illos præsentia confirmandos, atque approbandos existimarunt, sed satis se officio suo functos esse censuerunt, si protestatione interposita, decreta illa, quæ in illis conventiculis, per varias artes nobilitati extorta sunt, nullam obtinere vim testarentur. Non ignoramus, quæ in majore Polonia facta & promulgata sit protestatio, quæ in Russia, quæ per totum Regnum aliis in locis. Extant illæ perpetuis litterarum monumentis consecratæ. Ac ne alios nunc conventus attingamus, in quibus nobilitatis jura, privilegia, & libertas omnis per vim oppressa est, nuper certe Visiciæ nihil legitime, nihil ordine, omnia per vim, & a paucis quidem, qui liberæ nobilitati indignæ servitutis jugum imponunt, decreta sunt: reliqui a sententiis dicendis excluſi sunt, qui non armati de Republ. consultaturi, sed pacifico animo convenerunt. Quin parum etiam abfuit, quin nobilibus quibusdam vis illata fuerit, & cædes perpetrata, ac quod magis etiam reprehendi & vindicari deberet, ne orator quidem Maj. Regiæ audientiam impetrare potuit, sed cum summa ignominia, non sine suo & suorum periculo rejectus, atque explosus fuit. Itaque magna pars nobilitatis, illis violentis discedentibus, in alia omnia ivit, neque electionem nostram repudiavit. Sed si coram æquis judicibus agendum

dum eſſet, longe uberius, & firmiſſimis diſceptari atque evinci argumentis poſſet, hanc ſuæ Maj. non ejusmodi eſſe electionem, qualis Sinc. Veſtrarum ſcripto, non ſuis coloribus, depingitur. Ac quoniam ſua Maj. non ſua ſponte, non inconſiderate, non nulla de cauſa, non nullo freta jure, ſed vocata ab ordinibus & ſtatibus Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, vocata a veſtris fratribus, amplisſimis viris, de conſilio, ſententia, & voluntate ſummorum Chriſtiani orbis Principum, animo pacifico, non hoſtili, ſed ad bene de omnibus merendum, ad dignitatem, & privilegia Regni conſervanda atque amplificanda propenſisſimo venit; cogitare pro veſtra prudentia quivis, atque animo ſecum reputare poteſt, Maj. Regiam ad Sincer. Veſtrarum ſatis imperioſam ac minarum plenam hortationem, Regno excedere non poſſe. Agitur hic ſalus Reipubl. agitur ſuæ Maj. Inclytæque domus Auſtriacæ dignitas, agitur libertas Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, pro quibus rebus omnibus, ſi opus ſit, vitam ipſam profundere parata eſt. Quæ cum ita ſe habeant, neque jam integrum amplius ſit, neque in unius Maj. Regiæ poteſtate poſitum, ut de re tam magna, certum Sinc. Veſtris hoc tempore, atque abſolutum reſponſum dare poſſit, præſertim cum hac de re tota, ad Ser. Regis Sueciæ filium quoque litteras dederit, & intra hos paucos dies conventus hic fratrum veſtrorum futurus ſit, æquum judicat, ut hanc totam cauſam, & reſponſum ad poſtulata veſtra, in illud tem-

tempus reſervet. Quod quoniam breve futurum eſt, S. V. benigne hortatur, ne hanc moram longiorem eſſe putent, quam tantæ rei magnitudo poſtulat, eamque æquis animis expectent. Interea autem, quod ſuam facere Maj. per ſe S. V. intelligunt, etiam atque etiam hortatur, ut pacem colant, atque ipſius Maj. exemplo, quæ eos, qui forte ex veſtris capiuntur, non ſolum dimitti jubet, ſed etiam muneribus afficere ſolet; captivos remittant, ſpolia & quæ contra omnia humana ac divina jura, a prædonibus illis Rabſtinenſibus, qui vias obſederunt, nefarie erepta fuerunt, reſtituant, neque permittant, ut maleficiis, excurſionibus, atque aliis hoſtilibus molitionibus ulla in poſterum cauſa Maj. Regiæ præbeatur, ut de vindicandis injuriis cogitationes ſuſcipere neceſſe habeat. Nam per vos ipſi, ut viri prudentes, & exterarum quoque rerum periti, ſatis intelligere poteſtis, ſi quid a S. V. vel iſarum juſſu, ab aliis adverſi acciderit, quod a pactis & fœderibus vicinarum provinciarum abhorreat, tale tantumque incendium a vobis inflammari poſſe, quod nulla unquam ætas reſtinguere queat. Quod ut Deus avertat, ex animo Regia Maj. optat, & pro ſuo in hanc Rempubl. ſtudio, & charitate deprecatur.

Hæc ſunt, quæ hoc tempore reſpondenda viſa ſunt: voluntatem autem ſuam Regia Majeſtas de eorum quoque, quorum intereſt, ſententia propediem declaratura, & Sinc. Veſtris ſignificatura eſt. Quas bene valere optat. Datum ex

Mona-

Monaſterio Mogilano, XXV Octobr. Anno Domini MDLXXXVII.

XXVI.

AD SERENISS. PRINCIPIS ET DOMINI, ARCHIDUCIS MAXIMILIANI, RESPONSUM, PER MAGNIFICOS, GENEROSOS, AC STRENUOS, LADISLAUM POPPEL, BARONEM A LOBKOVVICZ, &c. COMMENDATOREM JOANNEM KOBENZI DE PROSSEK, ET MOSSA, ET DANIELEM PRINCZ, AD ORDINES MISSUM, EORUNDEM ORDINUM RESPONSUM.

Ad ſingula capita ab eo propoſita prolixe reſpondent, jus ipſi omne in Poloniam derogantes, & paſſim paulo graviora objicientes, demum vim omnem deprecantur.

SEreniſſime Princeps, Domine obſervandiſſime. Reſponſum S. V. per legatos S. V. nuper ad nos miſſum, quemadmodum S. V. a nobis poſtulavit, una cum aliis ſcriptis, quæ ſecum detulerunt, patienter audivimus. Ac confirmationem quidem jurium, quam ad nos miſit, & quæ ejus generis ſcripta fuerunt, etſi juſtam cauſam plane non audiendi habebamus, ne tamen quicquam ſuppreſſum a nobis queri S. V. poſſet, & ut legerentur permiſimus, & audivimus, lecta ad S. V. remiſimus, ut ea, quæ non a S. V. ſed noſtro Rege, legitime a nobis electo, expectanda

da nobis essent, atque adeo jam haberemus. Responsum vero S. V. hujusmodi esse videmus, quo ad ea, quæ ante cum S. V. questi fuimus, nunc verborum etiam acerbitas ea adjiciatur, quæ superiores offensiones magis cumulet, quam tollat. Qua nos tamen cum S. V. non contendemus: (eam enim cum humanitatis nostræ, tum dignitatis rationem habebimus, quæ a nobis haberi debet:) de re ipsa pauca S. V. respondebimus. Mirari se S. V. ostendit, electionem suam etiamnum in controversiam vocari. Nam quin ea rite, legitime, ex Regni ipsius legibus ac præscripto peracta fuerit, dubitare neminem debere, nisi eum, cui plane ignota sint ea omnia, quæ in proxime præteritis Comitiis Varsavienſibus acta, transacta sint. Hic nos unum id dicemus, tum id merito miraturam S. V. fuisse, si unquam a justa aliqua parte nobilitatis, vel eorum, qui jus suffragii ferendi habeant, rata ac legitima ea habita fuisset. Ad rationem autem Comitiorum, totiusque adeo electionis quod attinet, quomodo quidem partim pecuniis, partim auxiliis, nonnullos S. V. instruxerit, qui primum convocationem Varsavienſem, postea autem ipsa etiam electionis comitia, atque omnia consilia publica, quo S. V. per vim nominare possent, turbarint, quos deinde per suos appellarit, quos solicitarit, qui depacti cum illa sint, melius fortasis quam nos, S. V. scire potest: quomodo vero omnia acta, quomodoque ex præscripto legum nostrarum agi debuerint, melius certe nos scimus, qui & rebus illis

omni-

Digitized by Google

omnibus interfuimus, & leges, inſtitutaque noſtra, quam maxime cognita habemus. Inprimis loci jure S. V. niti intelligimus. Eo enim in loco electam ſe dicit, qui omnium ordinum tam Regni hujus, quam Magni Lithuaniæ Ducatus conſenſu, atque approbatione deſignatus, ac conſecratus fuerit: extraque quem D. Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primas Regni, diris omnibus devoverit, & ſacrorum communione excluſerit omnes, ſi qui forte Regem eligere auderent, eo ipſo denique in loco, in quo exterorum Principum oratores omnes auditi ſint: quo quidem utrunque oſtendere conatur, & ſe legitimo in loco, & Sereniſſimum Sueciæ Principem minime ſuo loco electum eſſe. Qua de re, ſi id diceremus, ſi, quæ loci mutatio interveniſſet, eorum culpa eam interveniſſe, qui violentis actionibus ſuis, cum a ſe, tum a loco eo, in quo convenerant, ita omnes abalienarint, ut pauciſſimi ſoli relinquerentur, id diceremus, quod nemo negare poſſet. Jam vero minime S. V. fugit, non locum, ſed Senatores, quocunque etiam illi loco conveniant, ſeu ordines potius, ut publicum conſilium ſit, facere. Neque enim vel loci per ſe religio ulla talis ſtatui poteſt, qualis eorum locorum fuit, quæ ab auguribus olim auſpicato capiebantur: aut ſi aliqua talis religio habenda eſt, ab eo certe, qui locum aliquem conſecrarit, eundem rurſum profanari, aliumque conſecrari poſſe, nemo non videt; ut non is locus, in quo aliquando Archiepiſcopus fuerit, ſed in quo ipſe electi-

oni præfuerit, ſolennis & legitimus habendus ſit. Verum novum atque inauditum omnino apud nos eſt, vel hujusmodi loci religionem a quoquam ſtatui, vel ad unum loci veſtigium jus electionis alligari. Cujus rei non modo nullum ex omni memoria exemplum proferetur, verum ſecus potius obſervatum fuiſſe, ſuperiora comitia teſtantur, in quibus nobilitas in tot loca fere diſceſſit, in quot Palatinatus alias diſtributa eſt. Eodem igitur exemplo, neque his comitiis tam anguſtis finibus deſcriptus is fuit, ut uno aliquo veſtigio contineretur, ſed campus is omnis, qui inter Varſaviam & villam Volam interjacet, omnis ei attributus fuit. Intra hunc Sereniſſimus Sigismundus Rex ita creatus fuit, ut primo, ne ex illorum ipſorum quidem, qui a ſe diſceſſum queruntur, conſpectu diſceſſum, deinde non repente etiam ad electionem ejus acceſſum ſit. Nam & certiores primum de inſtituto hoc ordinum facti fuerunt, & ad communem electionem, conſiliorumque communicationem, per integram fere ſeptimanam quotidie invitati, ita, ut qui hac ratione electus ſit, ejus creatione, ut alia nulla re, a more atque exemplis majorum, ita ne a loci quidem jure diſceſſum ſit. Verum facile S. V. perſpicere exiſtimamus, omne electionis jus, in omnium ordinum, ac nobilitatis præſertim conſenſu, poſitum eſſe: de quo ſi conſtet, fruſtra de aliis rebus quæri. Uter majoris partis conſenſu electus ſit, ne Serenitatem quidem Veſtram ipſam dubitare exiſtimamus, aut ſi dubitet, ſi rem

ipſam

ipſam paulo diligentius conſideret, facile ex re ipſa ſtatuere poſſe. Senatores per Regnum hoc, & Magnum Lithuaniæ Ducatum, centum quadraginta ſunt: poteſt ne plures fere quam ſeptem Serenitas Veſtra nominare, qui creationi ejus aſſenſi ſint? ex quibus tamen non plures, quam quinque, cum reliqui duo diſceſſiſſent, renuntiationi ejus interfuerunt. Non dicemus jam eos plerosque eſſe, qui conſtitutioni Andrejovienſi, qua ſuperioribus Comitiis Ser. domus Auſtriaca, propter publicas Regni rationes, a Regno excluſa fuit, non modo ſcribendæ affuerint, verum autores etiam ejus fuerint: eos deinde, qui ejusdem fere omnes familiæ ſint. Cum quam paucos ex Senatu Serenitas Veſtra electioni ſuæ aſſentientes habeat, intelligat, quanto pauciores ex equeſtri ordine, cujus tamen potiſſimum in electionibus robur eſſe ſolet, addictos habeat, ſua ſponte ſentire eam exiſtimamus. Quemadmodum autem ſe omnium fere conſenſu S. V. deſtitui videt, ita, quis ab altera parte in Sereniſſimum Sigismundum Regem non unius atque alterius hominis, ſed omnium ordinum conſenſus ſit, ignorare non poteſt. Qui cum ab Archiepiſcopo, ut principe Senatus, more majorum ita nominatus eſſet, ut Senatores quam maxime frequentes, nobilitas autem numeroſiſſima, ſententiis prius dictis, ſuffragia ſua in eum conferret; tanta tamen per omnes deinde conventus nobilitatis, eorum etiam, qui ab electione abfuerant, comprobatio electionis ejus fuit, ut præſentium ille conſenſus,

ſenſus, quamvis maximus, exiguus tamen præ reliquorum omnium, qui domi manſerant, ſtudio videretur. Quo loco, quomodo conventuum illorum autoritas, ſcripto eo, quod Serenitatis Veſtræ nomine traditum nobis eſt, elevetur; partim miramur, partim non ſatis intelligimus. Non intelligimus id, quod ex Iurisconſultorum externorum autoritate, quæ apud nos tamen, & in hoc Regno, quod proprio quodam ſuo jure utitur, nulla unquam fuit, affertur; id quod ab initio nullo juris fundamento nitatur, progreſſu temporis non fieri firmum. Quod enim alias aliquo jure validum non ſit, id a tempore firmitudinem non aſſumere, notum eſt: quod autem in voluntate atque conſenſu aliquorum totum poſitum ſit, id, quo minus non quidem a tempore, ſed ab ipſa hominum voluntate atque aſſenſu, quandocunque ea declarentur, perficiatur, cauſæ nihil videmus. Neque enim a ſpatio aliquo temporis, ſed ab omnium ordinum conſenſu, qui in conventibus iis declaratus eſt, & quo omne jus Regni continetur, autoritatem conventibus iis attribuimus. Neque vero ſine cauſa, vel indicti ii fuerunt, vel autoritas eorum tanta apud nos eſt. Ea enim, cum & hominum & rerum natura ſit, ut in omnibus controverſiis nemo tam ab omni jure deſtitutus ſit, quin aliquid juris ſe habere præ ſe ferat, ejus tamen, qui jure, non vi, agere velit, eſt, ut maxime juris aliquid habere ſe putet, judicio id obtinere. Judex controverſiæ hujus nullus alius quam ipſa nobilitas,

cujus

cujus ſuffragiis Regnum defertur, eſſe poteſt. Itaque cum & ſuperiore electione D. Stephani Regis in diverſa ſtudia animi hominum diſtracti eſſent, ad hanc ſolam rationem decurſum fuit; ut is legitimus ab omnibus Rex haberetur, qui per conventus nobilitatis ab omnibus Rex approbatus eſſet. Eodem more, cum nunc Sereniſſimi Sigismundi Regis electio ab omnibus recepta ſit, non tam tempore confirmata illa eſt, quam omnium ordinum conſenſu atque voluntate renovata quodammodo ac ſancita. Quæ præterea ad ipſorum conventuum autoritatem infirmandam ſcripto illo afferuntur, cujusmodi ſint, S. V. ipſam ſatis perſpicere nobis perſvademus. Partim enim, qui S. V. faverint, conventibus iis non interfuiſſe, partim proteſtati contra eos fuiſſe, partim eorum ipſorum conventuum decreta, variis artibus, & per vim nobilitati extorta fuiſſe dicuntur. Si qui cum S. V. faverent, numero & autoritate ſuperiores aliis eſſe poterant, & tamen voluntate a conventibus iis abfuerunt, non magnum certe ſtudium eorum in S. V. fuit; ſi propterea abfuerunt, quod & ſuæ paucitatis, & aliorum voluntatis conſcii ſibi eſſent, id quod ſæpe nos jam teſtamur, pauciſſimos quosdam contra omnium conſenſum S. V. eligere conatos fuiſſe, abſentia ea ſua, teſte conſcientia eorum, ipſi comprobarunt. Miramur autem id factum eorum ad publicam autoritatem infirmandam commemorari, de quo vel maxime homines queruntur. Nihil enim indignius omni-

Digitized by Google

bus adhuc visum est, quam quod cum universæ nobilitatis, atque Reipubl. adeo nomen sibi imponant, judiciis tamen nobilitatis se, aut suffragationem suam committere ausi non fuerint: conventusque, qui vel electionem sequi, vel coronationem præcedere soleant, partim nullos indixerint, partim totam eam rem, suæ potestati atque arbitrio reservarint; ut quemadmodum invitis omnibus Regem nominarunt, ita clam omnibus inducere eundem possent. De protestatione ab aliquibus contra aliquem conventum interposita, nulla sane nobis constat: si quæ autem clam interposita ab aliquo fuit, præterquam quod paucitatis eorum index ea sit, non plus etiam valere eam posse nemo non videt, quam in omnium ordinum consensu, unius atque alterius dissensio valere vel soleat, vel debeat. Verum quoniam protestationis facta mentio est, quid in hoc genere contra S. V. nominationem a plurimis ex nobilitate factum sit, vel ex iis ipsis oratoribus suis, quos nuperrime ad nos misit, cognoscere S. V. potuit. Quibus præsentibus, non defuerunt, qui cum a paucis illis nominatoribus S. V. diu ductos se dicerent, cumque sancte ab illis promissum sibi fuisset nunquam ad S. V. nominationem eos accessuros, cum ad eam nihilominus progressi fuissent, publice contra eam se protestatos esse confirmarunt. Alii ad subscriptionem decreti ejus, partim minis, partim vi pertractos se ostendebant: alii cum subscripsisse se illi faterentur, postea tamen, cum reliquam nobilita-

bilitatem palatinatus ſui plane ab ea nominatione abhorrere reperiſſent, quod ſine mandato tribulium ſuorum feciſſent, ſe quoque non amplius ratum habere teſtabantur. Non deerant alii, qui partim ſuum nomen inſciis ſe inter ſuffragatores S. V. relatum; partim aliorum, qui aliquot annis ante, quam S. V. nominata eſſet, mortui eſſent, ſimili audacia in numerum eum relata profiterentur: & præſentibus quidem, quemadmodum oſtenſum eſt S. V. legatis, ex quibus rectius tota de re edoceri S. V. poterit, profiterentur. De modo, quo conventus ii adminiſtrati ſint, non neceſſe eſt multis nos diſputare, cum univerſa nobilitas Regni hujus teſtis ejus rei ſit. Ad conventum quidem Viſſicienſem, præſidium adhibitum fuiſſe, Cracoviam etiam celerius, quam nos ipſi maluiſſemus, contendiſſe nos non negamus; ejus autem rei, qui culpam ſuſtinere debeant, nos ne, qui nulli certe vim fecimus; an qui antea loca, in quibus is conventus haberi debebat, per vim occuparant, armatisque hominibus ea tenebant, Serenitatem denique Veſtram, ſub id ipſum tempus, dum nos de Republ. ibi conſultaremus, armatam in fines Regni inducebant, quilibet facile judicare poteſt. Cæteroquin ſumma omnium, qui aderant, voluntate, quæ Reipubl. præſens periculum flagitabat, decreta ſunt: ac quæ decreta, eodem in loco, ut erant perſcripta, recitata, recognita, obſignata: vim etiam cuiquam vel in illo, vel in aliquo conventu factam eſſe, quo minus libere, quæ viderentur, dicere quisque poſſet,

omnino negamus. Verum ut melius tota de re judicium S. V. facere posſit, id saltem consideret, velimus, ut forte vel artibus quorundam, (ut Serenitati Vestræ inculcatum videmus:) vel vi, in diversam sententiam pertrahi aliqui potuerint, quod tamen nunquam factum est, id certe, ut ex tot diversis & distantibus locis, tot homines unum in locum cogerentur, & convenirent, nulla cujusquam vel autoritate, vel vi effici potuisse. Jam vero quicunque ad conventus eos confluxerunt, ex autoritate constitutionis Varsavienſis, qua Sereniſſimi Sigismundi Regis electio promulgata fuit, & dies eos, qui conventibus præstituti fuerunt, obſervarunt, & ad conventus venerunt: ita ut nemo fere ad aliquem conventuum eorum venerit, qui eandem Sereniſſimi Sigismundi Regis creationem, jam ante, quam conveniretur, non comprobasset. Itaque ad ea, quæ de Sereniſſimi Regis noſtri Sigismundi electione ſcripto eo nobis proponuntur, num ſuo loco, num rite, num ex legum præſcripto electio ea administrata fuerit, ſummatim, & vere nunc reſpondemus, electam Serenitatem ejus fuiſſe ſuo loco; campo nimirum inter Varſaviam & villam Volam interjecto, qui locus constitutione publica ad electionem definitus fuit, in conſpectu fere omnium, neque magno adeo ab altero loco, in quo alii pauciſſimi quidam convenerant, intervallo; electam rite, ab Archiepiſcopo nimirum, more majorum, renuntiatam, ex legum denique præſcripto, quæ eum Regem eſſe jubent, qui non ſingulorum

lorum hominum, verum omnium ordinum conſenſu electus ſit. Quod porro de vi, & armis dicitur; id ne reſponſo quidem opus habet, cum a qua parte maxime vis oſtentata ſit, nemo ſit, qui ignoret. Ad Lithuanos autem quod attinet, quorum nullus Regis noſtri electioni adfuiſſe dicitur, cum in ea re plurimum ponere S. V. videatur; quantum tamen hac etiam re S. V. nominatio, Regis noſtri electione inferior ſit, videat. Ser. Regis noſtri renunciationi ſi Senatores Lithuanici non adfuerunt, in eam tamen conſenſerunt, & multis partibus plures, quam in S. V. nominationem: ex nobilitate autem Lithuanica aliqui tamen illi interfuerunt. In S. V. nominationem ſi duo forte Senatores Lithuanici conſenſerunt, renunciationi tamen non interfuerunt: nobilitas Lithuanica, quæ interfuit, quemadmodum & maxima pars nobilitatis Polonicæ, publice contra eam proteſtata eſt, ſeceſſionemque ab ea fecit. Jam vero de Senatoribus Lithuanicis vere confirmari a nobis poteſt, prius quam ad electionem accederemus, Lithuanicos proceres plerosque, voluntatem ſuam in Sereniſſimum Sigismundum Regem propenſam, non modo nobis, verum Sereniſſimæ etiam Reginæ ſatis declaraſſe. Quod renunciationi poſtea non interfuerint, non per nos, qui aliquoties honorificentiſſime eos invitavimus, ſed fortaſſis ne per ipſos quidem ſtetit, ſed per eos, quorum operatione, ut alia conſilia publica, ne ad ſuffragia deveniretur, omnia ducebantur; ita tum etiam ſub tempus nominationis, o-

mne genus moræ omnibus injiciebatur. Verum tamen quantus numerus cum Senatus Lithuanici, tum nobilitatis ſit, S. V. facile æſtimare poteſt. Si duos forte ex illis electioni ſuæ aſſentientes habet, num idcirco univerſam Lithuaniam ſuarum partium eſſe dicere poteſt? Cum plerique potius Senatores, ac nobiles Lithuanici, partim Sereniſſimum Sigismundum Regem in conventibus ſuis jam receperint, partim etiam cum illo ſint. Etenim ne quantum in nobis eſt, diutius S. V. in errore eo, in quo eſſe eam videmus, verſari patiamur, a quanto tempore jam fines Regni ingreſſa ſit, ut cogitet, rogamus, ſimul illud ſecum expendat; ullusne locus fere in univerſo Regno ſit, qui ſua ſponte S. V. pateat? ullusne a toto eo tempore vel Senatorum Regni, Magnive Ducatus Lithuaniæ, vel gravium aliquorum hominum concurſus ad eam factus ſit? ullusne fere denique liber nobilis, qui non ſtipendio, aut aliqua re Serenitati Veſtræ autoratus eſſet, ad eam venerit? venerunt legati ad eam pauci: illi ipſi, qui eam nominarunt: qui ſtipendia ejus acceperunt, iidem gratulatum ei ad fines proceſſerunt: in fines deinde Regni, contra omnium voluntatem introduxerunt. Cum interim aliqui, quibus ſuffragatio Serenitatis Veſtræ vel maxime niti videbatur, ad Sereniſſimi Sigismundi Regis autoritatem ſe contulerint. E contra autem Sereniſſimus Sigismundus Rex, ſumma Gedanenſium, ac totius Pruſſiæ voluntate receptus, ita iter facit, ut non modo nullos, qui ſe illi opponantre, periat; verum

cum

cum Senatorum Regni, ac Magnifici D. Lithuaniæ, tum universæ nobilitatis quotidie maximus concursus ad eum fiat. Penes illum & Episcopi plerique, & alii Senatores, ac Magistratus sunt: reliqui vero nos ita hic pro eo excubamus, ut vitam fortunasque omnes nostras in discrimen pro eo adducere non dubitemus. Talemne omnium ordinum atque hominum consensum vel obscurum S. V. esse putat, vel paucorum quorundam artificio effici potuisse? Dei ista opera sunt: & cum a Deo solo proficiscantur, tum hujusmodi sunt, ut in illis, omnium nimirum unanimi consensu, jus Regni atque electionis omne positum sit. Qua de re & scripta lex apud nos exstat, qua diserte constitutum est, non nominatione cujusquam, aut renuntiatione, sed omnium unanimi consensu Reges apud nos fieri. Verum quoniam de jure electionis S. V. respondimus, ad alia, quibus inhumanitas, & nescimus quæ alia nobis tribuuntur, facilis ac brevis reliqua responsio est, eoque brevior, quod jam ante de pleris-que fere rebus responsum a nobis est. Legatum suum audientiam sub Visticia impetrare non potuisse, S. V. queritur. Multo justius nos ea de re queri possemus, eum a S. V. legati nomine missum eo ad nos fuisse, cum quo, ex publicis decretis nostris, non modo commercium nullum esse nobis poterat, verum in quem vindicari etiam debuisset. Ferentibus ita fatis Regni hujus, externos Reges etiam antea habuimus. Sed tamen & Henricus, & deinde Stephanus Rex, cum

Regnum

Regnum ingressuri essent, primarios homines unum atque alterum suæ nationis præmiserunt. Quod enim omnium Palatinatuum Nuntios nobilitatis, sub adventum Regis, pro more in primariam civitatem convenire solere accepissent; suos homines alter Gallum, alter Ungarum uterque eo præmisit, qui non modo de adventu eorum, verum de numero etiam, ac comitatu, qui circa illos esset, certiores ordines facerent, & an omnes in Regnum recipi ordines vellent, cognoscerent. Serenitas Vestra eum misit, quem quod non modo discessionem a publico corpore fecisset, verum privatum etiam publici legati nomen sibi imposuisset, non modo audire, verum ne videre quidem, vel possemus, vel deberemus. De legatione, quam ad Serenissimum Regem nostrum missam a se S. V. ostendit, ita S. V. habeat, eam rationem Reipubl. hujus esse, ut neque a nobis sine Rege, neque a Rege sine nobis quicquam cum quoquam tractari, multo minus statui possit. Conventus quem Mogilæ intra hosce dies futurum significat, qualis futurus sit, nescimus seu potius satis jam prævidemus. Cum enim conventus hujusmodi etiam Rege in Regno existente, non nisi ex omnium, aut majoris partis Senatorum consilio indici soleant, hic cujus autoritate indictus sit, nisi forte curiæ Marscalci, qui non modo ultimus locus in senatu est, verum vix a decem annis in Senatum receptus, non videmus. Accedit huc, ut neque sine universæ nobilitatis consensu quicquam in-

Digitized by Google

in Regno hoc ſtatui poſſit: neque univerſa nobilitas unum in locum convocari, niſi prius per ſingulos diſtrictus particularibus nobilitatis conventibus indictis: in quibus, & qua de re ſtatuendum ſit, nobilitati prius proponatur, & ad generalem conventum legati a nobilitate deſignentur, mandatisque inſtruantur. Hujusmodi autem, conventum in quo omnia hæc negligantur, contra omnia exempla, atque morem habere, multo magis autem unius deinde atque alterius vel ſtipendiarii, vel vix liberi ſententia, pro publici conventus autoritate, atque nomine abuti, cujus conſilii atque incepti adeo ſit, ſua ſponte S. V. intelligere nobis perſvademus. Reliquarum rerum hæc ſumma eſt: Sereniſſimam domum Auſtriacam tanti a nobis fieri, quanti ob ejus dignitatem ac virtutes ab omnibus fieri debet, ſæpius teſtati ſumus: ab illa vero viciſſim, noſtræ etiam libertatis atque dignitatis eam rationem haberi vellemus, quæ haberi debebat. Idem de aliis Principibus, quorum conſilio ad hoc negotium ſe acceſſiſſe S. V. oſtendit, dicere poſſumus; ſummo nimirum in honore eos apud nos eſſe, de noſtris tamen rebus, & libertate, noſtro judicio, eoque liberrimo nos uti. Neceſſitudine qua S. V. Jagellones attingere ſe ſignificat, quantum Sereniſſimus etiam Rex noſter eam antecedat, ut qui, quaſi proxima propago Jagellonum ſit, S. V. intelligit. Ut pactorum jam taceamus, quæ cum hac ſtirpe Jagellonum, a qua Sereniſſimus Rex noſter proficiſcitur, Sereniſſimæ domui Auſtri-

acæ,

acæ, illisq; ipsis Principibus, qui a superioribus Jagellonibus proficiscuntur, ne altera alteri impedimento sit, privatim etiam intercedunt, S. V. non oppugnamus, sed illi, nos oppugnanti, resistimus. Neque enim nos in illius ditiones, sed illa ad nos armata venit: cum ut aliorum monitorum nostrorum taceamus, ad Episcopum certe Uratislaviensem satis diserte scripserimus, hostilitatis loco nobis fore, si versus fines Regni S. V. profecta fuisset. Itaque si armatæ S. V. resistimus, nihil alienum a jure gentium fieri a nobis existimamus. Villas & ædificia vicina salva mallemus, sed ita, ut non modo illis, sed omnibus fortunis, vitaque ipsa nostra, fidem ac libertatem nostram potiorem habeamus. Intempestiva tamen nobis clementia S. V. videtur, cum his ipsis diebus ex S. V. exercitu quidam, qui certas partes urbis incenderet, immissus, a nobis captus, maleficiumque fassus, supplicio affectus sit. Captivos etiam, cum pacate se venisse ostendat, aliquot tamen nostros se habuisse S. V. non negat. Quos quidem, cum S. V. muneribus affectos omnes a se dimissos significet, plerosque tamen adhuc retineri scimus. Quorum tamen nemo est, qui in acie captus sit, sed cum ex itinere plerique excepti nobilium familiares, aut tabellarii, tum nonnulli etiam in pabulatione, quod in pace certe, quam a se S. V. servari testatur, nunquam fieri solet. Qui Rabsteinii sunt, stipendiarii sunt Reipubl. finiumque ab ea parte cura publice illis demandata est, ut si qui in fines Regni incurrerent, illis resisterent. Ut

finem

finem faciamus, hortari S. V. non desistimus, potius ut, quid non modo sibi, verum universæ Reipubl. Christianæ expediat, cogitet quam alios, ut quam leniſſime dicamus, de suis potius rebus, quam publica salute cogitantes, audiat. Cum ut prudenter præsertim S. V. monet, tale tantumque incendium inflammari possit, quod nulla unquam ætas restinguere queat, non minus autem id a S. V. quam a nobis, qui nullam ejus causam præbemus, vitari & possit, & debeat. Cæteroquin S. V. studia, officiaque nostra quam diligenter deferimus: optimamque valetudinem a Deo precamur. Majoris fidei causa, qui e nobis ad eam rem deputati fuerunt, hisce subscripserunt, signaque sua apposuerunt. Datum Cracoviæ, die III mensis Novemb. Anno Domini MDLXXXVII.

XXVII.

SCRIPTUM SERENISS. ARCHIDUCIS MAXIMILIANI NOMINE, DIE XX MENSIS NOVEMB. CRACOVIAM ALLATUM.

Ad objecta sigillatim respondet & calumnias explodit, tum intentatis minis urbem sibi absque mora pandi postulat.

AD scriptum quoddam statuum atque ordinum quorundam, hoc tempore Cracoviæ congregatorum, per tubicinem Mogilam allatum, brevis responsio: Sacra Regia Maj. &c. Dominus

minus noſter clementiſſimus, ad ſcriptum quoddam per tubicinem allatum, ſic reſponſum eſſe voluit. Ac primum quidem de electionis ſuæ jure alienum eſſe cenſet amplius contendere, quum de eo ſatis jam ſuperque conſtet paſſim, non ipſis tantum Polonis & Lithuanis, qui ipſis electionis comitiis interfuerunt, ſummis ac nobiliſſimis viris, atque omnis generis hominibus aliis, ſed iis etiam, qui longe abfuerunt, & quæ ibi publice ac privatim geſta ſunt, auditione acceperunt.

De loco ipſo non lubet juveniliter cavillari; quum neminem jam lateat id, quod antehac quoque in priore Maj. ſuæ reſponſo ſatis oſtenſum fuerat, intra illius campi amplitudinem, de quo in hoc ſcripto agitur, certum quendam & definitum fuiſſe locum, ſuisque terminis circumſcriptum, paceque publica conſtabilitum, & conſenſu omnium firmatum, atque ad hunc unum eligendi Regis actum ſolenniter conſecratum, extra quem nullus legitime Rex nominari aut potuit, aut debuit. Quo ipſo argumento cum illis comitiis, quibus Rex Stephanus electus eſt, tanquam totius ſuæ cauſæ atque electionis firmiſſimo fundamento innixi fuerint illi, qui Divi Maximiliani Cæſaris, ſuæ Maj. parentis, electionem impugnarunt; mirum ſane nunc videri queat, nullam hoc tempore illos ipſos in eodem argumento vim ſtatuere, ſed id prorſus rejicere. Idem de D. Archiepiſcopi nominatione fere dici poteſt: cujus ſi tanta, tam neceſſaria in nomi-

natione

natione autoritas ac poteſtas eſt, cur Divi Maximiliani, quem Archiepiſcopus publice, de ſententia omnium, Regem dixerat, electionem repudiarunt, & contra Bathorium advocarunt; qui non ab Archiepiſcopo, ſed ab uno ex nobilitate nominatus fuit? Sed hujus generis exempla alia quoque peti ex hiſtoriis hujus gentis poſſunt, quæ illi ipſi in Bathoria electione ſua ad dictæ nominationis ſuæ confirmationem citarunt, & nota in vulgus etiam ita ſunt, ut ſupervacaneum ſit, ea commemorare. Ut illud etiam obiter dicatur, nullam unquam ullius Regis, aut cujusvis alterius Principis electionem aliter, quam uno loco certo ac definito ad eam rem loco, & tempore eligi ſolitum fuiſſe, non apud Chriſtianos tantum, ſed apud omnes omnium religionum homines.

Quod autem adfertur de eorum acceſſione, qui poſt electionis comitia, variis artibus, ad factionem ſuam pertracti ſunt, idem quod antea reſponderi poteſt, nullum jus eligendi Regis, extra illa univerſalia comitia, nullum amplius locum, nullum tempus præſcribi potuiſſe.

De Lithuanorum paucitate quæ dicuntur ab iis, qui præſentes fuerunt, refelli vere poſſunt. Mirum autem eſt, id ab eis objici, qui nullum Senatorem, nullam in ſua tumultuaria illa electione nobilem Lithuanum ſe habuiſſe, ſuo illo univerſali, ut vocant ipſi, teſtati ſunt. Quum autem Senatorum paucitatem objiciunt, non videntur meminiſſe, in Stephani electione multo pauciores

res se Senatores habuisse: illius quoque obliti sunt, quod tum plenis buccis clamitabant, & in hoc quoque scripto non obscure significant; nobilitatis æquale jus & Regis eligendi parem esse potestatem; qua in re sibi ipsis repugnant, ut sæpe alias in hoc scripto.

Quod autem electores ejusdem fere familiæ omnes fuisse asseritur, id ex odio privatorum quorundam dicitur: & subscriptorum atque aliorum plurimorum, qui Maj. suam elegerunt, nec tamen subscriptionem nominum suorum necessariam esse judicarunt, testimonio refutari potest, qui familiæ illi, quæ innuitur, nullo cognationis, nullo sanguinis, nullo necessitudinis ullius vinculo adstricti sunt.

Quod dicitur multos ad Sveciæ Principem confluxisse, contra id vere quoque affirmari potest, multis partibus plures numero esse eos, qui illum pro Rege non agnoscunt, sed Serenissimum Maximilianum Regem volunt, quod & litteris infinitorum ostendi potest, & protestationibus in omnibus fere Palatinatibus interpositis demonstrari. Quodsi Regiæ Maj. visum fuisset per totum Regnum ita vagari, & non potius huc recta contendere, tum vero sine omni dubitatione innumerabilis horum multitudo, tum ex Polonica, tum Lithuanica, atque aliarum Regni partium nobilitate, ejus Maj. sequuta fuisset, & ad coronationem deduxisset.

Quod autem ad particulares illos conventus, quibus Regiæ Maj. electioni derogatum volunt, attinet;

attinet, ſatis aperte intelligi poteſt, eos, qui Regiæ Maj. partes ſequuntur, non alia certe de cauſa frequentes ad illa conventicula convenire noluiſſe, niſi ut ne R. M. certum atque indubitatum jus, ac legitimam electionem, in controverſiam dubiumque revocare, ſuaque præſentia, contrarias illas dignitati & Reipubl. ſaluti conſultationes comprobare, aut ullum omnino aliud juſtiſſimæ ſuæ cauſæ præjudicium adferre voluiſſe viderentur. Itaque dicta illa conventicula aut prorſus contempſerunt, aut ſatis eſſe judicarunt, ſi primariæ nobilitatis & autoritatis viros eo ablegarent, qui contra illorum decreta proteſtationes interponerent, ac nulla eſſe profiterentur. Id autem ita clam fieri non potuit, quin omnibus, præſertim vero iis, qui Reipubl. gubernacula tractant, ignotum eſſe debuerit. Quare ridiculum eſt eorum hac in re ignorantiam prætendi, quum vel in duobus majoris Poloniæ Palatinatibus pene bis mille nobilium (ut alii Regni Palatinatus prætereantur) proteſtatio interpoſita fuerit, contra malas quorundam molitiones, qui nobilitatis privilegia, & libertates, quas Regia Maj. ſalvas vult, opprimere & tyrannidem in nobiliſſimum & liberrimum Regnum introducere omnibus artibus conantur.

Ad eos quod ſpectat, qui Cracoviæ, coram R. M. oratoribus, minis, ac vi, ad ſubſcriptionem ſe fuiſſe adactos, alios item, qui a priori ſententia ſua ſe diſcedere, atque eos homines, qui aliquorum partim invitorum, partim jam mortuorum

nomina inter ſuffragatores relata, ſine pudore affirmare non dubitarunt, ii certe non ſatis digni videntur, quibus reſpondeatur, cum ipſa eorum oratio, qua turpitudinem ſuam detegunt, quali ſint ingenio præditi, & quantum talibus ſit tribuendum, ſatis aperte cuivis demonſtret.

Conventus ad Mogilam indictus, & jam etiam abſolutus, qualis fuerit, res ipſa ſuo tempore declarabit. In univerſum illud dici poteſt, eſſe hos quoque pari nobilitate cum aliis, qui ab eis diſſentiunt, fratres eorum & conſangvineos, eadem libertate, eodem jure, iisdem privilegiis uti frui. Quare indignum eſt eos, qui nunc Cracoviæ incluſi ſunt, ludibrio æquales & conſangvineos ſuos habere, eisque, qui non nobilitate, non ullis rebus aliis, quæ quidem aliquam laudem mereantur, illis cedunt, inſultare voluiſſe.

Quod ad Marſcalcum Curiæ attinet, qui comitia illa edixit, id ille non ſua propria, ſed communi omnium voluntate fecit: neque quenquam jam latere poteſt, quemcunque ille locum in Senatu obtineat, aut quocunque in eum tempore receptus ſit, parem ipſi ex legum præſcripto, cum Regni Marſcalco, ſi ille abſit, autoritatem competere.

Quod ad præmittendos legatos, ante adventum ſuæ Maj. in Regnum attinet, præterquam quod id factum eſſe jam memoria iis excidiſſe videretur, qui omnia odioſe ad unguem reſecant, & omnia carpere in animum induxerunt, illud reſpon-

reſponderi poteſt, eo loco natam atque educatam eſſe Regiam Maj. ut, quid dignitatis ſuæ fuerit, quæ hoc tempore poſtulaverint, per ſe ſatis intellexerit, ut nullo aut monitore, aut magiſtro opus habuerit.

De armato comitatu, illud ipſum breviter repeti poteſt, quod legati Maj. Regiæ oſtenderunt, armatos iſtos non ad vim inferendam, ſed propulſandam adductos eſſe, idque honoris potius & officii, quam bellandi cauſa, quum tantum Principem nudum, atque penitus inermem, in hoc Regnum progredi non decuerit. Ab omni autem vi in hunc diem Maj. Regiam ſe ſuosque cohibuiſſe, etiamſi ſæpenumero laceſſita fuerit, vel illud oſtendit, quod tot ſeptimanas pene in otio fuerit, & ad moderata ac pacifica conſilia, toto animo incubuerit, patienter & paterno plane affectu interea expectando, ſi forte ii, qui tam obſtinate, ac ſine ulla cauſa Maj. ſuæ reluctantur, ab officium revocari poſſent. Poterat certe Maj. ſua, Dei auxilio, & Cracoviam, & alia loca interea expugnare, & divexare; ſed pietati & bonitati ſuæ conſentaneum eſſe judicavit, omnia prius experiri, quam ad hæc talia remedia deſcendere, quorum uſus eſſe ſolet, contra pertinaces, & patriæ publicæque ſalutis hoſtes.

Illud autem, quod ab aliquo impudentiſſimo homine confictum, & in hoc ſcriptum, ad quod nunc reſpondetur, temere conjectum eſt, ſubmiſſum ſcilicet aliquem fuiſſe, qui etiam ſupplicio affectus fuerit, qui aliquam urbis partem incende-

Digitized by Google

ret, tam eſt putidum, tam ab omni veritate, atque adeo a Maj. ſuæ bonitate alienum, ut refutatione nulla indigeat.

Quum Maj. Regiæ viſum fuerit urbem iſtam aggredi (quod certe tandem facere eam oportebit, ſi adhuc obſtinate ſe excludi ſentiet) aliis eam machinis adorietur, aliis viribus, non privati alicujus incendiarii opera. Sed hæc calumnia perſimilis eſt illis, quæ multæ ex ſermonibus & litteris, falſo & procaciter paſſim divulgatæ per Regnum ſunt; in quibus illud etiam ſine omni verecundia affirmatum fuit, Maj. Regiam ad internecionem cum exercitu ſuo fuſam & profligatam jam ex Regno profugiſſe: item in eas jam anguſtias redactam eſſe, ut miſſionem ex Regno ſupplex petat, modo eam impetrare poſſit, ſed fruſtra id eam petere ab eo, qui harum & ſimilium calumniarum, ac ſibi, patriæque perniciosorum conſiliorum architectus & autor præcipuus eſſe dicitur.

Inclytam domum Auſtriacam, & M. S. Regiam, in honore a ſe haberi, quod Cracovienſes ſtatus & ordines affirmant, verbo quidem id dicitur, cæterum res ipſa plane contrarium evincit.

Quod autem ipſorum conſilio, & mandato, in vicina Sileſia, contra pacta & fœdera, incendiis, & direptionibus, aliquot loca jam vaſtari cœpta ſint, id in quam partem Sac. Cæſ. Maj. & alii confœderati Principes accepturi ſint, tempus indicabit.

Sed

Sed non placet Regiæ Maj. pluribus ad ſcriptum iſtud hoc tempore reſpondere: ſuum autem jus, & electionem, re ipſa magis quam verbis aſſerere cogitat, præſertim accedente tanta nobilium, & primariorum virorum, utriusque nationis, Polonicæ & Lithuanicæ, conſenſu & unanimi voluntate.

Calumnias vero iſtas, & criminationes infinitas, quas aliquos harum ineptiarum fabricatores effutire non pudet, tempus ipſum & veritas in apertum proferet, & Deus ipſe ſummus innocentiæ patronus vindicabit.

Cæterum ſtatus & ordines nunc Cracoviæ congregatos, benigna Maj. Regia hortari iterum atque iterum voluit, ut ſi ſe, uxores, liberos, fortunas ſuas, civitatemque ipſam ſalvam cupiunt, intra hos paucos dies (dum tempus & occaſio adhuc fert) urbem Maj. ſuæ pandant, eamque pacifice recipere in eam potius, quam extrema omnia perferre velint. Id ſi fecerint, & de ſe, & de patria ſua, & de Maj. Regia optime mereri, & omnem Maj. ſuæ gratiam & benevolentiam, certiſſime expectare poterunt. Quos S. M. Regia valere optat, ſuamque illis gratiam defert. Mogilæ XIX Novembris, Anno M D LXXXVII.

XXIIX.

ORDINUM REGNI POLONIÆ AD SERENISS. ARCHIDUCEM MAXIMILIANUM EPISTOLA.

Reſponſi juſto tempore non transmiſſi cauſam afferunt, transmittunt tamen & meliora conſilia apprecantur.

SEreniſſ. Princeps, Dòmine obſervandiſſime. Cum reſponſum hoc ad S. V. ſcriptum jam paratum haberemus, in eoque eſſemus, ut ad S. V. id mitteremus, vis a S. V. heri nobis facta, quominus tum id fieret, nos retinuit. Cujus quidem eum exitum Deus eſſe voluit, qui injuſtæ vis eſſe ſolet, quemque in poſterum etiam futurum non dubitamus. Nunc cum in eo ſcripto, de jure ſuo iterum S. V. pluribus diſputarit, committendum non putavimus, quin reſponſum hoc nihilominus ad S. V. mitteremus, ut an hujusmodi jure freta, quale ſe habere, etſi jam ante etiam ſatis perſpexit, ex hoc tamen ſcripto amplius etiam perſpicere poterit, hominibus liberis vim facere debuerit, diligentius ſecum perpendere poſſit. Quod reliquum eſt: S. V. optimam valetudinem, conſiliaque juſtitiæ, ac publicæ ſaluti conſentanea optamus. Cracov. die XXV menſis Novemb. A. Dni. MDLXXXVII.

XXIX.

EORUNDEM ORDINUM AD SUPERIUS SCRIPTUM RESPONSUM.

Hactenus objecta ex legibus Regni confirmant, & incendiarium ex ejus exercitu Cracoviam immiſſum aliaque ſibi illata damna fuiſſe probant, atq; Deo cauſam ſuam permittunt.

Sere-

SEreniſſime Princeps, Domine obſervandiſſime. Etſi neque legationibus, neque ſcriptis amplius cum S. V. agere in animum induxiſſemus, quod illis parum nos proficere apud S. V. animadvertebamus, in his autem iis verbis tractari nos videremus, quæ non modo animos hominum magis alienarent, verum quibus nos etiam reſpondere a dignitate noſtra alienum ſtatueremus: tamen, cum denuo novum ſcriptum hoc S. V. Mogila ad nos miſſum eſſet, committendum non putavimus, quin breviſſime ſaltem illi reſponderemus. Ac de jure quidem electionis S. V. ne nos quidem amplius dicendum nobis putamus, quam jam ante dictum eſt: ſatisque gravem omnium earum rerum, quomodo & ab initio actæ ſint, & nunc adminiſtrentur, teſtem, cum aliorum omnium, tum noſtram conſcientiam habere nos putamus. Ad ea autem, quæ de loco, atque de Archiepiſcopi jure S. V. repetit, ultra ea quæ non juveniliter, ſed ex omnium ætatum memoria jam ſæpe a nobis demonſtrata ſunt, id breviter dicimus. Jus electionis non ad certum aliquod loci veſtigium alligatum eſſe notius eſt, quam ut quisquam, qui aliquantulum in inſtitutis Reipubl. hujus verſatus ſit, dubitare de eo poſſit: ſed eſt tamen certa quædam ejus rei ratio ac modus. Ita enim in loci jure nihil poſitum eſt, ſi ii, qui loco ab aliis ſejuncti ſint, conſilia tamen ſua ab aliis, quantum in ſe eſt, non ſejungant; ſed cum e loco paululum receſſerint, animis tamen atque voluntate una cum aliis conjuncti eſſe cupiant.

Quæ cum non modo nunc in hac Sereniſſimi Sigismundi III Regis electione a nobis, verum ante etiam in electione Henriciana, & proximo poſt eam interregno ſub Stenſicia, cum verſus Secechi maxima pars nobilitatis feceſſiſſet, omnia præſtita ſint: ab iis autem, qui in D. parentis S. V. electione a nobilitate diſceſſerant, omnia ſecus adminiſtrata fuerint, non mirum S. V. eſſe debet, ſi ejusdem quidem rei, diverſo tamen conſilio & ratione adminiſtratæ, non idem jus eſſe ſtatuatur. Illi enim, qui D. parentem S. V. nominarunt, cum ſententiæ diverſæ eſſent, de iis autem civiliter ſine ulla verborum injuria atque contumelia ageretur, inque poſterum diem ulterior deliberatio expectaretur, nulla gravi cauſa adducti, præter omnium expectationem feceſſerunt, locum ceperunt, eundem armatis hominibus ſtatim ſepſerunt, ex eoque legatos ad nobilitatem miſerunt. Qui priusquam e conſilio nobilitatis diſceſſiſſent, alii non expectata ſententia nobilitatis, eodem die, quo feceſſionem fecerant, ad nominationem proceſſerunt. Nos ita alium locum cepimus, ut & graviſſimam ejus rei cauſam haberemus, & de inſtituto omni noſtro, publice omnes prius doceremus, ad conſilia autem communicanda diutius, quam per integram ſeptimanam, alios invitaremus, quæque inter nos agerentur, quotidie illis denunciaremus, ita ut, quæ in ſingulas fere horas apud utrosque fierent, neminem fugeret, omnino ut nihil intereſſet, quam ſi uno atque eodem in loco res geſta eſſet.

Præ-

Præterquam quidem, quod antequam ad nominationem etiam accederetur, an eo loco Regem renunciari placeret, nominatim a Marſcalco Regni ordines rogati, exque omnium tam Senatorum, quam aliorum, qui ex nobilitate aderant, ſententia, antequam Rex renunciaretur, locus etiam legitimus renunciatus fuerit. Eadem autem fere ratio Archiepiſcopi prærogativæ eſt. Ita enim Archiepiſcopus Princeps Senatus eſt, ut omnium quidem ordinum ſtudiis ac voluntati præire debeat, ſejungere autem ab iis non ſe debeat, neque autoritatem ſuam retinere poſſit, ſi omnium ordinum autoritati ipſe ſe opponat. Quare, ſi qui aliquando ex iis exſtiterunt, quod tamen vix ſemel atque iterum accidit, qui contra univerſæ nobilitatis conſenſum pugnarent, nobilitas in Rege creando ſua tamen libertate & arbitrio uſa fuit. Itaque D. Stephanum, a Nicolao Sieninſcio, Succamerario Chelmenſe, Regem declaratum non inficiamur ab eodem Marſcalco nobilitatis, quem conjunctis animis, nobilitas univerſa Marſcalcum prodiderat, ita deinde, ut univerſa nobilitas præſens renunciari eum juberet; cum S. V. ita ab Epiſcopo Kiovienſe nominata fuerit, ut magna pars nobilitatis, etiam ex iis, qui ad illud tempus conſilia cum illis communia habebant, præſertimque, qui ſpe de Moſco ducti fuerant, in iisque Lithuani, præſentes nominationi ei contravenirent. Neque tamen ea re juri atque dignitati Archiepiſcopi quicquam derogatum fuit: ſed Archiepiſcopum, non privata autoritate, ſed ex omnium ordinum con-

conſenſu Reges nominare oſtenſum, quod maxime in Joannis Alberti electione apparuit, contra quam cum Archiepiſcopus ſummis opibus niteretur, omnium tamen ordinum conſenſu victus, non modo ab eo ſe non ſejunxit, ſed eundem, a quo diſſentiebat, inſignibus etiam Regni initiare non dubitavit, cum contra animi ſui ſententiam id ſe facere publice teſtaretur, plus autem quam ſuam autoritatem univerſæ nobilitatis conſenſionem valere debere, ſimul oſtenderet. Quæ cum ab hujusmodi Archiepiſcopo, qualis præſens hic eſt, qui nimirum nihil præter dignitatem atque libertatem publicam propoſitam habeat, omniaque conſilia ſua ad ſalutem patriæ atque omnium conſenſum referat, pronunciatur, eo illuſtrior ac teſtatior eſt, quam ſi per alium eadem declaretur. Idem etiam de Senatoribus fere dicere poſſumus, quos omnes fere tam ſacri, quam civilis ſtatus Sereniſſimi Sigismundi Regis partes ſequi S. V. quemadmodum neque poteſt, ita ſcripto etiam illo non diffitetur. Ut enim aliis in rebus, ita maxime in electione pari reliquam nobilitatem cum Senatoribus jure uti non negamus. Itaque Senatus quidem, ſine maximæ partis, id eſt, nobilitatis conſenſu, invitis Regem imponere non poteſt: cum autem ad Senatus autoritatem aliorum omnium conſenſus accedat, quanto is firmior atque major ſit, facile S. V. intelligit. Nos vero non ſolum Senatorum, verum maxime etiam nobilitatis conſenſu deſtitui Serenitatem Veſtram oſtendimus. Tota igitur res eo

reci-

recidit, quod jam ſæpe dictum a nobis eſt, omne electionis jus, in omnium ordinum conſenſu ponendum eſſe: de quo cum conſtet, fruſtra de aliis rebus diſputari. Quod jus cum ratio ac res ipſa in hujusmodi cauſa omnibus præſcribat, apud nos tamen ſcripta etiam lege, cujus antea etiam facta mentio a nobis eſt, conſtitutum eſt: diſerteque latum, non renunciationem cujusquam, vel nominationem; ſed omnium conſenſum, Reges apud nos facere. Itaque in ſcripto etiam eo, quod S. V nomine ad nos allatum eſt, varie modo in S. V. omnium conſenſum trahi videmus, modo agnoſci quidem eum pro Sereniſſimo Sigismundo Rege, verum variis modis elevari. Ad quæ cum magna ex parte jam ante reſponſum a nobis ſit, nihil hoc loco amplius reſpondendum putamus. Ad reliqua ſaltem ſcripti ejus capita, quæ reſponſione aliqua opus habere videntur, breviter reſpondebimus. De Lithuanis ita ſe rem habere, quemadmodum a nobis narrata eſt, non modo proceres Lithuanici ipſi teſtari poterunt, verum eorundem etiam plerorumque ad Sereniſſimum Sigismundum Regem profectio jam oſtendit, adventusque cum eo brevi declarabit. Qui S. V. nominarint,, unius plerosque familiæ eſſe: pauciſſimos denique eſſe, non modo nos, verum res ipſa loquitur. Miſit S. V. ad nos per eundem tibicinem, per quem ſcriptum id miſſum fuit, confirmationem electionis ſuæ, nonnullorum ſignis obſignatam. Ut de re ipſa, totiusque ejus rei autoritate jam non diſputemus,

id

id saltem dicemus, nullorum aliorum signa, aut chirographa animadvertere nos potuisse, quam qui ab initio S. V. nominarint; quorum tamen nonnullos die, qua contra omnem morem acta ista & signata scribuntur, non adfuisse intellexi-mus. Quam novum autem sit, unius actionis eosdem & actores, & confirmatores esse, facile S. V. ipsa æstimare potest. Quod multis partibus plures esse dicitur, qui Sereniſſimum Sigismundum Regem non agnoscant, Serenitatem autem Vestram Regem velint, cum verbo affirmetur, non modo verbo a nobis negatur, sed res ipsa etiam refutat. Neque enim vel ii soli ad Sereniſſimum Sigismundum Regem confluunt, ad quos itinere suo ille pervenerit, cum ex remotiſſimis Regni partibus frequentiſſimi ad eum conveniant: neque non eodem modo ad S. V. etiam ex diſſitis locis convenire possent, qui S. V. studia sua addixiſſent, quo nonnulli ejus nominatores convenerunt, si qui præter eos S. V. nominationem sequerentur. Particulares conventus propterea non obiiſſe suffragatores Serenitatis V. ostenditur, ne S. Vestræ certum atque indubitatum jus, ac legitimam electionem in controverſiam dubiumque revocarent. Ex eo quanto firmius atque indubitatius alterius partis jus fuerit, S. V. conjicere potest, qui suffragationem suam univerſæ nobilitatis judiciis, omnibusque conventibus, ad quos præsertim Serenitatis etiam Vestræ suffragatoribus venire integrum fuit, committere non dubitarint. Est enim il-

lud

lud certe, ut quam leniſſime dicamus, fugientium: hoc jure & cauſa ſua fidentium. De proteſtationibus, quæ ẽlam interpoſitæ dicuntur, idem, quod ante, dicimus; ſi quæ objectæ ſint, non plus quam unius atque alterius diſſenſionem in omnium conſenſu valere eas poſſe. Nam quod de bis millium fere nobilium in duobus majoris Poloniæ Palatinatibus proteſtatione dicitur, primum publice quid hujusmodi actum eſſe, non inaudivimus, deinde vero non contra electionem, ſed contra molitiones quorundam interpoſita dicitur. Quæ quid cum electione commune habeant neſcimus: multo magis autem, an in Republ. legibus conſtituta contra molitiones, ſi quæ exiſtant, ſubſcriptionibus hujusmodi, ac non judicio publice agi vel ſoleat, vel debeat, ipſi conſiderent. Verum quemadmodum oſtendimus, neque qualis illa proteſtatio ſit, neque quo loco, aut tempore facta dicatur, aut quibus de rebus, ſcimus. Quod ſi exhibita fuerit, ſi quid ad nos pertinere viſa fuerit, cum videremus eam, reſpondebimus. Hujusmodi autem ratio proteſtandi, cum in illis ſcripto eo probetur, qui vel pro S. V. vel contra alios proteſtati dicantur; miramur eandem libertatem iis, qui coram S. V. legatis non tam proteſtati ſint, quam quomodo tota res acta, profeſſi, eodem ſcripto turpitudini ac vitio verti. Conventum ad Mogilam abſolutum eſſe intelleximus: & etiam a quibus, & quomodo peractus ſit. Nam quod eosdem, qui conventum illum peregerint, pari nobilitate, ac jure, fratresque ac

cor-

consangvineos nostros esse dicitur, id nos de iis, quorum jus, vel judicio aliquo, vel aliis modis imminutum sit, quorum non paucos cum S. V. esse scimus, non recipimus. Alios autem, qui integro & jure, & existimatione sint, ita pro fratribus habemus, si ipsi fraterne se erga nos gerant, id est, si primum, cum fratres nostri sint, jus aliquod in nos, qui pari jure sumus, non usurpent, multo minus autem pauciores in plures, deinde vero, si illegitime, atque contra jus, & exempla majorum nihil statuant: maxime autem, si ab omnium consensu atque Republ. quæ communis omnium nostrum parens est, non se sejungant. Quæ omnia secus ab illis, & alias, & nunc facta sunt. Etenim ut quomodo conventus hic indictus sit, nunc solum quæramus, ita certe indictum S. V. reperiet, quomodo nullus unquam in Polonia conventus habitus fuit. Primum unius fere autoritate, de qua tamen ne nobis quidem multis disputare libet: sit sane ita, vicarium illum, Regni Marscalci munus sustinere, conventum tamen publicum, ex propria autoritate, vel paucissimorum quorundam autoritate, non modo Senatori cuiquam, sed ne Regi quidem habere permissum est. Jam vero non id solum questi sumus, quod unius autoritate is indiceretur, sed quod contra omnium temporum morem, atque exemplum, libertatemque publicam, particularibus per Palatinatus conventibus prius non habitis, ullum conventum quisquam habere, vel simulandi causa in animum inducere potuerit.

rit. Ne jam qui & quot illi interfuerint, inquiramus: cum id & subscriptiones eorum ostendant, & ejusdem rei mutua conscientia testis unicuique eorum esse possit. Ut taceamus etiam ita peractum, ut in plerisque provinciis, ac locis, nihil de conventu eo sciri posset: omnia denique, quæ agitata ac susceptа in eo sint, contra morem, consvetudinem, legesque atque jura omnia Regni hujus, susceptа ac perscripta esse. Ita ut totam Reip. formam atque rationem penitus conversam & immutatam voluerint. De legatis præmittendis, si S. V. monitore nullo opus habet, at libertas ac salus nostra cura certe hujusmodi, quæ a nobis adhibetur, opus habet: Regnum vero hoc hujusmodi etiam Rege, qui non modo monitores libenter audiat, verum ex præscripto legum nostrarum audire etiam debeat. An pacate ad nos S. V. venerit, dubitationem habere non potest, cum, quid actum sit, quidque fiat, non modo res ipsa, verum oratio etiam scripti hujus sua sponte ostendat. Nam ut de extrema parte ejus, ad quam paulo post respondebimus, taceamus; cum non ad inferendam vim, sed propulsandam, militem secum duxisse se S. V. ostendat, plurimos certe a sua electione dissensisse, contra quos se muniret, non ignorasse se profitetur. Contra eos autem, cum se armaret, quid aliud cogitavit, quam quod & nunc cogitare se significat, aperteque adeo denunciat, etiam maxima parte invita, armis Regnum se occupare velle? Neque enim, vel contra paucissimos S. V. armis

opus habuiſſet, neque nunc etiam Cracoviæ ſaltem non plures fere omnium ordinum ſumus, quam S. V. in univerſum ſuffragatores habeat, præter eos, qui cum Sereniſſimo Rege noſtro partim jam ſunt, partim per univerſum Regnum autoritatem ejus ſequuntur. Quomodo autem in hunc etiam diem a vi, qui S. V. ſectam ſequuntur, ſe atque ſuos cohibuerint, res ipſa nobis tacentibus loquitur. Non modo oppida nonnulla, quæ tamen pro eo titulo, quem S. V. uſurpat, maxime tueri debebat, direpta, verum templa etiam vexata, ac ſpoliata ſunt: cum Senatorii ordinis, tum complures alii homines nobiles, vel ætate, vel valetudine, vel etiam voluntate a turbis hiſce remoti ſubito oppreſſi: domusque ac res eorum direptæ: ipſi in captivitatem abducti: ne dicamus jam, ne ſexus quidem aliquando atque orbitatis rationem habitam, ac ne a viduarum quidem bonis direptionem cohibitam: alii ex itinere excepti, vel alias nihil tale expectantes capti fuerunt, inter quos legati nonnulli nobilitatis, maximeque Stanislaus Kierski, Poſnanienſis Palatinatus legatus: tum Eccleſiaſtici quidam, qui certe neque arma ulla contra S. V. tulerunt, & cum a bello ſemper abſint, a periculo etiam belli omnium gentium jure abeſſe, & ſoleant, & debeant. Incendiarium a S. V. immiſſum eſſe non ſignificavimus, (non ita male de S. V. principe eo loco nato ſentimus) ex exercitu ejus immiſſum oſtendimus. Qua de re mittimus S. V. ex actis publicis ipſius malefici profeſſionem, ut qua fide id a

nobis

nobis commemoretur, ipsa æstimare possit. Quod ad alia attinet, quæ a nobis de se S. V. sparsa queritur, legationem legati S. V. Baronis ab Herberstein perscripsisse nobis meminimus, qua is publice a nobis petiit, ut ipsi rationem aliquam reperiremus, qua vel honeste in Regno manere, vel cum dignitate ex eo excedere S. V. posset. Verum & tunc legationem eam cum litteris, quas afferebat, non convenire mirati sumus, & nunc Serenitatem Vestram id, quod publice ab illo actum esset, a nobis perscriptum esse, in aliam partem accipere: cum tamen in extremo litterarum earum, & quædam coram nobis expositurum significarit, & ut in iis fidem illi haberemus, a nobis postularit. Quod si vel fama, vel aliorum hominum sermo, ut fieri solet, quædam hisce affinxit, non nos præstare id debemus. Ad Silesiæ injurias quod attinet, graviorem nos causam querendi de populis illis habere nos existimamus: verum non hujus loci & temporis id esse videmus. Nunc quod S.V. placet, idem nobis etiam maxime videtur, ne pluribus verbis amplius hac de re disputemus. Quamvis impar quidem contentio ea est. Qualibus enim verbis scriptum id refertum sit, quilibet judicare poterit. Verum non pœnitet nos modestiæ nostræ, atque ut causa, ita ratione etiam agendæ causæ, eam omnibus nos probare. Quod ultimo loco omnium charissimarum rerum periculo ad deditionem nos S. V. hortatur, hujusmodi est, ut cum causæ, atque juri nostro, cui nunquam Deus de-

esse solet, tantum confidamus; tum vero non ita etiam vel S. V. vel nostrarum rerum imperiti simus, ut eo terreamur. Itaque quod longe justius nos facere arbitramur, ut ipsa potius non modo suæ, verum universæ Reipubl. Christianæ utilitatis rationem habeat, neque in gravius discrimen, quam adhuc factum sit, cum Regnum hoc, tum vicinas ditiones, atque magnam fortassis partem Christianitatis conjiciat, exque Regno excedat, iterum eam hortamur. Quod reliquum est, Deum, quem & S. V. summum innocentiæ patronum profitetur, eundem nos invocamus, ut qua mente & ratione ab initio quisque in causam hanc ingressus est, & deinde in ea versatus, ita exitus consiliis cujusque respondere velit; qua quidem de re nihil omnino dubitamus. Studia autem, atque officia nostra paratissima alias S. V. deferimus. Cracoviæ die XXI mensis Novemb. Anno Domini MDLXXXVII.

XXX.

ORDINUM REGNI POLONIÆ DE ELECTIONE SEREN. SIGISMUNDI III REGIS, OMNIQUE PRÆSENTE STATU, AD UNIVERSOS PRINCIPES CHRISTIANOS EPISTOLA.

Sigismundum, Suecia Principem, Regem a se electum esse nuntiant, causasque afferunt, quare Maximilianum Austriæ Archiducem pro Rege suo agnoscere nequeant.

Ut

UT nihil omnibus nobis magis optandum fuerat, Sanct. ac Beatissime Pontifex, Invictissime Cæsar, ceteriquę Serenissimi Reges, & Principes Christiani, quam ut in demortui Regis nostri locum, non modo similem illi virtute, & nobis alium Regem, & universæ Reipubl. Christianæ salutarem Principem suffecissemus; verum eundem nullo etiam dissentiente suffecissemus, ita, quæ vestra pietas est in omnes populos Christianos, vobis quoque nihil gratius cognitu futurum fuisse nobis persvademus. Facile enim pro eximia sapientia vestra intelligitis, cum nulla pars Christianitatis in discordia ac dissensione, sine universi corporis incommodo, versari possit, tum multo magis ab ea periculi esse, quæ alias, pro reliquis partibus Christianitatis, plerarumque fere nationum barbararum pericula excipit. Ut aliter tamen res caderet, seu permissu divino, seu quorundam potius hominum cupiditate accidit. Cum enim, quemadmodum jam ante delatum ad vos existimamus, Serenissimus Sveciæ Princeps Sigismundus, omnium fere liberis suffragiis, in Regem jam electus esset, non defuerunt pauci quidam, qui aliquot diebus post, Serenissimum etiam Archiducem Maximilianum non tam eligere, quam Regnum hoc in discrimen, ac mediam quasi inter duos Principes contentionem jacere non dubitarint. Ita nos a prima nostra spe depulsi, cum plenam gratulationem ad vos mittere non possemus, quod proximum fuit, utcunque res cecidisset, publice tamen mul-

tis de causis significandum vobis de ea existimavimus. Primum, quod varia a nonnullis, eaque ab ipsa re alieniſſima de electione ea nostra jactari intelligamus: deinde quod, cum eo jam progressa adversa pars sit, quo non, nisi qui extrema consilia sequuntur, progredi fere solent, si quid vel vicinis ditionibus, vel universæ Christianitati incommodi inde exstitisset, minime pones nos ejus rei causam fuisse, testificandum statueremus: ad extremum etiam, ut cum aliter eveniſſet, atque nos, & ut nos arbitramur, vos ipsi optaritis, quod casu incommodi invectum esset, id quantum ad universam Christianitatem pertineret, autoritate saltem, atque consilio vestro, pro suo quisque loco restitueretis. Totam autem rem, quomodo & ab initio acta, & quo nunc perducta sit, dum pluribus narramus, ne longiore narratione molesti vobis simus, pro vestra humanitate vereri non debemus, quæ cum sua sponte facile audientiam nobis factura apud vos sit, tum ut nos existimamus, non minus etiam res ipsa. Satis enim pro prudentia vestra intelligere vos statuimus, causam quidem nostram, periculum, quod ex ea existere possit, commune universæ Christianitatis esse posse. Ne autem altius rem repetamus; non modo ex superiorum temporum memoria, verum proximorum etiam horum annorum aliquot consvetudine satis omnibus constare arbitramur, hujusmodi hoc Regnum esse, ad quod non successione, sed suffragiis Reges vocentur, atque ita vocentur, ut, cum in aliis pleris-

plerisque quamvis liberis imperiis, vel ordo certus, vel numerus hominum, qui Principes eligant, definitus ſit, hoc Senatus atque nobilitatis univerſæ ſuffragiis deferatur. Jam nemo tam vel ab electi a nobis Regis dignitate averſus eſt, tam ſuis partibus addictus, qui ab hac parte omnem fere Senatum, atque nobilitatem, omnium denique fere conſenſum facere negare audeat. De modo atque ratione qua in electione hac proceſſum ſit, quæ, ubi de conſenſu conſtat, ad rem parum, ad jus certe nihil faciunt, diſputari nonnihil ab aliis videmus, non quod hac etiam in re peccatum aliquid ſit, vel ipſi non intelligant; verum ut diſſenſionis ſuæ, ſi non juſtam, aliquam tamen cauſam afferre videantur. De qua quidem re pluribus reſpondere nobis neceſſe non arbitramur, vel quia nihil, quemadmodum oſtendimus, cum jure, quod in conſenſu ordinum omne poſitum eſt, commune ea habet, vel quia tam illuſtri loco, totque illuſtribus hominibus teſtibus res geſta eſt, ut quomodo utrinque adminiſtrata ſit, etiam nobis tacentibus obſcurum eſſe non poſſit. Primum omnium tamen querine magis, an deplorare debeamus, neſcimus: cum publicum conſilium de omnium gravisſima re indictum eſſet, ita nonnullos & animis & copiis paratos ad id accesſiſſe, ut non de Republ. conſultaturi, ſed de privatis controverſiis ſuis armis inter ſe dimicaturi viderentur. Qua in re utrius partis culpa ſit, definiendum nobis non arbitramur: id quidem diſſimulare

non possumus, cum in proximo conventu, qui electionem hanc proxime antecesit, una pars non modo multa aspere in alteram absentem dixisset, verum gravissime etiam eandem oppugnasset, cum huic causam sui muniendi præbitam videri, tum ipsam etiam semper id professam esse, non lædendi cujusquam, sed sui defendendi causa, quicquid penes se præsidii haberet, se sibi adjunxisse. Quomodocunque sane res se haberet, cum semel in eum statum adducta esset, ut nisi in tempore obviam illi iretur, ne privatis odiis Resp. interiret, summopere verendum esset, etsi indignum nobis videbatur, ob privatas contentiones publica consilia impediri; quantum in nobis tamen esset, non modo Reipubl. verum civium etiam singulorum saluti, quam dignitati publicæ cónsulere malebamus. Itaque non modo ex ordine nostro viros primarios aliquoties ad utramque partem ablegavimus, qui de compositione diligentissime inter eos agerent, verum non raro universi etiam autoritatem nostram interposuimus; si qua ratione ad pacem atque concordiam, universæque Reipubl. autoritatem adducere eos possemus. Hic nihil dicemus aliud, quam alteram certe partem semper in potestate nostra se fore, cum verbo, tum re præstitisse: alteram nescimus quomodo, cum a pace, tum ab omnibus iis rationibus, quæ a nobis proponebantur, abhorrentem animum ostendisse, ut quod cuilibet in mentem venire poterat, quodque exitus ipse testatus videtur, id nobis quoque suspicandum fuerit,

erit, cum omnia, quæ ad concordiam inter eos conciliandam pertinerent, & a nobis diligentissime tentata essent, & eæ rationes ejus propositæ, quæ ab illa ipsa parte jam ante non modo approbatæ, verum ultro propositæ esse dicebantur: quod nihilominus convenire non posset, nulla alia causa, quasi ex instituto contentionem hanc a quibusdam ali, quam quo per dissensionem hanc eum Regem inducere possent, in quem alios non nisi vi ac malo adactos non facile consensuros existimarent. Accedebant huc res certissimæ; quod certorum hominum sermones, qui eodem omnes spectabant, non pauci ad nos deferrentur, quod eosdem majores impensas facere, quam non modo proventus eorum, verum omnes facultates, quæ aliquorum nullæ essent, paterentur, videremus, & quos Crassi divitias non habere satis sciremus, modum tamen fere in definiendis divitiis Crassi attingere, exercitusque alere cerneremus, ut cum ex iis rebus aliunde pecuniam illis subministrari satis perspiceremus, quam ob operam ea illis subministraretur, dubitare non possemus. Quæ cum omnia animadverteremus, subductis rationibus omnibus, quæ nostræ partes essent, quidque non modo nobis, verum Reipubl. tali tempore præstare deberemus, cogitare nobiscum cœpimus. Itaque cum diu frustra tentata a nobis concordia esset; ne ob privatas controversias suas, publica tamen consilia ulterius impedirent, cum utramque partem, tum maxime eos, per quos, ne conveniret, stare vide-

videbatur, hortati sumus. Quod quia omnium cum pernicie omnino futurum videretur, si utraque pars in Senatum veniret, ne vel altera injuriam sibi factam interpretari posset, vel utraq; cum periculo omnium congrediendi locum haberet, eam tandem utrisque rationem præscripsimus, ut vel utrique a Senatu abessent, vel alternis vicibus in eum venirent: ad extremum, cum id ipsum impetrari a se quidam non paterentur, in id saltem incumbere cœpimus, ut ad eas deliberationes, quarum potissimum caussa conventus is institutus fuisset, quamprimum accederemus. Cui rei quot impedimenta, sine ulla gravi causa, objecta ab iisdem fuerint, cum longum esset dicere, tum parum ad præsens institutum pertinens. Id quidem omnes satis animadvertere potuisse existimamus, multis non necessariis disputationibus introductis, nihil tam quasi de industria vitatum esse, quam ne ad suffragia res deveniret, vel ut tempus tamen quam longissime extraheretur, actum. Quo magis miramur ejus rei culpam, quam ipsi sustineant, in nos jam eos, scripto etiam publice edito, conferre non dubitare; atque ita conferre, ut modo tempus a nobis potissimum extractum, quo nobilitas interim dilaberetur, querantur, modo quod nimis præpropere non ante definitis aliis quibusdam rebus ad suffragia ferenda accesserimus, nos accusent: unaque oratione, duplicis, ejusque multum inter se diversi criminis, & moræ, & festinationis nimiæ nos insimulent; satis ut ostendant, non-

minus

minus oratione quam re secum se pugnare. Itaque cum id miramur, tum multo magis miramur causam, quam moræ ejus nos habuisse afferunt. Eam enim rationem consilii ejus nobis tribuunt; quod cum in Magnum Moscoviæ Ducem, & ipsos, & pleramq; nobilitatem propensam esse perspiceremus; nobilitatem moræ incommodis maximis affectam ideo dissipari voluerimus, quo illis a nobilitate destitutis, nos eo facilius Moscum excluderemus. Qua re dupliciter se redarguunt. Nam & animos hominum ita a Serenissima domo Austriaca, ex qua ipsi Regem privato consilio postea nominarunt, alienos fuisse fatentur, ut in quemvis potius proclives fuerint, & non modo cur postea, cum Serenissimum Archiducem Maximilianum nominarunt, non Moscum potius, quemadmodum constitutum sibi fuisse ostendunt, nominarint, nullam justam causam afferunt; verum id etiam, quod nos feciisse reprehendunt, quod Moscum præterierimus, idem ipsi se feciisse re ipsa testantur. Etenim, si conditiones a Mosco propositas tum, cum in eum cum reliqua nobilitate suffragia sua conferre deliberatum sibi fuisse dicunt, nondum cognitas habuerunt; satisne consideravit de Republ. præjudicarint, ipsi viderint: si & perspectas eas jam tum habuerunt, & probarunt; quæ vis illos prohibuit, cum Serenissimum Archiducem Maximilianum nominarent, quo minus hunc potissimum elegerint? sin cognitas quidem tum habuerunt, a Reipubl. autem utilitate alienas judicarunt, neque ipsi in Moscum propensi fuerunt,

runt; & nos, quod ejus rationem habendam non judicassemus, laudandi potius, quam vituperandi essemus. Quod enim inter alias hanc quoque causam afferre videntur, quod cum Serenissimus Rex Sigismundus electus jam a nobis esset, hujusmodi alius Rex eligendus sibi fuerit, qui celeritate adventus, quæ a Mosco expectanda non fuerit, a conatu adeundi Regni eum dejiceret, hujusmodi est, ut primum nullam justam tanti odii in Regem electum causam ostendant, deinde, quod si cætera in Mosco probassent, non magnopere movere eos poterat. Nam neque si consensus nobilitatis tantus in eum fuisset, quantum illi fuisse videri volunt, a quoquam resisti illi potuisset: & quo minus a Mosco etiam, ut quam celerrime veniret, impetrari potuerit, nihil etiam explorati atque certi afferre videntur. Verum ut ad rem revertamur, cum omnia ab illis impedimenta ex instituto objici videremus; tamen ne ita quidem ulla alia molestia avocari nos passi fuissemus, quo minus, quemadmodum institueramus, eodem in loco, una cum illis de Republ. deliberassemus; nihilque intentatum reliquissemus, quo ad optatum exitum perveniri tandem potuisset: nisi summo simul eodemque præsente periculo commoveri nos necesse fuisset. Non enim jam solum variis disputationibus interpositis, deliberationes publicæ eximebantur, verum iis, qui in illis versabantur, minæ, ac vis intentabantur: comitium armatis hominibus non sepiebatur solum, verum

etiam

etiam complebatur: in loco publici consilii sclopi explodebantur: in conspectu Senatus expansis signis consistebatur. Itaque in ipso etiam Senatu nulla fere libera vox ferebatur. Si quid liberius ab aliquo dictum esset, non modo vociferatione, verum convitiis etiam mox excipiebatur: idque non modo privatis accidebat, (quamvis in tali causa nemo, qui jus suffragii ferendi habeat, privatus censeri possit) verumtamen & Archiepiscopum ipsum, qui cum Princeps Senatus sit, in ejus persona non illius solum dignitas, verum universi Senatus observari debet, gravissimis verborum contumeliis in ipso Senatu affectum esse: alium Senatorem ad singulare certamen publice in Senatu provocatum notius est, quam ut a quoquam negari possit. Tacemus hoc loco sacerdotem in ipso consilii publici loco in tumultu trajectum: Venceslaum Vansovicium, virum nobilissimum, & in superioribus bellis singulari cum laude versatum, a factione illa interfectum: alios complures, partim minis, partim cædibus, qvæ vulgo fere fiebant, oppressos. Qvæ omnia cum non solum animadverteremus, verum in oculis nostris quotidie versarentur; nonnulla præterea alia consilia a quibusdam proferrentur, quæ ad maximos motus omniumque rerum perturbationem spectarent, alterutrum necessario consecuturum videbamus, ut vel deserta a nobis Resp. omnino opprimeretur, vel si injuriis quorundam obviam ire vellemus, non modo cum vitæ nostræ periculo,

quod

quod Reipubl. saluti omnes postponere debent: verum si ad dimicationem, ad quam spectabat, res deveniret, quicunque etiam superiores exstitissent, cum summo discrimine atque interitu ipsius Reipubl. ea a nobis defenderetur. Hic ut eum animum, qui in Rempubl. noster esse debuit, quemque eum esse voluimus, ad punctum temporis omnes suscipiant, rogamus: quidque nobis tali tempore faciendum fuerit, diligentius secum expendant. Quod cum fecerint, an ad utriusque rei incommodum vitandum, ulla accommodatior ratio in mentem alicui ventura sit, nescimus, ad eam certe, quæ a nobis suscepta sit, optimo in patriam animo descensum a nobis esse neminem dubitaturum confidimus. Iis enim rebus, quæ a nobis commemoratæ sunt, adducti, in eam sententiam necessario concessimus; non quidem consilia ut nostra ab illis sejungeremus, verum ut alio in loco conveniremus, in quo & nos pacatius de Republ. consultaremus, & ex eodem, quemadmodum ante etiam factum esset, cum illis quoque consilia nostra conferremus. Quo loco illi actiones nostras in dubitationem vocandi locum se nactos rati, cum neque consensum omnium ordinum inficiari, neque in ipsis actionibus reprehendere quicquam possint, hoc vitii ad infirmandas eas reperisse se arbitrantur, quod cum ab initio certus locus ad publicas deliberationes septus esset, cumque is postea conflagrasset, alius ad eandem rem captus, nos cum injuriis illorum, tum præsente Reipubl. periculo,

lo adducti, peculiarem locum paulo ab illo, in quo illi convenirent, remotiorem ceperimus. Hic si id diceremus, eorundem autoritate, quorum captus locus sit, eundem mutari posse, neque locum, sed ordines, quocunque etiam illi in loco conveniant, ut publicum consilium appelletur, efficere, cui non id æquo & prudenti probaremus? jam vero, ne mutatum quidem locum jure dicere quisquam potest. Qui cum ita definitus sit, ut campus, qui inter Varsaviam & villam Volam interjectus est, totus electioni huic destinatus sit, neque angustioribus spatiis a quoquam circumscribi potuit, quam lex ipsa illi circumdedit, neque, si aliqua religio loci est, quam non minorem quidem illi, quam iis locis olim tribuebatur, quæ a publicis auguribus capta consecrataque essent, tribuere eos videmus; non minus ad universum eum locum, qui lege demonstratus est, quam ad certam ejus partem ea pertinebit. Intra hunc igitur cum constiterimus, atque ita prope illos constiterimus, ut ne e conspectu quidem illorum discederemus; non modo, quid hujusmodi loci mutatio vitii habeat, sed ne mutatum quidem ulla re locum esse, intelligere possumus. Quod si, quemadmodum supra demonstratum est, non locus, sed Senatores Senatum faciunt, neque Senatores solum, verum ratio etiam habendi Senatus, de eo quidem loco, in quo nos convenimus, cum & intra demonstratos in lege fines, is fuerit, & in eodem ordines fere universi convenerint, consilia deni-

que

que publica, vi atque injuria omni remota, more majorum habuerimus, nulla controversia esse potest; ille, in quo ipsi restiterunt, nullo modo legitimus haberi potest: vel quod vix unus atque alter, non tam relicti in eo fuerunt, quam injuriis suis alios ab eo segregarunt: vel quod ii, qui ob privatas magis controversias, quam Reipubl. causa ob omnibus dissenserunt: vel quod ita consilia publica in eo tractarint. Neque enim quatuor, vel quinque Senatorum conventus in hoc Regno, in quo tantus numerus Senatorum est, pro publico consilio unquam habitus fuit: neqve privatorum odia, publicam autoritatem assumere debent: neque, in quo consilio nulla libera vox existere potest, omniaque minis atque vi administrantur, non conventus potius Senatorum, quam Senatus habendus est. Jam vero non modo ipsius loci jus atqve religionem, verum sanctionem etiam superioris conventus Varsaviensis, qua sanctissime constitutum sit, ne separatim ab universis aliqvi Regem eligant, neglectam a nobis contendunt. De cujus conventus autoritate disputare non hujus loci est: ipsi sciunt, qvibus, qvamqve gravibus de causis, a nulla fere parte nobilitatis acceptus is sit. Ad id tamen caput quod attinet, qvo clandestina omnia consilia ab electionibus Regum excludantur, translatitium id est: sumptum enim est ex antiqvissimiis sanctionibus, qvæ de creatione Regum exstant. itaqve etiam sine conventus Varsavienſis autoritate, summa tamen ejus apud nos autori-

autoritas semper fuit: quomodo autem a nobis quid contra eam commissum putent, non sane intelligimus. Non enim si qui loci aliquo vestigio separati inter se sunt, confestim consiliis etiam atque deliberationibus disjuncti sunt, cum sæpe maximis locorum intervallis distracti, mente tamen, animo, cogitatione copulati inter se atque præsentes putentur. Quod cum aliis multis in causis locum habere potest, tum maxime in hac, quæ non tam corporis viribus, quam animi administratur: non enim corporis præsentia, sed sententiis, suffragiis, consilio Reges creantur. Nos vero, cum non modo nullis locorum intervallis sejuncti ab illis fuerimus, verum non modo non ex eo loco, qvi constitutione ipsa definitus est, sed ne e conspectu qvidem illorum discesserimus; ita deinde secesserimus, ut nihil nisi re prius, ad alios etiam relata statuere in animum inducere-mus, statuerimusqve; si quis pro absentibus, & separatis habeat, is non tam alios ab se separatos qveri, quam se ab aliis separare videtur. Nunquam enim absens videri potest is, qvi animo, atqve consilio præsens est; multo minus, qui in oculis eorum, qui aliquid agunt, versatur. Itaque lege etiam Sigismundana, quæ hac de re est, ii soli excluduntur, qui conventum vel plane non obierint, vel domo se non commoverint, non ii, qui non modo ad conventum eum profecti sint; verum consilia etiam electionis cum aliis tractent; neque id ratione solum ac re ipsa, verum exemplo etiam, ac more a nobis rece-

pto. Itaque & alias in more esse meminimus, & vel in hoc ipso conventu non semel usurpatum; ut si qvos Senatores adesse constiterit, etsi ii vel valetudine, vel aliis occupationibus impediti, in Senatum non venerint, sententias tamen per Secretarios rogentur, nec minus absentium sententiæ relatæ, quam in Senatu præsentium pondus habeant. Et in Henricana electione, cum omnes in unum consentirent, in tot tamen loca distracti fere fuerunt, quot Palatinatus sunt, ex qvibus deinde unum in locum consilia omnia comportarentur. Quod si, quid separatim Regem eligere sit, vel nondum satis perspiciunt, vel non perspicere se simulant, suum factum diligentius aliqvando considerarent, vellemus, qui eum Regem ab universis legitime jam electum viderent: cum eorum vix quinque essent: partim privato odio ab aliis sejuncti, partim inter se arctissima necessitudine devincti: ex nobilitate pauciſſimos, itidem consangvineos, familiaresque suos, instituto suo assentientes, reliqvos omnes contradicentes haberent: conscii tamen sibi paucitatis suæ, conscii animorum nobilitatis, quos cum in Moscum propensos fuisse ipsi profitentur, ab aliis aversos fuisse agnoscunt; eum nihilominus Regem elegerunt, de quo jam multo ante privatim inter eos convenisse, publica fama fuit. Quæ si tantum habet divinitatis, quantum a quibusdam ei tribuitur; non modo sine omnium autoritate, atque consilio, separatim ab illis Rex electus est, (nam id quidem, cum

publice

publice actum sit, negari non potest,)verum multo etiam ante, quam cum aliquo consilia communicare de eo potuerint. Cujus quidem rei cum etiam sine fama, vel exitus ipse eos arguat, quomodo se in sanctionem eam non incurrisse probare possint, ipsi viderint. Nostrum quidem consilium, præterquam quod necessitate expressum a nobis fuit, cum re etiam utile, tum jure, ratione, atque exemplo omnibus probatum confidimus. Hoc autem instituto, cum quemadmodum supra demonstratum est, eodem in campo, adeoque in conspectu prioris loci, locum, in quo libere atque tranquille de Republ. consultare possemus, delegissemus; cum ea quidem in deliberationem vocavimus, quæ partim in eum conventum ex superioribus rejecta erant, partim etiam tum oblata, necessarios explicatus requirere videbantur, maximeque qui ea, quæ ad juris ac legum emendationem pertinerent, cognoscerent, ex conventu nostro elegimus; tum vero, ut eodem tempore ad suffragia etiam de Rege ferenda accederetur, necessario censuimus. Præterquam enim, quod majus fere quam sex septimanarum spatium, quod alias legitimum omnium comitiorum tempus esse solet, jam effluxerat; tanta etiam in maxima hominum, quæ eo confluxerat, multitudine anni tempore alieniſſimo, æstate nondum adulta, non modo caritas annonæ, verum penuria omnium rerum exstiterat; ut sine maximo sumptu, maximaque difficultate nemo jam amplius versari ibi posset. Ab

altera vero parte ita ex instituto negotia duci animadvertebamus; ut nihil aliud expectari ab illis intelligeremus, quam dum omnes, quos a se in electione dissensuros existimarent, dilaberentur. Itaque cum tempore ipso in sententiam hanc adducti, tum quorundam iniquis consiliis compulsi, maxime autem omnium fere rerum inopia adacti, non prius tamen statuere hac in re aliquid voluimus, quam quid nobis videretur, alios etiam certiores fecissemus. Non defuerunt sane eo tempore, eo ipso in loco, qui institutum id nostrum vehementer probarent: pauci quidam, quos sæpius jam designamus & a quibus reliqui etiam omnes postea, violentis actionibus illorum commoti, ad nos se contulerunt, ita id acceperunt; ut in eosdem nos, quos alias, quasi extrahere tempus voluerimus, accusant, quod ad electionem tandem accedendum statueremus, gravissimas sententias dicerent. Cum exitum nullum rerum earum alium reperiremus, tandem id consilii suscipiendum existimavimus, quod cum tempus ipsum, tum Reipubl. utilitas, tum maxime necessitas nobis suppeditabat. Itaque ad suffragia ferenda accessimus, ut more institutoque majorum, ordine sententias rogaremus. Qua in re quo progressi simus, priusquam ostendamus, de judicii nostri, totiusque electionis hujus ratione, atque instituto, altius nonnihil repetendum nobis videtur. Tres omnino, qui Regnum peterent, esse videbamus: Serenissimam domum Austriacam: Serenissimum Sveciæ Principem: &

Magnum

Magnum Moſcoviæ Ducem, præter hos nominatim quidem pro ſe, vel alio, nemo petebat: non pauci tamen, qui vel omnibus hiſce domeſticum Regem præferendum ſtatuerent, exiſtebant. De Sereniſſima domo Auſtriaca id ſemper judicium noſtrum fuit, ut non modo ob generis ac familiæ amplitudinem, ſed multo magis ob virtutes eo genere dignas, quas a prima pueritia tradi illis ſcimus, non modo hoc Regno, ſed omnibus ampliſſimis imperiis dignam eam judicaremus; utilitatem tamen, atque rationes Regni hujus, plerisqve non ignotas, alios qvosdam Principes poſtulare ſtatueremus. In Magno Moſcoviæ Duce, ditionum ipſius ad Regnum acceſſionem, quæ maxime nos, ut eum potiſſimum eligeremus, movere deberet, ſolam fere eſſe videbamus: de qva cum a legatis ipſius nihil fere certi proponeretur, præterea eadem etiam in mentem nobis veniebant, quæ ab aliis quoque cogitata ſunt: in Religione non modo diſſenſio, verum etiam obſtinatio: incertitudo promiſſorum: valetudo minime Regno idonea; itinerum locorumqve qvæ ſub ditione ſua haberet, longinquitas. De indigena, ſi pacatis & ab omni affectu vacuis animis ad electionem accederetur, maximam ſpem habebamus: poſtquam autem ita ambitus exarſiſſet, ut, quem qvidam ſibi propoſuiſſent, de eo maxima contentione certare eos videremus, præterquam quod difficulter in tanta voluntatum diſſenſione eligi poſſet; tum ſi eligeretur, ut contra quorundam ſtudia ſatis firmus

esset, non mediocriter verendum nobis existimabamus. Solus videbatur relinqui Sveciæ Princeps, qui non modo minimo cum incommodo, verum etiam maximo cum commodo eligi posset. Audiebamus esse in eo cum indolem præclarissimam, tum studium pietatis, atque Religionis Catholicæ: cognitionem lingvæ Polonicæ: ætatem denique Regno aptissimam. Accedebat huc, ut ejusdem electione non modo Regnum ipsum novis amicitiis atque fœderibus munitius futurum statueremus, verum antiquas etiam controversias quasdam, neque paucas, & graves, quas cum Regno hoc Sereniſſimus Sveciæ Rex intercedere sibi existimaret, sublatum iri: nullum vero potentiorem vicinum, vel irritari, vel offendi merito electione ejus posse. Non parum etiam propinquitas sangvinis, qua Jagellonicæ familiæ Reges, qui omnes optime de nobis majoribusque nostris meriti essent, attingeret, nos movebat: quæ etsi in Regno libero, quod non succession, sed liberis ordinum suffragiis deferatur, ad jus nihil faciat, ad æquitatem tamen non parum facit. Itaque cum rationibus atque utilitati Reipubl. consuluissemus, hanc in Reges nostros, atque adeo in præstantissimam fœminam, Reginam nostram, cujus vivæ adhuc virtute perfrueremur, & ex cujus Sorore germana natus idem esset, pietatis atque grati animi laudem non modo non aspernandam, sed vel summo studio expetendam nobis esse statuebamus. Qvæ etsi ita esse intelligeremus, ita tamen ea sentire nos debere judicabamus, ut priusquam,

quid

Digitized by Google

quid alii etiam sentirent, cognovissemus, omnino judicium nostrum sustineremus. Itaque honestissima allegatione ad eos missa, eademque per integram fere septimanam qvotidie repetita, cum, quæ nostra de singulis competitoribus, totaque electione judicia essent, illis ostendimus, quæ eo qvidem omnia pertinerent, ut Sereniſſimum quidem Sveciæ Principem accommodatissimum Regno huic futurum judicaremus, a Mosco tamen etiam, vel indigena non abhorreremus: tum ut de iisdem suam sententiam nobis explicarent, conjunctumque aliqvem ex hisce nobiscum eligerent, petiimus. Ad qvam legationem cum per aliqvot dies, per eos, qui omnia negotia hactenus impedierant, ne responsum qvidem ullum referre potuissemus, ac vero gravissimæ eorundem in nos voces ad nos interim perferrentur; hanc sive arrogantiam, sive injuriam illorum, civili plane atque æqvissimo animo tamdiu tamen pertulimus, qvoad neqve Rempubl. sine Rege, neqve nos in tanta omnium rerum non modo difficultate, verum penuria, Regis eligendi causa, eo in loco ullo modo diutius subsistere posse intelligebamus. Simul vero tempore interjecto, non modo alii nonnulli Senatores, qvi superiore in loco consilia publica tractarant, verum Archiepiscopus ipse, qui more institutoqve majorum, ut Senatus, ita consiliorum omnium, secundum Regem in Republ. Princeps est, partim paucorum eorum injuriis incitati, partim necessitate Regis eligendi, quam & tempus & Respubl. ipsa

omnibus afferebat, adducti, ad eandem non modo sententiam, verum eundem etiam in locum nobiscum descenderunt. Quod jam ante etiam, cum alii quidam, tum inprimis status etiam Prussici, ac Livonici, inter quos majores civitates Prussiæ, quibus jure publico jus suffragii ferendi competit, fecerant; ita ut ii, qui jam ante etiam a nobis designati sunt, non plures quinque Senatores, illique ejusdem fere omnes familiæ, cum paucissimis ex nobilitate consangvineis fere ac necessariis suis, soli relinquerentur. Qui cum publicas actiones instituto suo, qvo antea usi fuerant, nihilominus impedire conarentur: nos autem omnes jam non modo loco, verum consiliis etiam atque sententiis conveniremus, quod Resp. ipsa a nobis flagitabat, ut ad designationem Regis accederemus, omnino faciendum nobis statuimus. Itaque Archiepiscopo nobis præeunte, atque ad postulationem nostram Regem renunciante, eas, quæ supra a nobis demonstratæ sunt, rationes secuti, quod nobis, Regno huic, universæque Reipubl. Christianæ felix & faustum sit, Serenissimum Sveciæ Principem, Sigismundum, unanimi consensu, Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lithuaniæ, cæterarumque conjunctarum ditionum Principem elegimus, renunciavimusque. Qua re ita administrata, cum tantus omnium ordinum consensus quemvis movere deberet, iidem tamen illi, cum non pluris tum quam antea fecissent, faciendum eum statuissent, primum, uno atque altero die, delibe-

deliberationibus inter se extracto, triduo demum post, Serenissimum etiam Archiducem Maximilianum, per Episcopum Kiovienſem, inter Episcopos non modo loco ultimum, sed ne quidem adhuc consecratum, intempesta jam nocte, nominarunt. De qua tota quidem re pluribus dicendum nobis non existimamus, ne tam studio aliorum insectandorum, quam rei ipsius explicandæ facere id videamur. Id tamen, quod ab ullo negari non potest, non possumus sane præterire primum non modo paucissimos, qui illi actioni præfuerint, fuisse, verum, cum eos ipsos, qui superiorem constitutionem Andrejovienſem, qua Sereniſſimi Austriaci Principes, propter publicas Regni hujus rationes, a Regno excluſi fuerant, chirographis, signisque suis confirmarint, verum autores etiam ejusdem fuerint: tum quos vel mutua necessitudo, vel commune in alios odium privatim inter se devinxerint; ex iisque ipsis non paucos partim ab ea discessisse, partim publice illi contradixisse: adhibitos deinde contra non modo nostra, verum omnium gentium jura, cum hujus Regni, tum aliarum nationum exules & proscriptos fuisse. Itaque mirum non fuit, qvo in consilio, contra publica jura, omniumque morem publice notati atque proscripti interessent, exstitisse in eodem, qui contra jus Majestatemqve Regiam, inter alios proscriptum etiam, ad Regium fastigium atque dignitatem evocandum proponere; atque ita cum ipsa Sereniſſima domo Austriaca comparare non dubitarint. In tali igitur consilio, atqve tot & hujusmodi homi-

nibus, ita, quemadmodum supra a nobis ostensum est, contra maximæ partis nimirum consensum, electa Serenitas sua fuit. Qui autem eam nominarunt, ita deinde reliqua persecuti sunt, ut quomodo nominatio ipsa administrata a se esset, consequentibus etiam rebus facile ostenderent. Primum enim, cum & libertas suffragiorum nobilitatis id postularet; & maxime superiore electione, quæ ipsa etiam in diversa studia distracta fuerat, salutariter factum fuisset, ut primum per omnes districtus nobilitatis conventus haberentur, in quibus utra electio legitima habenda esset, ab ipsa nobilitate definiretur, dies deinde coronationi certus præfiniretur, ad qvem suos quique Palatinatus legatos mitterent: neque inaugurationi diem certum præstituerunt, neqve conventus ullos edixerunt, sed totum id suo arbitrio atque potestati reservarunt, ut, cum invita nobilitate Regem imponere conati fuissent, neque judiciis ejus committere se auderent, & clam deinde per occasionem, cum ipsis videretur, inducere eundem possent. Qvibus qvidem rebus ita administratis, legationeque ad Sereniſſimum Archiducem Maximilianum, qua ad accipiendum Regnum eum invitarent, sibi ipsis decreta, Varsavia diversis itineribus ita discesserunt ut Christopherus Zborovius Visliciam, oppidum jurisdictionis Magnifici Domini Nicolai Firley, Castellani Biecensis, ut in nullo metu, nulla etiam re magnopere provisum, repente occuparet. Hic temporibus Stephani Regis, pecuniarum a Mosco contra Rempubl. captarum, inque ipsum Regem

gem perduellionis damnatus fuerat, sub tempus autem electionis, manu aliqva e diversis gentibus proscriptorum facta, Regnumque vi & contra leges publicas ingressus, consilio illi, in quo Serenitas sua nominata fuit, non interfuerat solum, verum etiam præfuerat. Alter frater Andreas Zborovius, curiæ Marscalcus, Senatorem Illustrem Stanislaum Tarnovium, Castellanum Sandomirienſem Stobniciæ, quæ præfectura ejus est, nihil tale expectantem, itidem improviso armatis hominibus, tormentisque admotis aggressus, res, supellectilemque omnem ejus diripuit: ipsum cum uxore ac liberis, Visliciam, ab altero fratre jam ante, quemadmodum ostensum est, occupatam, captivum abduxit. Ubi cum per aliquot dies in custodia eum habuisset, tandem gravissimis conditionibus ab eo exactis: inter quas & hæc fuit, ut in electionem Serenissimi Archiducis Maximiliani se quoque consensurum promitteret, vix eum dimisit. Præterimus, qvæ in hoc genere alia quam plurima violenter ab illis facta sint: complures homines nobiles eodem modo, per vim, & metum, in partes adactos: villas vicinas direptas ac spoliatas: homines vexatos: multaque alia, quæ nemo eorum admisisset, si ullum statum Reipubl. legumque ac judiciorum futurum cogitasset; ac non eo consilia omnia illorum spectarent, ut omnem cum libertatem, tum statum Reipubl. funditus everterent. Jam vero, quod ad Serenissimum Principem Archiducem Maximilianum attinet, diligentem sane operam dedimus,

ne

ne quicquam horum, & quo omnino in statu res essent, Serenitas sua ignoraret. Primum enim Varsaviæ, jam cum Serenissimus Sigismundus Rex electus jam a nobis esset, & ipsius Serenitatis, universæqve domus Austriacæ legatis, quo loco res essent, per primarios aliquot Senatores, diligenter demonstravimus: neve ulterius contendere vellent, hortati eos sumus, & eodem ex loco, ad Sacram Cæsaream etiam Majestatem legatos misimus, qui omnibus de rebus diligenter Majestatem suam edocerent. Postea vero, cum ex aliquot Palatinatuum conventibus nobilitatis, tum a præcipuis nonnullis Magistratibus Regni hujus partim Serenitas ejus, partim Episcopus Juratislaviensis ut vicinæ Silesiæ præfectus, communiumque pactorum quasi exactor quidam, diligenter admoniti fuerunt, ne eo Serenitas sua progredi vellet, quo cum progressa fuisset, publicam pacem ac tranquillitatem vel tolleret, vel in dubium vocaret: ad extremum autem, his ipsis diebus, e conventu universæ nobilitatis Regni ad Visliciam, non modo literas, verum legatos etiam viros amplissimos, eadem de re ad Serenitatem ejus misimus. Neque tamen non præterea etiam sua sponte multa Serenitati ejus in mentem ventura statuebamus: primum, cujus justitiæ esset, tam paucorum hominum hujusmodi suffragio fretum, non tam Regnum quam causam armorum arripere: contra eum autem arripere, qui si hæreditarium hoc Regnum esset, vel successionis jure proximus in eo successor futurus erat,

hujus-

hujusmodi deinde arma, qvibus non modo Regnum hoc atqve se ipsum, verum universam Christianitatem, aut magnam ejus partem in discrimen adducere posset. Nihil hoc loco de pactis dicemus, qvæ Serenissimæ domui Austriacæ cum Serenissimi Regis nostri majoribus privatim etiam intercedunt, qvæqve eo fere pertinent, ne altera familia alterius posteris ac necessariis non modo in retinendis, sed ne in adipiscendis qvidem honoribus ulli impedimento sit. Verum ea, cum privatim fere inter ipsos Principes constituta sint, magis ab illis sanctissime observari debent, quam a nobis recte commemorari possunt. Id qvidem silentio prætereundum nobis non videtur, qvod Serenissimæ domus Austriacæ ipsius legationes omnes, non alia conditione a Serenissima Regina nostra pro principibus suis contenderint, quam si Serenissimus Sveciæ Princeps vel non adepturus, vel non accepturus Regnum esset. Ut minime commissuros statueremus, ut, quem in petendo Regno ipsi sibi prætulissent, eum, cum delatum ei Regnum esset, de eodem dejicere conari vellent. Cogitaturam non minus eam putabamus, dignitatisne etiam suæ esset, tam augusta familia Principem natum, primo a tam paucis hominibus Regnum accipere videri voluisse: deinde iis, a quibus in Regni petitione, seu de eo tradendo, deliberatione proscripti hominis nomen cum sua dignitate exæquatum esset. Quibus sane rebus, in optimam spem veneramus, fore, ut magis justitiæ atque dignitatis suæ, quam

quid

quid ab aliis sibi svaderetur, rationem Serenitas sua haberet. Verum, non raro ab aliis Principes eo impelluntur, quo, si suam potius prudentiam ac pietatem quam aliorum cupiditatem in consilium adhiberent, nunquam progressi fuissent. Itaque ab iisdem, qvi omnium harum rerum autores sunt, Serenitas sua persvasa non modo hujusmodi nominationem accepit, verum fines etiam Regni contra antiquissima fœdera, quæ Regno huic cum vicinis Serenissimæ domus Austriacæ ditionibus intercedunt, ne legatis quidem nostris prius auditis, armata ingressa est. Quibus omnibus in rebus, quam multa sint, quæ de Serenitate ejus merito queri possimus, nemo non videt. Ut enim ab initio rem omnem ordiamur, & novissima conferamus primis, cui non indignissimum videri possit, ita Regnum a Serenitate ejus ab initio petitum esse, ut quo omnium nostrum non modo libertas, verum salus etiam contineatur, id pretio atque promissis Serenitas sua adjungere conata sit. Quod cum alieniſſimum a Serenitatis suæ æquitate plerisque videri possit, non affirmaremus, nisi factum id esse, atque ita factum, ut nonnullis diversis eadem etiam promitterentur, vel ipsius Serenitatis litteris docere possemus. Armavit deinde atque instruxit pecuniis eos, qui, ut Serenitatem suam contra omnium consensum eligere possent, primo convocationem Varsavienſem, deinde ipsa electionis comitia, atque omnia consilia publica turbarunt. Hominem proscriptum, quem

secun-

secundum fœdera atque pacta publica dedere debuisset, non modo circa se habuit, atque fovit, verum tempore interregni, una cum aliarum nationum exulibus, armatum etiam in fines Regni immisit, per eumque nomen Regium imponendum sibi curavit. Tot deinde admonitiones nostras, quot supra a nobis commemoratæ sunt, cum non pluris, quam consensum omnium nostrum feciisset, omni genere armorum, & apparatus bellici instructa, non modo Regnum ingressa, sed in conspectum usque Cracoviæ progressa fuit. Cum interim legati nostri, qvos ad Cæs. Maj. misimus, adhuc retineantur, ii vero, qui ad Serenitatem ejus a nobis missi fuerant, per aliquot etiam dies retenti fuerint. Verum omnia tamen hæc aliorum consilio, quam ipsius Serenitati tribuere malumus. Neqve sane adhuc desperamus fore, ut ad alia consilia descendat. Quid justum certe sit, quidqve universæ Reipubl. Christianæ expediat, perspicuum est: quis exitus, si armis rem tentare velit, futurus sit, obscurum fortassis esse potest: si tamen eam se Serenitas sua esse voluerit, quæ esse debet, non dubitamus, quin nihil conducere sibi existimatura sit, quod non idem cum justitia & publica nominis Christiani utilitate conjunctum sit: potiusqve eos sit imitatura, qui vel propria imperia, magna cum sua ad omnem posteritatem laude, publicæ paci ac tranquillitati condonarint, quam eos, qui aliena Regna cum sua, & aliorum pernicie occupare conati sint. Quodsi alios, quam se ipsam audire malu-

maluerit; primum, si quæ calamitas ad alias etiam partes Christianitatis ex hac re promanarit, non modo a nobis illam non proficiſci, verum nihil etiam, quo ea evitaretur, prætermiſſum a nobis eſſe publice teſtificamur: deinde populos finitimos omnes rogamus, ut magis quid antiquiſſimis fœderibus debeant, meminerint; quæ cum plerisque eorum hujusmodi nobis intercedunt, ut etiamſi Reges bellum mutuo ſibi facere velint, populi tamen, ſi avocare eos non poſſint, ſequi tamen non debeant, quam, quid Principes ſui poſtulaturi forte a ſe ſint, ſpectent: quod quidem, cum in omni privata Principum diſſenſione, merito obſervare debeant, tum multo magis in hac, quæ ab hujusmodi cauſa, & jure, qualia ea ſupra a nobis demonſtrata ſunt, proficiſcatur: ſecundum hæc, quæ veſtræ etiam partes, Principes Chriſtiani, futuræ ſint, videtis. Ad quas quidem ſuſcipiendas, non dubitamus, quin rei ipſius magnitudo pro nobis ſatis vos hortatura ſit. Itaque nos unum hoc tantum rogamus; ut aliorum Regnorum Chriſtianitatis ruinis moniti, nonnihil cum hujus Regni, omnium fere aliorum Chriſtianitatis Regnorum propugnaculi curam, tum commune periculum, tantum apud vos valere patiamini, quantum apud omnes valere debet: quorum alterum humanitatis veſtræ erit, alterum prudentiæ. Datum Cracoviæ die XII menſis Octobris, Anno Domini MDLXXXVII.

Cum

* *
*

Cum finem Libello impoſituri eſſemus, oportune ad manus noſtras pervenit Oratio, qua Legati Svecici Sigismundum Polonis commendarunt, ſeorſim, at nullo vel anno, vel loco addito, impreſſa, quam cum Lectore noſtro hoc loco communicari digniſſimam exiſtimavimus.

Oratio Nomine Johannis III Svecorum, &c. Regis, nec non ejus Filii Sigismundi, Princ. hereditarii & Regis electi, &c. per Ericum Sparre, Dominum de Sundby, &c. Sueciæ Conſil. & Procanc. Gubern. Weſmanniæ, Dalekarl. & Montanorum: & Ericum Brahe, Com. a Winſingsburg, Bar. a Ridboholm & Lindholm, Principis Sigismundi Conſil. & Aulæ magiſtrum, ad Comitia Warſovienſia, novi Regis electioni XXIX Junii Anno M D LXXXVII ſtylo novo indicta, Legatos habita, die XV Auguſti.

Digitized by Google

REverendiſſimi, Illuſtriſſimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi & Nobiles Domini. Conſtat longo rerum uſu & experientia, magnam eſſe vicinitatis neceſſitudinem, ejusque uſum, ut quilibet non partem vicinæ felicitatis non plerumque ſibi poſſit polliceri, ſemper vero ſuſpicetur, ſe mali & infortunii vicini fore conſortem. Cum igitur hæc duo Regna, Suecia atque Polonia, ita conjuncta ſint locorum propinquitate, ut nihil utrique Regno poſſit eſſe utilius, qvam firma & diuturna amicitia: ſalus quoque unius hac ratione merito communis eſſe videatur, hoc magna ex parte cincto multitudine barbarorum conterminantium, illo quidem ab una, longo tamen diſtrictu, horum plurimos, finibus attingente; operæ precium fore duxit Sereniſſ. Regia Majeſtas Sveciæ, &c. ut ſuæ Majeſtatis, nec non cariſſimi filii ſui Sereniſſimi Principis Sigismundi, &c. nomine, nos Legatos, ut ex litteris fidei, quas reddidimus, apparet, ad hunc amplisſimum conventum ablegaret, cum quod officium vicini amiciſſimi in tanto & tam arduo negotio, quod Deus ſecundet, erga veſtram Rempubl. minus neglexiſſe videretur: tum potiſſimum, quod ſperaret, eandem ad arctiorem amicitiam contrahendam eo libentius propendere, quo magis id ex re ſua fore jam nimirum, Deo favente, certo poſſit ſtatuere. Peruetus enim amicitia inter hæc duo Regna Sveciæ atque Poloniæ jampridem intercedit, ut tempore Svecorum Regis Erici XIII, nec non Uladislai Polo-

Poloniæ Regis, & Alexandri, Magni Ducis Lithuaniæ, proxime ad fratrum neceſſitudinem accedere videretur. Derivata deinceps continuo uſu ad Caſimirum Poloniæ, & Carolum Sveciæ Regem, qui cum Regno pulſus eſſet, ſeſe fidei Caſimiri Regis exulans commiſit: ipſumque in cauſa ſua contra adverſarios judicem ſibi delegit, cujus vicisſim opera & interceſſio, ut idem Carolus in Regnum reſtitutus ſit, haud parum profuit. Tempore deinde Sigismundi & Guſtavi Regum, ad veterem tunc amicitiam acceſſit confœderatio & tandem inter poſteros affinitatis neceſſitudo, quæ in hunc usque diem utriusque Regni amicitiam, aliquando vacillantem, ſalvam tamen & illæſam conſervavit. Et quoniam ea occaſio jam ſeſe offerre videtur, ut hæc amicitia non ſolum coaleſcere, & ſtabiliri poſſit, ſed & multo arctior, quam unquam antea, ſperanda ſit: petimus maiorem in modum, ut benignas aures pauca nobis pro ingenii tenuitate dicentibus præbeatis, & quam nunc facultatem amicitiæ conſervandæ, nec non Reipubl. veſtræ amplificandæ fata promittunt, eam non rejiciatis, ſed æqvo animo complectamini, certisſime ſtatuentes, omnia a nobis candide & ſincere agi, nec aliis pollicitationibus, quam quibus in univerſum effectus reſpondeat, nos eſſe ſubnixuros; idque amor patriæ veſtræ, ſimul ac prudentia ab omni affectu remota, de quo non dubitamus, ipſamet aliquando teſtabitur. Cum igitur hic amplisſimus conventus, defuncto nuper Sereniſſimo Rege Ste-

phano, bonæ memoriæ, novi Regis electioni indictus sit, optamus primum a Deo Opt. Max. ut vobis, quibus hæc cura incumbit, salutaria consilia inspiret, ut id, quod utilissimum erit, cernere, & unanimes eligere possitis. Constat enim omnibus, diversos esse competitores. Et quod Serenissimus Rex Sveciæ statim post mortem dicti Regis Stephani nomine filii sui carissimi minus de Regno sollicitarit, in causa fuit, cum quod Sereniss. Regia Majestas Sveciæ non satis tutum duxerit, antea filium suum Regnum hoc ambire, quam certo cognosceret, memoriam Jagellonicæ familiæ, cujus unica tantum extaret propago mascula, nondum refrixisse, vel mutatione aut iniquitate temporis esse suppressam: tum potissimum ob intestina quorundam hominum primatum disidia, qvibus unicum filium exponere periculosum fuisset: glacies vero & navigandi hiberno tempore importunitas non parum moræ attulit. His, & non aliis, uti quidam sparserant, de causis, hæc res usqve ad nostrum adventum suspensa fuit. Quocirca obnixe petimus, ne id Amplissimæ Dominationes Vestræ siniſtre interpretentur, neque committant, ut causæ Serenissimi Principis nostri, quam tractamus, quamque aliis omnibus potiorem & probabiliorem ipsimet aliquando agnoscetis, ullum exinde præjudicium generetur. Ambiunt Regnum hoc magnis pollicitationibus diversi Principes Christiani, qui etsi sane ob familiæ claritatem, auorum amplitudinem & res gestas, tanto gubernaculo digni

digni essent habendi, tamen non dubitamus, quin ipsimet vos Proceres & Equites Poloni pro vestra prudentia, quid in tanta animorum varietate, & promissorum diversitate, vobis vestræque Reipublicæ commodius, quid utilius, quid justius, & pro ratione hujus temporis maxime usui esse possit, prævideatis & discernatis. Non enim nostri est instituti, ea omnia enumerare, ne videamur quicquam in odium tantorum Principum, amicorum præsertim, acerbius protulisse. Verum id quidem contra omnes, nulla deprecata venia, libere & citra morsum & invidiam omnium dicere licet, neminem Sereniss. Principe Sigismundo, &c. vobis sangvinis jure propinquiorem posse commendari. Regnum nulli cuiquam heredis titulo deberi scimus. Magna tamen & præclara extant merita Jagellonicæ familiæ in hanc Rempubl. ut id verbis assequi nobis foret difficile. Hujus propago licet nullo devolutionis jure nititur, attamen eo gaudeat, rogamus: aliis, qui vel nulla, vel plane dissimili necessitudine vos attingunt, se non fore secundam sperat, cum & corporis & animi dotibus, reliquis in totum sit comparanda, conditionibus quoque & commoditatibus alios quotquot antecellat. Juvenis est, ætatis florem ingrediens, natalibus splendidus, optime educatus, decora & virili facie, avi materni Sigismundi I effigiem referente, statura procerus, linguarum peritus, maxime idiomatis Polonici, quo exacte scribit & loquitur, litteratus, mansvetus, prudens, denique,

Digitized by Google

quod maximum est, pius, Catholicus, nec tamen ita, ut alios differentis religionis Christicolas aliquo odio aut insectatione prosequatur. Vestri est sanguinis, ut non dubium sit, ipsum vobis & huic Reipubl. melius cupere, quam alium extraneum. Præterea non vos fugit, ei multa ex hoc Regno deberi. Plura fortasis aliunde ex materna hereditate jure aliquando ad ipsum spectabunt. Hæc omnia vobis vestræque Reipubl. adscribit, Pecuniam quoque a Sereniss. suo Dn. parente huic Regno mutuo datam, cum actione pro oppignoratis, deinde ademptis arcibus, simul ac tormenta ad Wandaliam concredita remittet: in summa, omnia debita quocunque nomine ad Sereniss. ejus parentem & suam Serenitatem pertinentia, quæ si expendi deberent, ut jus & æquum postulat, in majorem fortasis quantitatem excrescerent, quam quisquam alius est allaturus. Alii quod promittunt, adhuc ipsimet retinent: quod is pollicetur, ejus non exigua pars in vestra est potestate. Offert præterea Regni Sveciæ amicitiam, & confœderationis vinculum, quod maxime ex utilitate utriusque Regni futurum est, vivente Serenissimo suo Dn. Patre, post fata vero ejusdem, cui quidem, uti par est, vitæ diuturnitatem exoptat, Regni deinceps ejusdem cum Polonia & Magno Ducatu Lithuaniæ, (idque maximum, & a multis seculis inauditum) conjunctionem, sub uno ipsius imperio ad amicitiam & confœderationem perpetuo conservandam, adeo, ut, etsi Sereniss. Rex Sveciæ plures filios habuerit, Regno tamen Sigismundus solus

poti-

potiatur, nec cuiquam ſive fratri conſangvineo, ſi quem naſci contigerit, nec patruo, ullo unquam tempore reſignare teneatur. Tum quoque, ne fortaſſis Regno Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ oneri aliquando eſſe poſſit, ſi, cum Rex conſtitutus eſſet, plures filios procreaverit, uno fortaſſis in Regem Poloniæ electo, ſi Statibus hujus Regni ita videbitur, alter Regnum Sveciæ obtinebit: uni etiam in Suecia de digna ſuſtentatione providebitur. Ad hoc etiam promittit libera & mutua utriusqve Regni omnium rerum commercia abſq; teloniorum & vectigalium penſione, nec non navigationis uſum & utilitatem, quam maximopere neceſſariam & qvæſtuoſam ipſæmet Amplitudines Veſtræ jamdudum agnoverunt. Quid præterea unicuique imperio tam neceſſarium, quam claſſis? Claſſe augentur, claſſe propagantur, claſſe conſervantur imperia, quæ ſi cuiquam, profecto omnium maxime Regno Poloniæ eſt neceſſaria, ut qua libertate aliis gentibus Polonia præſtat, eandem mari ſplendide uſurpet. Hanc itaque dictus Sereniſſ. Princeps ſpondet ſe omnibus rebus inſtructam in uſum Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ propriis ſumptibus advecturum, ac ſemper habiturum paratam; milites etiam, ubi Regni neceſſitas ita poſtulaverit, adducturum, præſertim Svecos ſclopetarios, quorum in jaculando peritia, & in bello gerendo virtus & fortitudo cognita eſt: denique ad confinia hujus Regni, qvæ vel Tartariam vel Moſchoviam ſpectant, arces munitiſſi-

mas quinque propriis sumptibus exstructurum, provisurumque de tormentis pro iisdem necessariis, & militibus conductitiis, quotquot sufficient. Ejus electio pacem vobis afferet: præstabit vicissim maximam facultatem Regni vestri amplificandi valida patriæ suæ potentis cum vestra adunata manus. Quid? quanti illud æstimandum putatis? quam præclarum, quam fructuosum Reipubl. vestræ futurum? Livoniam fertilissimam, eandemque maritimam provinciam, ex turbulenta tranqvillam, ex ambigua certam, ex infesta pacatam perpetuo fore: tollentur illi infiniti sumptus: præsidiarius non erit necessarius miles: & tandem aliquando insignis hæc & opulenta provincia conqviescet, tantis dimicationum bellorumqve tempestatibus jactata recreabit sese, facto & declarato a vobis Sigismundo Poloniæ Rege, cujus opera, postqvam advenerit, Regno Poloniæ Magnoque Ducatui Lithuaniæ cedet: Vestra erit. Cujus rei deliberatio cum paulo gravior ob multas causas esset, Sac. Majestas Sveciæ per summam temporis brevitatem hactenus quidem ad Ordines Sveciæ Regni non potuit referre; sed dicto Principe instigante, primo quoque tempore referet. Novistis vim paterni amoris: qvæ si magna solet esse in unicum filium, quid tandem censetis in talem filium? Verum, quo firmius hæc, quæ a nobis dicuntur, in animis vestris insideant, neve ulla dubitatio, aut incertitudo, qua res humanæ plerumque laborare solent, versetur, sed quocunq; casu vestra

Respubl.

Reſpubl. creſcat, eidemque proviſum & conſultum ſit, præſto eſt Sacra Reginalis Majeſtas, Noſtra & Veſtra Domina Clementiſſima, hæc fidem ſuam Regalem vobis obſtringit, vadem ſe interponit, bona ſua, qvæ intra Regnum ad ipſam & extra ſpectant, hoc nomine obligat: qua quidem fide, quam firmiorem fidem? qua obligatione, quam ſanctiorem obligationem? quodnam certius vadimonium? aut quæ certiora pignora deſiderare poteſtis?

Agite, ad competitores veniamus, in qvibus eſt & benevolentia, & offenſio ſpectanda. Illi nullam habebunt qverendi occaſionem. Quocirca Veſtrum agnoſcite, complectimini, relictis exteris omnibus. Is enim plura bona ex Svecia in Poloniam, quam ex Polonia in Sveciam transmittere ſtudebit.

Sunt & quidam, qui Piaſtum clamitant; huc ſe vertant, hic verus noſtri temporis eſt Piaſtus, quippe & ab hoc originem probat, indigena qvoqve reſpectu ſangvinis materni, veſtris imbutus moribus, & lingva. Alium Piaſtum hæc tempora vix admittunt, cujusmodi olim ſancta ſimplicitas Fortuna imperante evexiſſe perhibetur: hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulat. Non ſperamus igitur, ut repudiato unico palmite veſtri ſangvinis Jagellonici, quem Deus Opt. Max. veſtræ Reipubl. alias, quod tamen abſit, nutanti, duobus veſtris Regibus brevi tempore fatorum lege ſublatis, a tertio Regno relicto, reſervaſſe videtur, alium utique magnum & præclarum in-

hac electione huic præferatis. Jam reſtat, ut Moſcum indignum competitorem diſpiciamus (bona veſtra venia ſit dictum) cujus nunquam nobis antea in mentem potuit venire, nec tantam eſſe hominum hujus Regni manſvetudinem, ut tam placide ipſum audire & Ordini Candidatorum inſerere voluerint, qui fallere inter vitia non ducit. Catholicum ſe fore promittit, Schiſmaticus, illiteratus: animi ægritudinem primum deponat, quam de animæ ſalute certi quicquam ſtatuat: quod tamen ſi fecerit, non ſervabit. Omnibus enim innotuit, ipſum ante multos annos unionem religionis ſimulaſſe, miſſis Romam Legatis, qui multa quidem promiſerunt, ſed quam non ſolum hæc res nullum effectum ſortita ſit, verum quam barbaro more Legatos Summi Pontificis in Moſcoviam ablegatos illuſerit, omnibus æque jamdudum percrebuit. Id enim nunquam animum induxit, ſed cum animadverteret, bellum ſibi a duobus potentiſſimis Regibus, Sveciæ atqve Poloniæ inferri, quorum impetus ſuſtinere non valuit, tanto tempore religionis conformitatem fore finxit, quousque pacem cum Rege Poloniæ obtineret. Hoc Regnum auro deinde comparari poſſe ſibi perſvadet, ac ſi non probitatis, virtutis, vel deniqve ſangvinis Regii major eſſet ratio, quam auri, ſive argenti, quod pater ipſius a ſui populi orphanis & viduis, quarum maritos & parentes antea miſere ſuſtuliſſet, expilarat. Pecunia jam vos oppugnare tentat, cum hactenus armis minime valuit, quaſi tantum

Re-

Digitized by Google

Regnum gliſcentibus ipſius inſidiis cupiditas pecuniæ velit exponere, quam ſane non male erogaſſet, ſi ſceptrum Regni omnisque Reipubl. ſalus hac ratione veniret: cujus pecuniæ ſolutionem veſtrum aliquando ſangvinem fore tacite ſtatuit. Offert præterea incorporationem ſui Principatus, idque aſtute agi deprehenditur: videtur quidem provincias ſuas offerre, ſed ſpecioſa quadam aſtutia, ea conditione, quam ipſe addit, ſcilicet, *ut in amore fraternaque amicitia conjuncta ſint, & uni Moſcorum Principi pareant*: hæc verba non important ſubjectionem, neque promiſſorum firmitatem, aut diuturnitatem, ſed æqualitatem, qvoad usque ipſemet Moſcus rerum in utroque Regno potiatur: alias omnino mutila ſunt. Nulla enim ratione veriſimile eſt, arrogantes & ſuperbos Moſcos, qui omnibus populis ſibi vicinis dominatos ſeſe fuiſſe gloriantur, itidem prout nunc de victoria a Turcis, Tartaris, Serviis & Ungaris reportanda, ſe vobis velle ſubmittere. At ſaltem ſi is eligatur, iſti prædicti aliquam ipſius impoſſibili & ſuperbæ jam animo conceptæ victoriæ moram nectent, aut eam omnino evertent. Ægre reluctabitur. Ad tantam rem præſtandam neqve vires ſufficient, neqve valebit ſuperbia, qvæ craſſiſſima huic genti innata eſt. Nihil enim eſt tam injurium, aut ignominioſum, qvod in vicinas gentes evomere veriti ſunt: Regem Poloniæ quondam magiſtrum ſtabuli Moſcorum Ducis egiſſe, litteris ſuis ad Regem Sveciæ, tempore quoque Sigismundi, felicis

licis memoriæ, odiose asserentes, innato odio erga Rempubl. vestram, quod non subitaneo animi motu, sed natura ipsamet hauserint, arripuerint. Nonne, si jam Moscus Rex constitueretur, lupo ovem commiseritis? quomodo quisquam sanæ mentis hoc sibi unquam persvadere possit, ut is vestræ Reipubl. fidus futurus sit, qui a majoribus suis una cum sangvine odium vestri in se derivatum habet? cujus fomitem absque dubio alit, magno vestro incommodo imposterum data occasione succensurus: quique XL ferme annos continuos frameam suam in sangvine Polonico volutarit. Majores vestri, ut historiæ testantur, Germanos & alios, quibus cum bellum ipsis erat, hostes tractabiles, Moscum vero hereditarium & irreconciliabilem & nominarunt, & perpetuo habendum sibi proposuerunt. A sempiterna ignominia vos vindicate, quæ in nationem vestram emanabit, si ex ea gente, quam majores vestri perpetuo inimicam fore duxerant, vobis Regem eligeretis, ac si alias ei resistere, vel vires ipsius sustinere minime possetis, nisi ejus imperio vos submitteretis. Hoc tota clamitabit & conqueretur posteritas: hunc Regem eligere quid aliud erit, quam gladio jugulum præbere, securi cervices subdere? Pecuniam vobis ingentem offert, eam, eam dico, quam ex spoliis & exuviis Polonorum & aliarum gentium vicinarum sceleratissime undique corraserat, qvæ qvidem non tanta est, uti plerique sibi habent persvasum. Nam in Regno præter eam, quam ex mercimoniorum

rum

rum venditione a ſubditis exigit, nullam habet, cum ibidem nullæ, neque auri, neque argenti, cupri, ferri, vel alterius generis metalli fodinæ ſint, quarum proventu thesaurum comparare poſſit, ubi vel continuo bello, vel alias reditus annui conſumpti & exhauſti fuerint. Magnum quoque hujus rei argumentum eſſe omnibus poteſt, non reſpondere ipſius promiſſis veritatem, quod cum anno ſuperiori inter Sereniſſ. Svecorum Regis & ejus Legatos in finibus pactum eſſet, ut pecunia Moſcus arces duas redimeret, non fuerit ſolvendo, neque propterea easdem arces in hanc usque diem receperit. Unde igitur poſtea arbitramini eum tantos ſibi theſauros comparare potuiſſe? Tartari, licet ipſi ſunt infeſtiſſimi, poſſent tamen interdum reconciliari mediocri pecuniæ quantitate: id quidem ſubjectionis ſpecies eſſe videretur: ſatius nihilominus tamen ipſi multo fuiſſet, hoc feciſſe, modo ita ſit nummoſus, quam totam urbem Moſcoviam & alias civitates & provincias incendio deflagraſſe & depopulatas fuiſſe ipſemet furens conſpexiſſet. Et quo vos facilius in ſuam pertrahat ſententiam, ultimo navigationem inſuper ad Aſtracan, Caſan, & Bulgi Tartarorum urbes & provincias, nec non in terram novam longe commodiſſimam & quæſtuoſiſſimam, & inde aurum, lapides precioſos, & gemmas vobis promittit: hoc ipſo fraudes ſuas atque fallacias aperte prodit, detegitque. Notum enim eſt evidentiſſime, ejusmodi navigationem, quæ vaſtiſſimo barbararum Regionum ambitu

bitu clauditur, hactenus non solum inusitatam, sed & Mosco periculosissimam esse, quæ per medias hostium suorum provincias tendit ad mare Caspium & Sumachos. Ab altera parte vero commode ad S. Nicolai portum Onega fluvio Novogrodia nullo modo permeabit, siquidem Regis Sveciæ arcem munitissimam Keksholm necessario transire debet: aliam quandam navigationem conpendiosam ad novam terram habere non poterit. Si enim circum Norvegiam Occidentem versus cursum dirigit, præterquam quod periculosissime per mare Glaciale navigabit, multo citius & minori cum periculo quisquam Gedano solvens eo perveniet: Si autem in contrarium Orientem versus per Scythicum mare perrexerit, medium fere orbem circumibit, quemadmodum clare ex globo & Cosmographicis tabulis perspicitur. Absurda hæc sunt ipsius commenta: interim, quin ad eadem, quæ incerto autore undique sparsa sunt, responderemus, non potuimus intermittere. Falsissimum est, cum dixerit, se omnes provincias suas in jus Regni Poloniæ concedere: quo hoc fundamento nitatur, videte: eum qvi omnibus Regibus & Principibus vicinis se semper superiorem prædicavit, jam se jugo vestro velle submittere. Hactenus vos pares vix voluit agnoscere, jam Dominos, & quidem ultro requisitos. Memoria vobis fortassis excidit, quod vos antea deceperit: quoties fidem fregit? quoties pacta & inducias rupit? quoties induciarum & pacis tempore in vestros agros excurrit,

currit, quam plurimis absque ætatis & sexus differentia misere trucidatis, aliis in servitutem extremam abactis? Nonne Pontificem Max. & Imperatorem illusit vanis promissionibus? hunc jam Regem fore, ut quod hactenus aperto Marte, adversum vos efficere non potuit, tandem ipsi cum tempore per insidias liceat. Cui malo etsi vos Proceres & Nobiles Poloni satis posse resistere videamini, undique tam legibus, quam potentia muniti: tamen si Deus tale quippiam voluerit admittere, non minus ejusmodi in hoc Regno metuenda sunt, quam alibi accidisse comperimus, maxime cum homines indigni, aut tyrannici præficiantur, qui multos, licet summopere, exosos, sibi devinciunt, ut alios opprimant: hos deniq; impugnant. Tyrannus enim nemini fidus. Idem in hoc Regno Moscus aliquando tentabit. Nulla tanta potest esse ullius Regis aut Principis ignavia aut turpitudo, ut non aliquos sibi habeat adhærentes. Raro autem alicujus Reipubl. status absque incolarum perversitate & negligentia perturbatus fuit. Poterit validum exercitum ex suis popularibus coactum in Regnum introducere. Nam si aliquantulum vires recuperaverit, pari sorte decertare non extimescet, qui vos tandem incautos, nec quicquam mali suspicantes opprimet, & eo facilius, quod ipse in medio vestri supremus omnium sit, quæcunque apud vos explorata & cognita sibi habeat. Ita cum magnam accessionem huic Regno ex ipsius rebus fieri speratis, jugum in vos retorqvebit. Alias quoque nimirum ejusmodi Incorporatio cavenda foret, ne,

ne fortasſis aliquando, vel brevi ſaltem, tota hujus Reipubl. ſtructura magnitudine ſui ipſius, & mole tantæ incorporationis corruat. Quippe patriæ ſuæ ſi libertatem tam vili æſtimat precio, ut eam alieno Regno ſeſe velle ſubjicere dicat, quam, quæſumus, exiguam Regni ſibi concrediti aliquando rationem habebit? Impoſſibilia & incredibilia promittit. Non tolerabit id Moſcorum ſuperbia: obſtabunt ſubditi, tum maxime ejus frater minor natu, de quo magnam ſpem ipſimet Moſci conceptam habent: is hanc colligationem ſeu potius ſubjectionem diſſolvere attentabit, & patriam in priſtinam libertatem vindicare, omnia reſciſſurus, quæ frater vel ſimulans vel amens promiſit. Docent enim Hiſtoriæ, ſucceſſionem Regni Moſcovitici aliquoties minoribus natu competiviſſe: & fratrem juniorem in ſucceſſione filiis fratris majoris demortui fuiſſe prælatum, ſiquidem & Iwan Waſilewitz Regno potiebatur fratris ſui, qui antea præerat, filiis excluſis. Cur fatuus inter tam præclaros candidatos nominatur? Indignum, capiti delirantis coronam imponere, cui helleborus magis conveniret, eam, quæ tantis antea præclaris Regibus fuit impoſita: fortasſis, ut minus ſit rigoroſus, nec ſolus nimium in gubernatione ſibi præſumat: non inique. Conſilium enim magis ſalubre in plurium deliberatione conſiſtit. Hoc ſi velitis, non erit difficile aſſequi. Nolite tamen fatuum hominem veſtro ſplendidiſſimo Regno præficere. Quin potius ſuſcipite Principem juvenem,

venem, optimæ indolis, Regio ſangvine, Veſtrorum Regum dico, militiæ deditum, fortem & robuſtum, quique in perſona, ſi opus fuerit, ipſemet in aciem progredi non recuſabit, ſed ſe ad reliqua omnia Principe digna accommodabit: quod vobis probabitur, absque dubio conſultisſimum judicabit: quemque in juventute vobis ita devincietis, ut ſemper deinceps nihil ſibi vobis carius aut antiquius ſit habiturus: omnibus Regni indigenis ipſemet reſpondebit: absque interprete jus dicet: juſtitiam adminiſtrabit: cum quovis, qui ipſum conveniet, verba faciet, cum ſit Polonicæ, Italicæ, Latinæ, Germanicæ & Svecicæ lingvæ peritus. Et licet odioſum ſit, Moſcum barbarum cum Chriſtiano & politisſimo Principe comparare, tamen facta comparatione, eam ſibi non conſtare videbitis. Hic prudens, probus & omni laude cumulatisſimus, a Regibus & Principibus laudatisſimis ducens originem: ille fatuus, & crudelisſimo tyranno procreatus, qui cædibus & ſangvine innocentium multorum millium totum ſuum imperium complevit, qui nihil crudele, nihil inhoneſtum, nihil libidinoſum, naturæ quoque ſumme contrarium intermiſit parricida. Hic a veſtris Regibus deſcendit, cujus parentes Lithuaniam hereditatem ſuam Regno Poloniæ dicarunt, incorporarunt: ille a perpetuis veſtræ Reipubl. hoſtibus natus, qui vobis multa eripuere. Hic amore & prærogatione quadam avitum Regnum, nulla ipſum neceſſitate cogente, modeſte petit: ille metu coactus, falſis promiſſionibus, vel ſaltem pecuniæ quanti-

tate, tanquam venale, faſtuoſe ambit. Sigismundi electio vobis pacem afferet, & amicitiam omnium Regum & Principum Europæ: illius vero odia & inimicitias omnium competitorum, qui repulſam patientur, nec non aliorum Regum & Principum, quibuscum Sereniſſ. Sveciæ Regi firma amicitia atque reſpectu cariſſimorum liberorum futuræ affinitatis neceſſitudo brevi intercedet. Turca offendetur, qui alias amicitiam cum Regibus Jagellonicis ſervatam, cum eorum progenie conſervare non renuet, quod & ipſemet offerre videtur. Tartari bellum inferent. Sigismundus maris & navigandi libertatem vobis impertiet: ille ejus prohibitionem. Hic doctus & literatus: ille idiota. Quid dicent Reges & Principes, aut eorum Legati, ubi in Poloniam venerint, cum Rex ibidem nullam præter Moſcoviticam lingvam, eamque male & titubanter calleat: vox quoque altiſſima vix poſſit ipſius aures perſonare: intellectu denique, quod maximum eſt, deſtituatur? Hic moribus politis præditus: ille incivilis, rudis & agreſtis, qui jam usque dum mente caret, bonus habetur: ſi ad ſe redierit, patris mores procul dubio induet. Raro imbellem progenerant aquilæ columbam. Cum ipſum Poloni in Regnum introduxerint, verendum, ne pœnæ, Moſco ob patris ſui ſcelera & ſuæ genti a Deo irrogandæ, quam luere jampridem cœperant, ſeſe quoque participes efficiant, quos Deus alias una cum Svecis caſtigatores & executores ejusdem conſtituiſſe certo videtur. O Regem Regum indigniſſimum, ſchiſmaticum

ticum, mutum, ſurdum, & fatuum! Hæc licet judicio & voluntate Dei accidunt, qui ſolus infirmare & ſanare poteſt: tamen natura comparatum eſt, ut abs illorum familiaritate, & conſvetudine, a quibus humani quicquam ſit alienum, alii plerumqve abhorreant: qvos vel ira Dei ſive ipſamet natura ſceleris conſcia notaſſe, & aliis fugiendos propoſuiſſe, ſimul ac vetuſta tempora perverſitatis & malitiæ accuſaſſe & conviciſſe videntur.

Adduximus in medium duorum Principum, plane diverſorum mores, fidem, vitam, & commoda partis utriusqve, quæ a noſtro Principe plura vobis obvenient, quam hoc tempore meminiſſe aut prævidiſſe integrum eſt. Moſcus ſuarum ditionum incorporationem ſimulat: Princeps Sueciæ pollicetur, idque Deo favente certisſime, cum Polonorum auxilio, terræ Moſcoviticæ depopulationem & direptionem, vel ſaltem reſtitutionem Pleſchoviæ, Schmolenſciæ & aliorum, quæ Magno Ducatui Lithuaniæ eripuit: nec ſe velle antea cum eo paciſci, quam id perfecerit: quod per Dei gratiam facto non erit difficile, cum jam ita ipſius vires attritæ ſint, ut tantæ ſocietatis impetus ſuſtinere minime valeat. Hæc eſt cauſa ſimulatæ ſuæ incorporationis. Gens Moſcoviæ, ſcribit Sigismundus ab Herbenſtein in ſua Hiſtoria Moſcovitica, cæteris omnibus aſtutior & fallacior eſſe perhibetur, fluxa inprimis in contractibus fide: cujus rei haud ipſi ignari, ſi quando cum exteris commercia habent, quo majorem fidem obtineant, non Moſcovitas ſe,

sed advenas esse simulant. Hæc ille. Alios fallunt sub nomine nationis ficto aut incognito. Mirum igitur vos illis habere fidem, qui Moscovitas eos esse probe novistis. Horum legati ad tantam rem, qvam in angustiis constituti temere, & simulatis verbis promittunt, assecurandam, satis sufficientes non sunt: nam domum reversi aut promissa non præstabunt, aut fateri minime audebunt: alias nudi flagris & scuticis vapulabunt vel tibiarum fustibus pulsandarum supplicio afficientur, usque dum tumidæ marcescant, carne ossetenus putrefacta. Sic suos Legatos munere defunctos aliquoties Moscovia (honoris loco) tractavit: sic Oratores suos & Consiliarios suppliciis affecit: nonnullos etiam ignominiose omnino interemit. Sileo quid aliorum Oratoribus in Moscoviam missis acciderit. Nolite igitur, ut vos illudat, nec fortunam ultro sese vobis offerentem aspernemini, nec patiamini, ut vos is gubernet, cui ipsimet vos imperare potestis. Omnia enim ipsius vobis haud difficulter in prædam cedent. Ad hæc, o Proceres & Nobiles ampliſſimi, cogitate, qvæ foret fabula, quodqve dedecus, omnes Christianos Principes rejicere, & hunc barbarum, mentis impotem, Regio vestro diademate insignire: illum in Regio solio præclarissimorum Jagellonum collocare, qui hostis esset infestissimus: spreto sangvine Jagellonico aspectui Sereniss. Reginæ viventis exhibere, cujus pater cupiditate nefandi criminis sorori Jagellonidi inferendi agitabatur. Quæ esset erga Jagellonicam familiam gratitudo? quæ benefactorum

memo-

memoria? qvam tamen majores vestri sancte coluerunt, adeo, ut qvamvis Regnum a libera electione dependeat, semper tamen ex Regio sangvine procreatos aliis omnibus prætulerint. Cum mortuus esset Miesco II, Rex Poloniæ, cujus perversi mores & mala Reipubl. administratio filium Casimirum Regni incolis suspectum & exosum reddiderant, secessit Casimirus in Galliam, & Lutetiæ monasterium Cluniacense ingressus est. Hunc deinceps magno sumptu & precibus expetiverunt, Benedicto IX Pontifice difficulter permittente, qui tandem voto liberatum absolvit & dimisit. Ejus absolutionis & beneficii testis adhuc est S. Petri appellatus in Polonia nummus, a dicto Pontifice Polonis injunctus: quo loco venusta & gravis apud Cromerum extat disputatio prudentissimorum illus seculi Procerum: qvidnam præstantius sit, Piastum simplicem creare Regem, an stirpem aliquam sangvinis Regii, generis Polonici ubi ubi indagare. Qualiscunque stirps Regia illis visa est esse præstantior, etiam in fœmina imbecilli. Etenim post Casimirum Magnum, qui absque heredibus masculis decessit, Ludovicum Ungarum ejus nepotem adsciscunt. Quid apud eos valuit? Regius Polonici generis sangvis. Concessit deinde fato Ludovicus, nulla prole mascula relicta. Quæso narrate mihi, quo tandem animos suos, quo sententias, quo judicia sapiens illa majorum vestrorum ætas convertit? ad filiam ejus virginem, quam una cum matre e Regno profectam ad se Poloni revocarunt, ut & marito digno elocarent

rent, eique Regni habenas simul concrederent. Nupta Uladislao Jagelloni, qui simul Regno præficiebatur. Hæc ex vestris historiis. Quæ antecessorum vestrorum in Principes sui sanguinis observantia, qui amor, quæ prudentia, tam perturbatis Reipubl. rebus fuerit, non meditamini? hanc vos prisci seculi autoritatem non sequemini? non utemini exemplis? non insistetis vestigiis? Videte, ne felicitatem ullam videamini invidisse vobis, qua majores vestri beatissimi fuerunt, & propter quam illos dilaudatis, cum fortunam vestram confertis cum illorum fortuna. Nec discedunt ab hac sententia amoris fidei & pietatis plena Historici rerum Ungaricarum. Nam interempto Uladislao Rege, relicto fratre, cum diversis affectibus quamplurimi fluctuarent, & in contraria studia scinderentur, alii in mutua odia & domesticas dissensiones, uti nunc fit, raperentur, acie & entepiis militum violenta molientes, armati in campo Rachos, quam vocem hic sæpe tonantem inde derivatam esse verisimile est, tandem sedatis liberæ electionis anfractibus, post multas disceptationes, audita elegantissima & sapientissima oratione Michaelis Zilagii, pro Regia stirpe dicentis, ad Regum illorum sangvinem se converterunt, delato imperio Matthiæ Corvino, fratri Regis demortui, quod deinde felicissimum & augustissimum extitit. Prisci seculi exactam artificum artem in opificiis demiramur, & qui proxime ad eorum artificium accedit, eum pro singulari artifice ducimus. Cur hoc idem non facimus de prudentia, de arte, de scientia in creando

ando Principe, in deligendo Rege, in consulendo & nobis & patriæ? Omnia, Equites, omnia damnosa imminuit dies: plena est exemplorum vetustas. Recens a me & finitimum vobis audite. Sveciæ Regnum, quod jampridem A. 1544 hereditarium factum est cum consensu Ordinum, antea autem liberum & electicium tanto tempore florebat & amplificabatur, quanto sui sangvinis Regii Principibus adhæreret: extraneis deinde ascitis, magnam fecit suarum rerum jacturam. Provincias quidem alii abalienarunt, alii procerum & incolarum vitæ & fortunis insidiati sunt, quam plurimis miserrime necatis: usque dum exteri Reges & Principes omnes ejicerentur: Regno deinceps ad veterum Regum indigenarum progeniem, quæ jam rerum potitur, converso. Polonum ducite, Polonum numerate, Polonum æstimate, quem scitis ad præclarum Jagellonicum sangvinem maternum genus, ad ipsum quoque Piastum genus paternum suum referre: & quem non ita post longo intervallo aspicietis referentem avitas virtutes Jagellonicas, repræsentantem præclaras actiones majorum suorum, postremum, domo petitis exemplis, vestram Rempubl. vestram auream libertatem, vos denique omnes ornantem. Quod cum ita sit, cui quoque jus divinum astipulatur, petimus, ut habita ratione utilitatis, nostrum Principem concomitantis, econtra incommoditatum & periculi, quæ aliorum electionem sequuntur, tum potissimum meritorum familiæ Jagellonicæ, quæ vestram Rempubl. tam splendide dotavit, & inter

vos, & vestros majores, quamplurimos ornavit, evexit, ejus jam progeniem agnoscatis, & suscipiatis, æquis & tolerabilibus conditionibus, nec patiamini vos magnis aliorum pollicitationibus, quarum similes antea absque effectu evanuerunt, ab eo divelli. Vester est, Piastus, indigena, vestrorum morum & lingvæ peritissimus, omnibus æquus, in privatis disidiis neutralis, dignus sane, ut occurrentes complectamini. Nulli competitorum fiet injuria: infinitas utilitates, maxime autem inter Christianos pacem afferet, quam Deus Opt. Max. dare & in hoc Regno & ubique conservare dignetur, ut absque mutua vi & injuria, tum & Competitorum, quantum fieri potest, id quod vestræ Reipublicæ, & toti Christianitati fuerit consultissimum, unanimes positis & velitis decernere, Dixi.

Errata.

p. 11. l. 22. pro *Majestas sua nominat* l. *Illustritas sua* &c. p. 13. l. 18. pro *vices* l. *vicos* p. 37 l. 11. pro *propter* l. *prater*. p. 43. l. 26. 27. in summar. pro *Genuensi* l. *Neapolitano*. p. 45. l. 5. pro *noluisse* l. *voluisse*. p. 48. l. 6. pro *ei*, l. *eo*. p. 51 l. 6 post *destitit*, insere *quod*. p. 54 l. 3 pro *qua* l. *quam*. p. 59. l. 9. pro *ab* l. *ad*. p. 63. l. 6. pro *notis* l. *votis*. Ib. l. 18. pro *ab* l. *ac*. p. 88. l. 21. pro *ergo* l. *erga* p. 108 l. ult. pro *per* l. *pro*. p. 135. l. 12. pro *id* l. *is*. p. 138. l. 21, 22. pro *scribent* l. *scribunt*. p. 146. l. 25. 26. pro *Reverendissimus* &c. l. *Reverendissimo* &c. p. 196. l. 4. pro *Vos* l. *Nos*. p. 238. l. 4. 5 pro *Albertum Brunsv.* l. *Ericum Brunsv.* p. 242. l. 4 pro *Hos* l. *Nos* Ib. l. 13. post *multo* adde *comparari potest*. p. 308. l. 10. pro *Hos* l. *Nos*. p. 312. l. 20. pro *ditionem* l. *deditionem* Ib. l. 21. pro *vesque* l. *nesque*. p. 313. l. pen. pro *illarum* l. *illam* p. 317. l. 23. pro *Vobis* l. *Nobis*. p. 360. l. 2. post *poterimus*, adde *litteras ad* p. 406. l. 5. pro *cujus* l. *quorum*. p. 418. l. 11. pro *infesti* l. *infecti*, p. 456. l. 27. pro *Majestati* l. *Illustritati* p. 457. l. 24. pro *restituendum* l. *restituenda*. p. 462. l. 13. pro *sciverit* l. *nesciverit*. p. 465. l. 11. pro *agenda* l. *augenda*. p. 496. l. 23. pro *Sortuna* l. *fortuna*.

Index

Index Generalis

Sigismundi Augusti Regis Pol.

1. Epistolæ ad diversos.

Abbati Tremesnensi (Alexandro Mielinski) CXXII.

Administratori Varmiensi. CCVII.

Alberto Seniori, Duci Prussiæ. II. LXXIX.. LXXXII. XCIII. CIV. CX. CXVII. CXVIII. CXXIV. CXLII. CXLVI. CL. CLIV. CLVIII. CLXIII. CLXXXVII. CXCIV. CXCVI. CCV. CCXV. CCXX. CCXXVI. CCXXX. CCXXXIV. CCXXXVI. CCXXXVIII. CCXLII. CCXLV. CCXLIX. CCLI. CCLXII. CCLXX. CCLXXV. CCLXXVII. CCLXXXV.

Angliæ Reginæ (Elisabethæ) LXXXIV.

Archi-Episcopo Gnesnensi, Episcopo Cracovienſi, Palatinis Cracov. Posnan. & Sandomir & Cancellario Regni VII.

Injectum in Litteras ad Archi Ep. VIII. Cancellarium. IX.

Archi-Episcopo Magdeburgensi LIV. CCLXXI.

Augusto Duci Saxoniæ. LII.

Bassæ primario Imp. Turc. CXXXIII.

Belszczynski. CLXV.

Bohemiæ Regi v. Maximiliano.

Brandenburgensibus Marchionibus. CLXXV.

Brunsvicensi Duci (Henrico Sen.) L. LVIII. CLXXVI.

(Erico Jun.) CXIX. CXCV. CCXI.

Burgrabiis arcis Cracov. CLXXXI.
Cæsari v. Ferdinando I.
Cancellario Regni. XXXV. XCVIII.
Canonicis Vilnenſibus CXIV.
Capitaneo Cracovienſi. LXXVI.
Capitaneis. XXXI.
Ad Capitaneos finitimos Sileſienſes litteræ patentes CCLXVII.
Ad Capitaneos alios Sileſiæ literæ clauſæ CCLXVIII.
Capitulo Varmienſi. CCXVI. CCLV.
Cracovienſi. CCLXV.
Cardinalibus. LXI.
Cardinalibus hæreticæ pravitatis. CLXXI.
Caſtellano Cracovienſi CV.
Gedanenſi (Johanni Koſtka) LXXX.
CXXXVII. CCVIII. CCXLI. CCXXXII.
Naklenſi (Franc. Ruſocki) CXXXVIII.
CXLI. CLXIV.
Oſveczimenſi. XXXVI.
Sendomirienſi (Stanisl. Myſzkowsky)
CVI. CLXI. CLXXXII. CCLXV.
Voinicenſi XCI.
Civitati Vendenſi & Valmariæ &c. CXCIII.
Civitatibus Pruſſiæ Minoribus. CCLV.
Conſiliariis Pruſſiæ. XXVIII. LXXXI. CXCIX.
CCXXXI. CCXLVIII. CCLXXVII.
Majoribus Regni. XXIX.
Minoribus. XXX.
Conſulibus Gedanenſibus. LXXXIII. LXXXVI. CVII.
Lubecenſibus. LXXXV.
Cracovienſi Procuratori Magno CLXXIX.
Magiſtratui. CLXXX.

Capi-

Capitaneo, Capitulo. Caſtellano. Burggrabiis &c. v. ſub t. Capitaneo *&c.*
Cromero (Martino) LXXXIX. CCXXIX.
Curlandiæ Duci (Gothardo) LXV. LXXII. CXLVIII. CLIX. CLXVI. CLXX. CLXXXIV. CLXXXV. CXCI. CC. CCII. CCIV. CCXL. CCXLIV. CCLIII. CCLVI.
Daniæ Régi (Friderico II) CXXV. CLV. CLVI. CLXII. CLXXVII. CLXXXIII. CCXLVI. CCLXI. CCLXVIII. CCLXXIV. CCLXXXVI.
a Don. v. Friderico.
Dunemundenſis arcis præfecto LXXIII.
Dunino &c. legatis in aula Danica. LXII.
Ab Emdon (Thomæ) CLXIX.
Epiſcopo Przemislienſi (Valentino Herburtho) X. XXV.
Cracovienſi VII. LXXXVIII. XCVII. CV. CLI.
Culmenſi. CCVI. CCXIX.
Plocenſi CXC.
Ferdinando I Cæſari. XIII. XIV. XLIII. XLIV. XLIX. LVI. LXXXVII. XCIX. CIII. CCXXVII. CCLXVI.
Finlandiæ Duci (Johanni) V. XVIII. XIX. CLIII.
Friderico Burgravio a Don. CXXVI.
Gedanenſibus. CXXVII. CXLIX. CLXXXVIII. CLXXXIX. CXCVIII. CCXIV. CCXXIII. CCXXXVII. CCLII.
Jarneſio Cardinali. CCXVII.
Legatis Regis Daniæ Anclam deſignatis CCLXXVI.

Locum tenenti Regis Daniæ in Livonia (Henrico Ludinghauſen) CCLIV.

Maximiliano Regi Bohemiæ & Romanorum. XV. XC. CCXLVII.

Megapolenſi Duci (Johanni Alberto.) LIX. CXV. CXX. CLXXIV. CCL. CCLIX. CCLXXIII.

(Chriſtophero) Coadjutori Rigenſi. LIII. LV. CLX. CCIII.

Militiæ in Archidiœceſi Rigenſi præfectis. LXXIV.

Nn. CXXXV.

Nobilitati Epiſcopatus Derptenſis. CCI.

Officialibus terreſtribus XXXII.

Ordinibus Inferioris Saxoniæ. CXXI. CXXIII.

Pruſſiæ CXLIV. CCXXI. CCLX.

Palatino Rheni. CXXXVI.

Belzenſi (Joh. Com. in Thenczin) XVII. CXII. CLXXVIII. CCVI.

Marieburgenſi (Achacio Czema) XCVI. CXLVII. CCXLIII.

Moldaviæ (Deſpoti) CCXXXIX.

Valachiæ (Alexandro) IV. XI. XX. LXIX. CXIII. CXXXIV.

Papæ (Pio IV) LX. XCIV. XCV. CLXXII. CCXII.

Pomeraniæ Ducibus XLII. LXX. CXXXIX. CXCVII. CCXXXIII.

P. Poremsky. XXXVII.

Pruſſiæ Duciſſæ (Annæ Mariæ) CCLXIII.

Pruſſiæ Duci v. Alberto Sen.

Pruſſiæ Civitatibus, Conſiliariis, Ordinibus, v. Civitatibus Pruſſiæ &c.

Recto-

Rectori, Doctoribus & Magistris Collegii Cracovienſis. CCLXIV.
Rigenſibus. LXVI. LXVII. CXLIII. CLXXXVI.
Saxoniæ Duci v. Auguſto.
Selimo filio Imp. Turc. XXI. CXXXII.
Solimanno Imperatori Turcarum III. XX. CCXXXV. CCLXXXIV.
Sveciæ Regi (Erico XIV) XII.
Szak (Venceslao) C CLIIX.
Theſaurario Regni. CXXVIII. CXXIX. CLII. CLVII.
Ticinio. CLXXIII. CCXIII.
Transſylvaniæ Principi (Joh. Sigismundo) electo Regi Hung. XXII. XLV. LI. LVII. LXXVII. XCII. CVIII. CIX. CXVI. CCXXVIII.
Vejero (Erneſto) militiæ Germ. præfecto. CLXVII.

2. Epiſtolæ apertæ varii argumenti.

Litteræ fidei ad Conc. Trident. XXIV.
ad Cæſarem Turcar. CXXXI.
ad Regem Daniæ CCLXXXIII.
paſſus Jazlowieckio datæ. CXXX.
Univerſales XXXIV.
plenipotentiales ad Conc. Trident. XXVI.

3. Inſtructiones Legatorum.

Ad Conventum Particularem XXXIII.
Sundenſem. CXL.
terrarum Pruſſiæ CCIX.
Stetinenſem. CCXVIII.
Anclenſem. CCLXXVIII.
Comitia Pruſſiæ. XVI. XXVII.

Marie-

Marieburgenſia LXXV.
Regem Speciæ. XLVIII.
Daniæ. CCLXXIX.
Gedanenſes. LXXI.
Marchionem Brandenb. C.
Albertum D. Megapol. CI.
Ericum D. Brunſvic. CCX.
Pomeraniæ Duces. CII. CCLXXX.
Rigenſes. CCXXV.
Concilium Tridentinum. XXIII.
Nobilitatem Ducatuum Oſvieczimenſis & Zatorienſis. XXXVIII.
4. Reſponſa exteris legatis data.
Reſponſum legato Ducis Pruſſiæ I. LXXVIII. CXVII.
Finlandiæ. VI.
Ducum Pomeraniæ. LXVIII.
Livonorum. LXIII.
Rigenſium. LXIV.
5. Confirmatio pactorum inter Regem Pol. & Regem Daniæ initorum. CCLXXXI.
6. Conſtitutio Commiſſariorum Pacificationis tractandæ cum Rege Daniæ. CCLXXXII.
7. Exceptio
Ducis Finlandiæ Caunam adventantis. XXXIX.
Vilnam adventantis. XL.

APPENDIX I. p. 535. ſſ.
Stephani Batori epiſtolæ
ad Epiſcopum Uladislapienſem Stanisl. Carn-

Carncovium I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X.

Oratio *p. 550. ff.*

APPENDIX II. p. 257. ff.

1. Epiſtolæ:

Ordines Pol. ad Sixtum V, I.

Principes Electores III.

Maximilianum Archiducem Auſtriæ. VII. IX. XVII. XX. XXII. XXVI. XXVIII. XXIX.

Conventum Ordinum Regni Hungariæ Poſſonienſem XXIII.

Principes univerſos. XXX.

Maximilianus ad Ordines Pol. VIII. XVI. XXIV. XXV. XXVII.

Capitulum Cracov. X.

Academ. Cracov. XII.

Senatum Cracov. XIV.

Capitulum Cracov. ad Maximil. XI.

Academia Cracov. ad eund. XIII.

Senatus Cracov. ad eund. XV.

Johannes Zamoyski ad Regem Sigismundum III. IV.

ad Maximilianum Archi-Ducem VI.

ad Epiſcopum Uratislavienſem. V.

Fridericus a Zierothin ad Ordines. XIX. XXI.

2. Inſtructiones

Lega-

Legatorum ordinum Poloniæ ad Cæsarem II.

ad Maximilianum XVIII.

3. Oratio Legatorum Svecicorum pro Sigismundo. p. 689. ff.

Index Specialis.

A*Besse* non videtur, qui Reipublicæ causa abest. 60

Accisæ tributum ab ordinibus Prussicis decretum. 164

Affinitatis jura. 94

Albertus Senior, Dux Prussiæ, a Ducibus Holsatiæ in Parentis locum colitur. 183

primus de conatibus Erici Brunsvicensis certiorem facit Regem Pol. 367

morbo decumbit. 449

a Sigismundo Augusto magnopere amatur. 450

Alienationes bonorum ad mensam Regiam pertinentium jure meritoque abrogatæ. 167. ff.

Amicitiæ encomium. 39

communis quæ indoles secundum Philosophos? 93

differentia a matrimonio. 93

Archi-Episcopo Rigensi quale juramentum Rigenses præstent? 146. f.

Ab

Ab *Arcz*, Comes, proditionis in Livonia auctor. 533
Auctoritas legatorum requiritur ad controversias Regum componendas. 32
Austriaca domus cur a Regno Poloniæ excluſa? 677. 681
quæ pacta habeat cum Sigismundi III majoribus? 685
Auxilio Poloni adverſus Moſcos non egent. 9

B*Alaſſius* Dux exercitus Cæſarei contra Inducirarum pacta Hungaros vexat. 98. 101
Benckendorff (Caſparus) Wanſovium, aulicum, in convivio perfodit. 456

C*Amenecenſis* Epiſcopatus fructus cur tenues? 136. 389.
Carncovius (Stephanus) Ep. Uladislavienſis, præcipuus auctor eſt Stephani Batorii in Regem Poloniæ electi. 535. 537
Carolus V cum Johanne R. Hung. tractat de Ferdinandi fratris filia ejus filio Johanni Sigismundo deſponſanda 420
Catharina Sigismundi Auguſti ſoror natu minor Johanni Finlandiæ Duci deſponſata. 105
Catholica religio commendata. 306
vigente pace efflorescit. 535
Chriſtophorus coadjutor Archi-diœceſis Rigenſis, Dux Megapolenſis, a Poloniæ Rege alienus. 132
ope Regis Poloniæ Coadjutor factus. 132
capitur per deditionem a Polonis. 312. 322. 324. 328

ætatis magis quam naturæ vitio peccat. 441
non niſi ſeptem miniſtros in carcere habet. 477
Ad *Coadjutoris* munus ſuſtinendum certa ætas requiritur. 133
Comitia Polonica in oppidis die fori præconis voce promulgantur. 65
de quibus potiſſimum rebus inſtituantur? 176
Comitiis Polonicis Petricovia deſtinata eſt legibus patriis. 16
Commerciorum libertas per pacta Polonorum & Turcarum ſancita. 5
Conſenſus, non renuntiatio facit Regem Pol. 653
Conventicula Poloniæ legibus adverſantur. 15. 282
dignitatem Regiam offendunt. 15. 282
celebrantes læſæ Majeſtatis rei fiunt. 285
Conventus indicendi jus penes ſolos Reges eſt. 282. 286
ne Regi quidem competit. 656
Cracovienſes ſtudioſi tumultuantur. 486
jubentur in ſcholis habitare. 487
ſine armis decenti habitu incedere. 487
Creſa (Stanislaus) commendatur. 129
Cromerus (Martinus) laudatur. 104
Curlandiæ Dux in fide & clientela Regis Poloniæ eſt. 111

Dani

Digitized by Google

D*Ani* & Poloni de ſocietate deliberant. 246. 263. ſſ.
ſocietatem ineunt. 502
confirmant. 511
in arces Revalienſem, Waiſſenſtein, Pactis & Pernavienſem atque Ducatum Eſtoniæ jus ſibi vindicant. 271
Svecos ad Hemſtetum vincunt. 509. 516
Deſignatio Epiſcoporum quam vim habeat in Polonia? 60. 61
Derptenſis Epiſcopatus nobiles a Polonis ad Svecos deficiunt. 362
E*Cclefiarum* Collegia pecuniam ad alendum militem conferunt. 17
Emporiorum jura examinanda. 70
Epiſcoporum deſignationis quæ vis ſit in Polonia? 60. 61
Epiſcopus ſimul atque a Rege Poloniæ deſignatus eſt, locum habet in Comitiis. 61
Ericus XIV Sveciæ Rex pecunia abundat. 208
utitur ad fœdus Moſcovicum & atterendas Chriſtianorum opes. 208
crudelis & ſuperbus eſt. 495. 497
Ericus Dux Brunſvicenſis ſuppetias offert Poloniæ Regi. 279
exercitum invito Rege Pol. adducit 351. ſ.
ut reducat rogatur. 384
ſtipendium annuum a R. Pol. accipit. 385
Danais dona ferentibus comparatus. 404

mobili est ingenio. 439
a Gedanensibus mutuam pecuniam extorquet. 440
propere e finibus Prussiæ discedit. 455
septem obsides relinquit. 455
Errones legibus Poloniæ non tolerantur. 171
Ferdinandus I Cæsar captivos Hungaros gratis dimittit. 100
inducias cum Hungaris pactas prorogat. 100
quoties Johanni Sigismundo R. Hung. filiæ collocandæ spem certissimam fecerit? 420
a Sigismundo Augusto R. Pol. patris loco colitur. 491
Feudi Dominus pro vasallo pœnam luere non debet. 113
Finium cura apud Polonos copiarum præfectis incumbit. 575
Fœdus Danico-Polonicum. 426. 511. 523.
Turcico-Polonicum. 251. 252.
In *Francofurtensi* conventu laborandum, ut tollatur proscriptio Ducis Prussiæ. 3
Fridericus II Daniæ Rex societatem init cum Sigismundo Augusto R. Pol. 543
Fürstenbergius Ordinis in Livonia Magister desciritur a Germanis & Moscovitis proditur. 533
Gedanenses de quinquaginta millium mutuo præstando compellantur. 31
ad prohibendas Svecorum naves incitantur. 215

Sveci-

Svecicas naves ſalvas dimittunt. 237
ingrati ſunt erga Regem Poloniæ. 237
qua ratione ſubſint Polonis? 336
privatis rebus nimium ſtudent. 342
a civitatibus minoribus quoad tributa ſegregantur. 342
Poloniæ Regibus incrementa ſua debent. 343
mutuam pecuniam Duci Brunſv. Erico dare coguntur. 440
monaſterium Olivæ diruunt. 541
prælio vincuntur a paucioribus. 544
obſidentur a Rege Stephano. 546. ſſ.
Pro *Germanico* milite triplo vel qvadruplo major numerus Polonorum conduci poteſt. 222
Germani Poloniæ imminent. 73
proditionum in Livonia auctores ſunt. 533
Gothardus Dux Curlandiæ capit Ducem Chriſtophorum. 312
capit arces & curias omnes, quas Dux Chriſtophorus poſſederat. 360

H*Arrienſis* Epiſcopatus nobiles a Polonis ad Svecos deficiunt 363
Henrici Regis Poloniæ electio quomodo facta. 674
Herburti (Valentini) elogium. 49
legatio ad Concilium Tridentinum. 43. ſſ. 46. 48. ſſ.
Hiſtoria electionis Sigismundi III Regis Poloniæ 663. ſſ.

Digitized by Google

Hoſtem domi exſpectare non decet. 53
Hungari pro ratione commodi ſui in utramque partem mobiles. 122
Polonis fœdere junguntur. 613

Imperatoris quod ſit imperium in Principes eorumque ſubditos? 147
Incendiarius in Cracoviam immiſſus. 656. f.
Johannes Dux Finlandiæ a conſiliis fratris Erici XIV Regis Sveciæ de bello Livonico abhorret. 9
conciliandis cum Svecis Polonis ſtudet 10
trepidans diſcedit Gedano. 32. ff.
accedit Caunam. 88
Vilnam. 89
ducit ſororem Regis Poloniæ ſecundo genitam. 90. f.
una cum conjuge capitur a fratre Rege Sveciæ. 469. 481. 497
Johannes Albertus Dux Megapolenſis multum valet gratia apud ordines inferioris Saxoniæ 241
conatur Archi-Epiſcopatum Rigenſem Sigismundo Auguſto filio comparare. 463
Johannes Albertus Rex Poloniæ contra Archi-Epiſcopi voluntatem factus. 652
Judiciorum neceſſitas demonſtrata. 59
Juramentum num duobus dominis præſtari poſſit? 146. f.

Juriſdi-

Jurisdictionis vitanda confusio. 204
Justitiæ encomium. 59

Leal arx in Livonia a Polonis capta. 469
Legati Moscorum reduces male habiti. 708
Legatorum auctoritas requiritur ad controversias Regum tollendas. 32
quale jus apud gentes? 582
Lipsiam quæ tendunt viæ nefarie permutantur. 95
Lithuani invitis Polonis ad communia jura admittere nationem possunt nullam. 144
quam habeant in eligendis Regibus potestatem? 619
Lithuania habet consilium a Poloniæ consilio separatum. 174
Livonia cum Prussia comparata. 52
universa agnoscit Regem Poloniæ 111
Polonis promissa a Sigismundo III. 696
Loci num in electione Regum Poloniæ sit quædam necessitas? 625. f. 649. f. 671
A *Lodensis* arcis obsidione rejecti Sveci. 468. 516. f.

Majorum laus excitare Polonos debet. 75
Matrimonii quæ vis sit? 91. 93
extra Poloniam ineundi libertas permissa Polonis. 480
Maximiliani Archiducis in Regem Poloniæ electio schismatica. 570. f. 584. 630. f. 681. ff.
Maximilianus Archidux Polonos jurejurando per vim sibi obstringit. 584

litterarum fautor eſt. 594
juramentum Polonis præſtat Olomucii. 616. ſ.
Maximiliano Rege Bohœmiæ mediante induciæ fiunt inter Cæſarem & Transſylvaniæ Principem. 27
ad præcipua Europæ Imperia ſurgente, ambienda eſt ejus affinitas 424
Rege Romanorum & Hungariæ facto, gratulatur Sigismundus Aug. Regis Pol. 458. ſ.
in Regem Poloniæ electo, & ab Archi-Epiſcopo renuntiato, Stephanus præfertur. 641
Contra *Minorennem* nulla currit præſcriptio. 290
In *Moravia* latrocinia exercet quidam Rumpelt. 491
Moſci perpetui Polonorum hoſtes. 73
in Lithuania Polocenſem arcem expugnant. 163
quali ſint indole. 707
Moſcoviæ Dux cur a Regno Poloniæ excluſus? 677
(Fædor Ivanowiz) Regni Poloniæ candidatus notatus. 698. ſſ.
quo ordine conſtituatur. 704
Munera nuptialia. 107

Neapolitanus Magiſtratus res immobiles denegat Regi Poloniæ. 46

Nobi-

Nobilitatis ſuffragiis Regnum Poloniæ defertur, 629
Non putaram dicere miſerrimum eſt. 53
Nuptialia munera. 107. ſ.

O*Svicczymenſis* & Zatorienſis Ducatus cum Polonia uniendi. 81. ſſ. 86. ſſ.

P*Acis* conſilia turbulentis præferenda. 41. ſ.
Penſio Pruſſiæ Duci negata reſtituitur a Polonis. 5
Pernovia Polonis propria a Svecis induciarum tempore capta. 112. ſ. 115.
Petricovia legibus Poloniæ deſtinata eſt Comitiis. 16
Polocenſis arx in Lithuania a Moſcis expugnata. 163
Poloni auxilio adverſus Moſcos non egent. 9
invitis Lithuanis ad communia jura admittere nationes nequeunt. 144
externam militiam facere legibus prohibentur. 296
externa matrimonia libere ineunt. 480
libere, qvoqvo velint, proficiſcuntur. 504
ſunt effœminati, ſuperbi, crudeles. 553
polo ſimiles eſſe debent. 555
in electione Regum familiæ rationem habent. 709. ſ.
Polonia omnium fere Chriſtianitatis Regnorum propugnaculum. 688

Poloniæ Regem dextræ manus locum cuiquam in comitiis concedere nefas eſt. 176
bellis ipſum intereſſe ſolitum eſt. 367
ex legibus tantum imperare oportet. 437
nobilitatis faciunt ſuffragia. 629
In *Pomeſaniensi* diœceſi Proteſtantium doctrina ſe erigit. 202
Poſtarum in Polonia cura præfecto Cæſareo committitur. 26
pretium quale ſub initium? 436
Præſcriptio nulla currit contra minorennem. 290
Privati non ſunt, qui jus ſuffragii habent in electione Regis. 669
Privilegiorum in Comitiis reviſio neceſſaria. 57. ſ. 71
Proſcriptioni Ducis Pruſſiæ tollendæ incumbit Rex Poloniæ. 3
Provocatio a Vaſallo ad dominum directum, juris communis eſt. 177
quomodo tolli poſſit? 178
Pruſſia cum Livonia comparata. 52
a Cruciferorum tyrannide in libertatem a Polonis aſſeritur. 143
quatenus jus cum Polonia commune habeat? 170
an Livoniam vel Lithuaniam defendere teneatur? 376
cur cum Polonia unienda? 472. 506
num alia ratione quam Polonia regenda? 506. ſ.

Prussiæ Duci pensio a Polonis promissa restituitur. 5
quatenus jus suffragii in Comitiis Polonicis competere possit? 175. seq.
monetæ cudendæ libertas negata. 178
A *Prussiæ Duce* datur provocatio ad tribunal Regis Poloniæ. 177

REges *Poloniæ* bello interesse ipsi consvevere. 367
quam habeant in subditos potestatem? 437
Regulæ juris explicatæ. 619. s. 628
Religio in Polonia corrupta. 44
Revalia arx & urbs clientelæ Polonicæ a Svecis occupatur pulsis præsidiariis Polonis. 111
Revalia occupata Sveci inhiant reliquæ Livoniæ 68
Rigensi Archi-Episcopo quale præstetur juramentum a Rigensibus? 146
Rigenses Archi-Episcopo suo juramentum præstant, quale olim Livoniæ Magistris præstitum est. 146
pomœriorum suorum libertatem exstructis a Duce Curlandiæ ædificiis impediri queruntur. 148. 158. s.
Novam Curiam invito Rege Poloniæ occupatam relinquere jubentur. 339. s. 416
quingentos milites Polonis sistunt. 416
Rokosh unde dicatur? 710
Rumpelt latrocinia exercet in Moravia. 491

quo

quominus receptum inveniat in Polonia, publice interdictum eſt. 492. ſ.

Salvi conductus litteræ Johanni Duci Finlandiæ datæ. 35
Saxoniæ Inferioris ordines Germanos milites prohibent a militia Svecica. 241
Scytharum indoles. 72
Seczygniowskii bellica virtute clari. 135. 137
Senatores unde dicti? 556
qui ſint quique eſſe debeant? 556
quot in Polonia & Lithuania? 627
Senilis ætas ad ſuſcipienda pro alio belli conſilia inutilis. 41
Sigismundana lex qualis? 673
Sigismundus Auguſtus, Rex Poloniæ, eſt pacis ſtudioſiſſimus. 10. 13. 22. 118. 348. 503
medium ſe inter Cæſarem Ferdinandum I & Johannem Sigismundum Transſylvaniæ Principem interponit. 23. 25. 27
ſorores deſtinat Finlandiæ & Oſtrogothiæ Ducibus uxores 28 29
quinquaginta millia mutua accipit a Duce Finlandiæ & totidem poſtulat. 30
hoſpitalis eſt. 34
vitæ ſuæ non parcit. 75
a tutela ſororis ſecundo genitæ ſe abdicat. 91
uuiver-

universam fere Germaniam affinitatibus & amicitiis conjunctam habet. 208. 367
quos socios & confœderatos habeat? 329. 349. 401
etiam erga hostem benignus & clemens est. 364
cogitur inducias cum Moscho factas prorogare. 375
sororem collocat Henrico Seniori D. Brunsv. 386
leni quidem est animo, at non soluto vel remisso. 442
Sigismundus III cur fuerit electus Rex Poloniæ? 558. ss. 563. s. 678. s.
quos fautores habeat? 569
qua ratione fuerit electus? 663. ss.
lingvarum peritus est. 705
pulcra statura gaudet. 693
Livoniam Polonis promittit. 696
Silesiæ fines belli inter Germanos & Polonos materia. 73
subditi molestias Polonis creant. 491
Socrates præceptores pro discipulis castigavit. 489
Sponsalia clandestina & præter tutorum consensum contracta prohibita. 124
Stannum asportare e Polonia non licet. 38. 40
Stephani R. Pol. vaticinium. 557
electio & renunciatio. 650. 651
Stephanus, Rex Pol. A. 1576 die 8 Febr. pacta juramento firmat. 538

Gedanenſes prælio vincit. 544
obſidet, 546 ſſ
nobilitatis ſuffragiis electus. 629
loci jure utitur contra Maximilianum. 640
paucos Senatores ſuffragatores habet. 641. ſ
Stralſundenſes commeatum in Sveciam ſupportant. 521
Studioſi turbas dant Cracoviæ. 486
jubentur in ſcholis habitare. 487
ſine armis decenti habitu uti. 487
prærogativas male vivendo amittunt. 488. 490
Svecia Regnum quando factum hereditarium? 711
ſub exteris Regibus infelix. 711
Svecia & Poloniæ Regum amicitia. 690. ſ.
Sveci non indicto bello Livoniam invadunt. 12. 73
Pernoviam tempore induciarum capiunt. 12. 13
ab arcis Lodenſis oppugnatione rejiciuntur. 468
a Danis ad Hemſtetum vincuntur. 509. 516
Ad *Svecos* deficiunt Derptenſis, Harrienſis & Vicornienſis Epiſcopatuum nobiles. 362. ſ.
Superioritas provocatione maxime conſtat. 177

Tartari cur diu ante meſſem invadere Poloniam nequeant? 544
Telonia in Polonia locantur. 259
Teloniorum præfectorum ſ. ænanda licentia. 70

Torn.

Tornunia conventibus Ordinum Pruſſiæ deſtinatur. 60

Trepidatio Johannis Ducis Finlandiæ. 32. ſſ.

Tridentinum Concilium omnium pœne gentium concurſu celebratur. 19
cur ſerius legatus Poloniæ adierit. 45
a Pio IV indicitur ad diem ſextum Reſurrectionis Chriſti A. 1561. 48

Turcæ ab Hungariæ Rege adverſus Cæſarem inſtigari dicuntur. 121

Turcis quid rei ſit cum Polonis? 72. 73

Tutèlæ ſororis renuntiat Rex Poloniæ. 91

Valachi auxilia Polonis adverſus Moſcos promittunt. 20
qua indole ſint? 72
juramentum Polonis præſtant. 192

Vanſovicii (Venceslai) cæſi laus. 669

Varſavia Comitiis Polonicis oportuna. 17

Vajerus arcem Leal occupat. 469

Pro *Vaſallo* pœnam luere dominus feudi non debet. 113

Venden arx petitur a coadjutore Rigenſi. 117

Vicornienſis Epiſcopatus nobiles ad Svecos deficiunt. 363

Uladislavienſis civitatis deſcriptio. 543

Unio provinciarum Polonicarum commendatur. 56. 86

Unionis vis ſimili demonſtrata. 56. 86. ſ.

Ungariæ Regum electiones. 710

Ura-

Uratislavienſis Epiſcopus eſt Capitaneus Sileſiæ & pactorum inter Bohœmos & Polonos cuſtos. 640

Wanſovius in convivio a Caſparo Benckendorf trucidatur. 456

Zatorienſis & Oſvieczimenſis Ducatus cum Poloniæ Regno uniendi. 81. ff. 86. ff.
Zborovia domus Stephano Regi infeſta. 551. f.
Zborovii (Chriſtophorus & Andreas) fratres notati. 682. f.

IHG 20108 15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google